HISTORIA ECCLESIASTICA

VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA,

UBI PRO THEOLOGIÆ CANDIDATIS

Res præcipuæ, non solum ad Historiam, sed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam, & Ecclesiæ Disciplinam pertinentes, per breves Interrogationes, & Responsiones perstringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

OPUS NOVEM TOMIS COMPREHENSUM,

AUCTORE

FR. IGNATIO HYACINTHO AMAT DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis Theologo, Ord. FF. Prædicatorum.

EDITIO NOVISSIMA

Luculentissimis additionibus, perpetuisque adnotationibus illustrata, & continuatione usque ad annum MDCCLX. locupletata

A P. JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis Matris Dei Lucensi.

TOMUS OCTAVUS

COMPLECTENS

DECIMUMSEPTIMUM ECCLESIÆ SÆCULUM, ET EX PARTE DECIMUMOCTAVUM.



VENETIIS,

MDCCLXII.



EX TYPOGRAPHIA REMONDINIANA.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



HISTORIA ECCLESIASTICA SÆCULI XVII. ET EX PARTE DECIMI OCTAVI:

Incipiens ab anno millesimo sexcentesimo, & producta ad annum usque millesimum septingentesimum vigesimum primum.



QUAM voluptatem nauclerus experiri solet, dum, post longam navigationem variasque procellas, diu exoptatum portum jam jam tenere cœpit, eamdem ipse in portum quietis jam ingressurus in præsentia persentio, qui, post emensa non sine labore, & periculo sexdecim Ecclesiæ Sæcula, ad decimum septimum tandem aliquando perveni, ultra quod non sum progressurus, sed in eo ponam laborum meorum metam, quam si, bene fortunante Deo, semel attingere possim, omnibus solutis curis, in angulo mihi Musisque canens, posthac latitabo, jucundissimo in Sacræ Scripturæ, & piorum librorum lectione ju-

gique meditatione, otio, quod nemo mihi invidere poterit, ad ultimam usque vitæ meæ periodum fruiturus. Hoc enim initio fuit in votis, cum Historiam Ecclesiasticam in rem tuam, charissime Discipule, & aliorum Theologiæ Candidatorum utilitatem compendiosa narratione describendam suscepi, ut eam, si Deus Opt. Max. cœptis adspiraret, ad annum millesimum septingentesimum perducerem, ibique ei coronidem imponerem, tum quia res in Ecclesia gestas ab anno millesimo septingentesimo usque ad annum millesimum septingentesimum vigesimum primum, quem, dum hæc scribo, decurrimus, oculis nostris vidimus, auribus audivimus, & manus nostræ contrectaverunt, adeo ut nemo sit tam rudis Minervæ, qui in earum notitia hærere possit aut debeat: Tum quia etiam par non esse duxi, nec legibus Historiæ aptum, viginti duntaxat annorum Sæculi XVIII. incipere ac delineare Historiam, quam longe opportunius, plenius & accuratius, finito isto Sæculo, cujus solum, ut ita dicam, infantiam vidimus, periti id ætatis viri sincero & eleganti calamo describent, publicisque litteris consignabunt. Attamen, ne te vacuum penitus quoad reliqua, quæ usque in annum millesimum septingentesimum vigesimum primum gesta per Orbem fuere, abire sinam, summatim perstringam illustriora Historiæ monumenta, quæ ab ineunte Sæculo decimo octavo, ad præsentem annum millesimum septingentesimum vigesimum primum, quo hæc litteris mando, contigerunt circa Summorum Pontificum, Imperatorum, & Regum successiones, Regnorum mutationes, ad rerum eo genere præcipuarum toto Orbe gestarum seriem. Sed hæc, ut dixi, tanquam futuræ Historiæ Indices, duntaxat delibabo, ac levi brachio attingam; potissimum autem hærebo in describenda Historia Sæculi XVII. in quo Artes & scientiæ ad summum pene perfectionis suæ fastigium pervenerunt, & Viri in omni litterarum genere eruditissimi extiterunt, qui Ec-

clesiæ

clesiæ ac Reipublicæ Litterariæ immortalia beneficia contulerunt. Alii quippe, ut breviter dicam, Scholasticam Theologiam a certis quibusdam vanis, frigidis ac supervacaneis quæstionibus, quas subtiliora quædam ingenia pro innovandi libidine in Scholas invexerant, repurgarunt, pristino suo decori restituerunt, eamque humaniorum litterarum, eloquentiæ ac universæ eruditionis subsidiis exornarunt, locupletarunt, illustrarunt. Alii Vitas Sanctorum, aliorumque doctrina & pietate Illustriorum Virorum in lucem miserunt, nobisque in exemplum posuerunt. Alii SS. PP. cum Græcorum, tum Latinorum doctrinam impense coluerunt, & Linguarum, præsertim Hebraicæ & Græcæ, notitiam, usum & utilitatem ostenderunt. Alii certas Critices Disciplinæ Regulas tradiderunt, & de genuinis, dubiis, ac spuriis Scriptorum Operibus, de illorum stylo & ætate, de manuscriptis codicibus sententiam, ac judicium tulerunt. Alii Scripturas Sacras Scholiis & Commentariis perdocte exposuerunt, ac veteres Ecclesiæ ritus, & Disciplinam indagarunt. Alii Fidei Catholicæ doctrinam a Majoribus acceptam uberius explanarunt, Controversias eo Sæculo agitatas excusserunt, & Catholicæ Religionis causam adversus Judæos, Gentiles, & Hæreticos feliciter propugnarunt. Alii Ecclesiæ ortum, ac progressum, resque in ea gestas, & cujusque Sæculi Acta memorabilia, cum Geographiæ & Chronologiæ, quæ sunt duo Historiæ lumina, ratione exactissima prodiderunt, omnium Hæresum originem, incrementa, exitum, errores, ac deliramenta protulerunt, omnium Conciliorum Instrumenta, Leges & Statuta produxerunt in lucem, novisque accessionibus, Notis, & Observationibus elucidarunt. Alii denique de Doctrina Morali, deque Ascetica, seu Spirituali Vita, ediderunt utilissima Opera, quibus Ethices Christianæ puritatem illibatam conservarunt, modumque bene beateque vivendi præmonstrarunt. Quo fit,

 ut

ut Ecclesia Catholica habuerit Sæculo XVII. innumeros pene Scriptores, qui ejus avitam in Fide, & moribus doctrinam egregie admodum stabilierunt, defenderunt, eique maximum splendorem conciliarunt. Hæc eo tamen impræsentiarum non dico quod putem, nullos Sæculo XVII. in Fide & in moribus exortos esse errores, & omnes Scriptores saniori ac unanimi Theologorum calculo Probatæ doctrinæ constanter adhæsisse; cum potius certissime sciam, aliquos Sæculo XVII. in Fide emersisse errores, nec defuisse Theologos, qui novitati studentes eam morum doctrinam in Ecclesiam invehere conati sunt, quæ a Regulis constitutis a S. Patribus penitus aliena, infinitis ac perniciosis laxitatibus, Disciplinæ Ecclesiasticæ eversivis, scatebat. At, licet non inficias eam, aliquos Sæculo XVII. circa Fidem Catholicam prorupisse errores, quos in Colloquio tertio percensebo, constat tamen, illos actutum a Summis Pontificibus fuisse damnatos, & a doctissimis viris omni argumentorum genere profligatos. Similiter, corruptelas & laxitates, quas ad Moralis Christianæ doctrinæ puritatem labefactandam Sæculo XVII. excogitarunt molliores quidam Theologi, absque ulla cunctatione Vaticanis fulminibus protriverunt Romani Pontifices, gravissimis Censuris Episcopi confixerunt, Populi clamoribus, publicisque detestationibus illas exploserunt, Sacerdotes, Parochi, ac Doctores in easdem magnis animis insurrexerunt, & calamum acuerunt; denique in his insectandis corruptelis Fidei ardorem ostenderunt multæ Familiæ Religiosæ, præsertim Dominicana, cujus Scholæ Thomisticæ tutela Gratiæ se ipsa efficacis, & incorruptæ Disciplinæ Moralis instar solemnis Depositi, concredita est: *Laudandus est maxime* (inquit doctissimus Cardinalis *Josephus de Aguirre* in Præfatione, quæ extat in fronte primi Tomi Collectionis Conciliorum Hispaniæ) *inter Regulares Clarissimus Ordo S. Dominici, qui hortatu Alexandri* VII. *vexillum extulit* ad-

adversus Moralem laxam, *per doctissimos alumnos suos Joannem Martinez de Prado*, *Julium Mercorum*, *Vincentium Baronium*, *Vincentium Contensonum*, *Piccinardum*, *Gonetum*, *aliosque similes*, *amplissimo fructu*. *Et merito quidem ita se gessit: cum nihil aliud discere potuerit ab incomparabili Magistro suo Doctore Angelico*, *immo & ab Augustino ac ceteris SS. Patribus*, *quorum germanam mentem circa Fidem & mores*, *ille divino ingenio*, *& admiranda claritate explanavit*, *atque in methodum redegit*. Quæ cum ita sint, nihil ex his circa mores erroribus, qui Sæculo XVII. enati sunt, adversus Ecclesiæ sanctitatem, & Moralis Doctrinæ in Ecclesia Romana puritatem elicere possunt hæretici, cum eos videant palam in eadem Ecclesia improbari; sed potius, velint nolint, tenentur agnoscere singularem Dei in Ecclesiam suam benignitatem & curam, qua veritatem multis malorum moribus obrui non sinit, sed ei semper intrepidos defensores excitat, sicut Sole clarius constabit ex his, quæ in nostris Colloquiis dicturi sumus, in quorum primo, solitæ nostræ inhærentes methodo, ostendemus Statum Ecclesiæ sub Impeperatoribus, & Principibus Christianis Sæculi XVII. In altero, seriem ac gesta describemus Summorum Pontificum, qui eodem Sæculo Sedem Romanam tenuerunt, ac universam Ecclesiam rexerunt. In tertio, referemus controversias & errores tam in Fide, quam in moribus, qui Sæculo XVII. prodierunt. In quarto, cum nullum Conc. Oecumenicum, seu Generale, Sæculo XVII. fuerit celebratum, agemus de Conciliis Nationalibus, vel Provincialibus, & Diœcesanis, quæ eodem Sæc. variis in locis pro conservanda Fidei Catholicæ integritate, vel restauranda Ecclesiæ Disciplina habita sunt. In quinto texemus elogia Clarissimorum Virorum, qui doctrina & pietate Sæculo XVII. floruerunt. In postremo dabimus specimen Doctrinæ Fidei, Disciplinæ tam Ecclesiasticæ, quam Monasticæ, necnon Moralis Christianæ ejusdem Sæculi. Quid superest, nisi ut Deum, qui est

ſons omnium bonorum & pater luminum, ſupplex exorem; ut me in his, quæ ignoro, erudiat; in his, quæ vera novi, cuſtodiat; in quibus, ut homo falli poſſum, corrigat; in quibus titubo, fulciat; ac demum ea faciat de ore, calamoque meo procedere, quæ ſint coram ipſo grata, tibi ſalubria, & Eccleſiæ Catholicæ ſeu Romanæ utilia. Eo duntaxat collimat votorum meorum ſumma.



IN-

INDEX COLLOQUIORUM,

Quæ continentur in hoc octavo Tomo.

COLLOQUIA

In Historiam Ecclesiasticam XVII. *Saeculi*.

COLLOQUIUM I.

DE statu Ecclesiæ sub Imperatoribus Orientis, & Occidentis, necnon sub Principibus Christianis Saeculi XVII. pag. 1.

COLLOQUIUM II.

In quo describuntur Series, & Gesta Summorum Pontificum; qui Saeculo XVII. Sedem Romanam tenuerunt, & universæ Ecclesiæ præfuerunt. 37

COLLOQUIUM III.

De Hæresibus, erroribus; & Controversiis; quibus Ecclesia Saeculo XVII. exagitata fuit. 66

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis; quæ Saeculo XVII. variis in locis fuerunt celebrata; 92

COLLOQUIUM V.

De Viris Illustribus qui Saeculum Decimum septimum Doctrina & pietate nobilitarunt. 118

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina; Disciplina tam Ecclesiastica quam Monastica; necnon de Morali Christiana Saeculi XVII. 158

HI-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATIO

RES ECCLESIASTICAS *SÆCULI XVIII. CONTINENS.*

COLLOQUIUM I.

De Principibus qui Sæculo XVIII. inter Catholicos regnarunt. Pag. 182

COLLOQUIUM II.

Series Pontificum Romanorum. 184

COLLOQUIUM III.

De Synodis in Ecclesia Catholica Sæculo XVIII. celebratis. 186

COLLOQUIUM IV.

De Controversiis in Causa Religionis agitatis præsertim in Gallia. 187

COLLOQUIUM V.

De Scriptoribus Ecclesiasticis Sæculi XVIII. 189

COLLOQUIUM VI.

De Disciplina Ecclesiastica, Ethices Christianæ Doctrina Sæculi XVIII. 191

COL-

COLLOQUIUM PRIMUM.

De statu Ecclesiæ sub Imperatoribus, & Principibus Christianis Sæculi Decimi septimi.



DUM res, quæ Sæc. XVII. tam in Oriente, quam in Occidente contigerunt, compertas habere possim, Colloquium nostrum incipere debemus a serie Turcarum Imperatorum, qui eodem Sæculo Orienti præfuerunt; dein, expendemus Gesta Imperatorum & Principum Christianorum, qui eodem Sæculo XVII. Summa rerum in Occidente potiti sunt.

M. *Mahomete* III. Turcarum Imperatore, ex peste, Constantinopoli grassante, e vivis sublato anno 1603. ut ostendimus in Colloquio I. in Historiam Sæculi XVI. successit filius natu minor *Achmetes* hujus nominis primus, qui imperavit annos quatuordecim, ac tandem obiit Constantinopoli die 15. mensis Novembris an. 1617. Post ejus obitum, Imperii administratio delata est *Mustaphæ* ipsius fratri, eo quod *Osmannus*, filius primogenitus *Achmetis* Imperatoris, vix XII. ætatis suæ annum attigisset, adeoque moderandis Imperii habenis impar haberetur. Sed cum *Mustapha*, homo vecors & stolidus, quique, antequam in Throno collocaretur, in Cella inclusus vitam solitariam degerat, in quoscumque crudeliter sæviret, coactus est post duos circiter menses pristinum suæ Cellæ incolatum repetere, & *Osmannus*, filius *Achmetis*, Imperator fuit salutatus. Hic vix ex ephebis egressus, & supra captum ætatis magnarum rerum cupidus, bellum denunciavit Polonis, & in hanc expeditionem juvenili ardore abreptus contra suorum omnium sententiam, omnes vires opesque contulit. Sed cum magna sui exercitus jactura ignominiaque a Polonis repulsus est, & ad centum millia Turcarum variis in præliis cæsa sunt, præter ceteram multitudinem, quam per moræ diuturnitatem fames & morbus consumpserunt. Hinc Jannizzari, quorum seditionibus infaustum Polonicæ Expeditionis exitum imputabat *Osmannus*, contra ipsum rebellarunt, & iterum in Thronum evexerunt *Mustapham*, ejus patruum, tenebricosa eductum custodia, qui timens, ne rursum Imperio abdicaretur, *Osmannum*, nepotem suum, annum agentem ætatis XVIII. Imperii quintum, strangulari jussit die 20. Maji anni 1622. Ad hunc modum Turcarum Imperium denuo adeptus est *Mustapha*, qui tamen mense Septembri anni sequentis, ob imbecille ingenium, quo ad tanti Imperii administrationem prorsus ineptus erat, iterum e solio deturbatus est, & in ejus locum suffectus *Amurathes* ejus nominis IV. frater *Osmanni*, superiori anno interfecti, & filius *Achmetis* I. Imperio potitus *Amurathes*, & in bellum adversus Persas ad Babylonicam expugnationem cum exercitu ducentorum millium militum profecturus, sibi magis a tribus quos Constantinopoli relinquebat, fratribus metuens, minores natu & alterius matris duos, *Bajazethum*, & *Orcanum*, arcto carcere detentos, ad se jussit adduci, eorum animum exploraturus, quos ubi generosos & Imperio dignos probavit, certæ morti addixit, si ex Persica Expeditione victor rediret: Felicem belli exitum & expugnatam Babylonem duorum illorum innocentum fratrum, Imperio dominantis Sultanæ matris, mors secuta est, sed cum *Ibraino*, tertio *Amurathis* fratre, & ex eadem matre, Sultana videlicet regnante, nato, ob stultitiam, seu veram, seu fictam, humanius actum fuit: At enim *Ibrainus*, a fratre suo *Amurathe*, ante discessum ad Babylonicam obsidionem, vocatus, Matris suæ, ut creditur, consilio graviter stultum egit, & Imperatoris audita profectione cum ejulatu exclamavit, de se omnino actum esse, nisi aliquot *Aspras* (genus est monetæ apud Turcas minutioris) sibi relinqueret, quibus delicias suas, idest, Aviculas, suæ solitudinis socias, quæ se cantu recreabant, aleret. Stoliditas his verbis comprobata, seu ficta, seu vera, *Ibraino* saluti fuit. Posthac, *Amurathes*, Turcarum Imperator, vino & promiscuæ libidini deditus, subditorum cœpit inhiare sanguini, & qui omne sibi flagitiorum genus indulgebat, severissime minima quæque in aliis castigabat. Innato odio tabaccum aversabatur, illiusque fumi hauriendi frequentissimum apud Turcas usum gravissimo Edicto, & pœna mortis prohibuit. Hariolum quemdam cum aliquando consuluisset, & ab illo audisset, sibi violentam impendere mortem, confestim totus cogitabundus & anxius non aliunde sibi mortis, quam a fratre suo *Ibraino* periculum timendum esse, mortemque impendere, certo sibi persuasit. Quare, ut tantum malum a se averteret, Eunuchorum Principi jussit, ut, fratre suo *Ibraino* perempto, se quamprimum hoc metu & periculo liberaret. Finxit Eunuchorum Princeps se pariturum, sed cum ea de re Matrem Sultanam certiorem fecisset, utriusque cura consultum est Vitæ *Ibraini*, qui, fratre suo *Amurathe*, non aliena manu, sed nimia vini compotatione & libidine anno millesimo sexcentesimo quadragesimo e vita sublato, cum unus superesset

ex

ex Ottomanica familia hæres, ad Solim raptus est. Tantæ dignitati cum impar esset *Ibrainus*, & nimia indulgentia confirmaret conceptam de se insani opinionem, quasi Rex aut stultus ex veteri proverbio, aut verius uterque natus esset, versa in crudelitatem dementia, omnibus odio & contemptui esse cœpit, nequidem Matre sua excepta, quæ cum primis Imperii Administris, & ipso *Muphti*, seu Summo Turcicæ superstitionis Sacerdote, inito consilio, de medio tollendum *Ibrainum* statuit, ubi filium Imperii hæredem genuisset. Hujus conjurationis auctores persuaserunt *Ibraino*, ut se *Mahometi* adstringeret, si prolem masculam daret, se missurum Medinam ad ejus sepulcrum, religionis & gratiarum referendarum causa pro tanto beneficio. Duos filios, videlicet *Osmannum* primogenitum ex *Bassea*, & *Mahometem* natu minorem ex *Zatma* suscepit *Ibrainus*, qui proinde ex tanta felicitate vix gaudio sui compos cogitavit de voto, quod ediderat, implendo. Quod quidem opportunissime contigit Matri, aliisque in *Ibraini* Vitam conjuratis, qui metuebant, ne *Ibrainus* subodoratus insidias, quas ejus Vitæ struebant, suæ saluti non solum conjuratorum cæde, sed etiam filiorum morte consuleret, ratus, ut res erat, se ab omni periculo tutum fore ipsa orbitate, quamdiu solus absque liberis & hærede ex Ottomanica Familia superesset, qui Majorum virtute partas ditiones teneret, neque Turcas ex alia gente quam Ottomanica Imperatori parituros. Hinc mater, & Muphti, atque Eunuchorum Princeps, *Ibrainum* vehementer urgebant, ut cujus rei reus factus fuerat, votum solveret, & citra ullam cunctationem Primogenitum suum Medinam pro concessa prole gratias, uti spoponderat, *Mahometi* relaturus mitteret. Consensit tandem *Ibrainus*, & omnis moræ impatiens, navem magnificentissimo apparatu anno 1644. instruxit, cujus Dux erat *Stombolius* & ipse conjurationis particeps. Byzantio itaque solvunt appetente Septembri ejusdem anni, sed die 28. ejusdem mensis in Melitensium Equitum manus veniunt Mater, & filius, post atrocissimum & cruentissimum quinque horarum certamen. Mater, seu *Bassea*, paulo post Melitæ mortua est, *Osmannus* vero ejus filius, & Turcarum Imperatoris *Ibraini* Primogenitus, Fidei Catholicæ rudimentis imbutus, Ordini FF. Prædicatorum nomen postea dedit, dictus *Dominicus Ottomanus*, qui fortunæ ludibrio mutatam sortem non solum forti animo tulit, quod ipsa immedicabilis & ineluctabilis mali necessitas etiam inertibus indicit, sed etiam ardenti sapientiæ & pietatis studio sic redemit, ut ad obitum usque religiosam vitam potiorem & antiquiorem habuerit Orbis Imperio, quod ipsum primogenitum Orientis Imperatorum manebat. Scio, fuisse nonnullos gloriæ Familiæ Dominicanæ æmulos, qui ausi sunt certa nostri *Dominici Ottomani* originis argumenta elevare, & futilibus suspicionibus in dubium revocare, an esset verus *Ibraini* Turcarum Imperatoris filius primogenitus? Sed hanc præposteram dubitationem gravissimi Scriptores exsufflarunt multis evidentissimis momentis, quorum aliquot hic perstringam, ut intelligas, quam perperam quidam æmuli hanc gloriam Ordini Prædicatorum eripere moliantur. In primis, narrant omnes Historici, *Ibrainum* Turcarum Imperatorem, statim ac nuntium accepisset de capta illa ab Equitibus Melitensibus nave, præ dolore, ira, ac vindictæ rabie, Melitem se funditus eversurum Sacramento se obstrinxisse, atque ingentem classem, quadringentarum omnis generis navium, qualem hactenus nec ullus decessorum molitus fuerat, ornasse. Porro, dicant, quæso, isti æmuli, ad quid tantus belli apparatus, nisi ut atrocissimam omnium, quas pati poterat *Ibrainus* Imperator, erepta filio & uxori libertate, cum Religionis causa ad sepulchrum *Mahometis* navigarent, injuriam Imperio & Religioni Mahometicæ illatam vindicaret? quorsum amabo adeo obstirmatus exscindendæ Melitæ *Ibraini* animus, ut Duces summos loco & dignitatibus abdicaverit, & vix eorum pepercerit Vitę, quod Melitem non posse capi, & a bello abstinendum, aut alio transferendum prudenter monerent? Ut quid etiam *Ibrainus* postquam vidisset Melitem extra periculum in tuto positam, munitiorem esse præsidiis & militibus, quam ut obsidione unius aut alterius anni expugnari posset, arma vertit in Venetos, & longum per viginti & ultra annos bellum accendit in Christianos, quorum excidium animo volvebat? Certe fatebitur quicumque erit a præjudiciis liber, tot fragores armorum, tot urbium obsidiones, tot pugnas terra marique cruentissimas, unius duntaxat libertatis, filio *Ibraini* primogenito, ejusque uxori ereptæ, vindicandæ, & inde nominis Ottomanici injuriæ ulciscendæ consilio contigisse. Præterea, nobilis ille & numerosus Comitatus, qui aderat in hac navi, ab Equitibus Melitensibus capta, manifesto probat, nostrum *Dominicum Ottomanum* fuisse primogenitum *Ibraini* Turcarum Imperatoris filium. In ea quippe navi, præter superbissimum famulatum Epheborum, supra quadraginta Matronas, ac famulas elegantissimis vestibus ornatas, duo aderant *Agæ*, seu Præfecti, & Custodes Ennuchi Virginum, quorum unus in eo prælio inter pugnandum confossus, illo apud Turcas supremo honore sub tribus Imperatoribus defunctus erat; alter vero Ennuchus pugnæ superstes, aliquot postmodum mensibus morte impendente, jussit afferri ad se puerum, & inter ejus amplexus ac pedum oscula exspiravit, hoc ultimo in suum Regem obsequio se se solatus. Ab his autem Agis, seu Custodibus Virginum, a Matronis, Servis, Ancillis, & Militibus didicerunt Equites Melitenses, hanc navim e Ginecæo Byzantino, quod Turcæ *Serail* vulgo vocant, solvisse, & puerum una cum Matre Sultana captum, *Ibraini* Turcarum Imperatoris esse filium primogenitum. Tertio, *Ignatius a Ribera*, captivæ Sultanæ custos & interpres, testatur, se, cum Officii causa diu noctuque in domo Sultanæ versaretur, sæpius per portæ rimulas explorasse, quid, semotis arbitris & ex-

traneis

traneis, inter se agitarent, & advertisse famulitium Sultanæ, ejusque puero non inservire, nisi adorantium more, corpore prono, flexisque genibus, quasi numen aliquod colerent. Rem totam *Ignatius a Ribera* Magistro Equitum Melitensium retulit, qui ei vix fidem cum haberet, jussit alios rem exploratum ire, & cum comperissent rem ita se habere, omnis de conditione captivorum sublata fuit in posterum dubitatio. Mitto, brevitatis ergo, alia Equitum Melitensium testimonia, præsertim Equitis *Lanfreduchii*, Itali, Turcicæ linguæ periti, qui asserit, se a Captivis, puero, post mortem Matris, ad famulatum servatis, inter se liberius agentibus, quod se nec audiri, nec intelligi ab ullo crederent, totius Historiæ seriem pluries excepisse, seque eos sæpius audivisse per diem, data quacumque occasione, vicem Domini suamque dolentes, ac delinientes commemoratione ejus conditionis, aut expectatione redemptionis pretio, aut annis conficiendæ. At prætermittere haud possum testimonia Tunetensis, Tripolitani, & aliorum Præfectorum Civitatum maritimatum, quæ Imperio Turcico subditæ sunt. Hi siquidem Præfecti certatim Puero etiam Captivo, veluti Regi ac Domino parentes, quas exigebat pecunias liberalissime suppeditabant, quibus cum ipse redimi non posset, pluribus ex comitatu suo libertatem restituit, alios exemplo ac persuasione ad Fidem Catholicam & Baptismum induxit. Hæc breviter dicta sufficiant ad vindicandam nostri *Dominici Ottomani* originem contra nonnullos, qui rem aliter narrant, quos inter est dominus *Ricaut*, scriptor Anglus, qui in *Historia quatuor postremorum Familiæ Ottomanæ Imperatorum*, quæ e lingua Anglica in Gallicam versa est, loquendo de Imperatore *Ibraino*, asserit (nulla tamen adducta probatione, nec citatis testibus) nostrum *Dominicum Ottomanum*, ab Equitibus Melitensibus captum, non fuisse filium Imperatoris *Ibraini*, sed alterius filium a Principe Eunuchorum ob insignem ejus pulchritudinem adoptatum, & Imperatori *Ibraino* carissimum. Quod quidem duobus momentis aperte falsi evincitur. Primo, quia altum est eade re apud Turcas silentium, cum tamen ad servandam Majestatem Imperii Turcici, & avertendam ab Ottomanica domo Primogeniti Captivitatis infamiam, necessarium fuisset hæc sciri ab omnibus, per omnes nationes circumferri, & verum indicare hujus filii parentem, quo semel detecto, evanuissent captivitatis Primogeniti Ottomanicæ domus rumores. Secundo, si noster *Dominicus Ottomanus* non fuisset verus *Ibraini* Imperatoris filius, sed alterius, ut pertendit ille Scriptor Anglus, ut quid ergo dati sunt Eunuchi, qui post Imperatorem prima apud Turcas auctoritate pollent, Matris, & Filii custodes? Credibilene est, ejusmodi homines ea in dignitate constitutos, & *Ibraino* Turcarum Imperatori a Consiliis & Secretis, voluisse primas Aulæ Sedes deserere, ut alicujus Principum, aut Ducum longe sibi inferioris uxoris, aut filii ad longam peregrinationem fierent Comites, & Servi? Quis ista credat? Nec magis verosimile est, voluisse *Ibrainum* Turcarum Imperatorem, ob ereptam huic puero, & matri ejus libertatem, tam atrox & diuturnum in Christianos movere bellum, si hic puer ejusque mater nihil ad ipsum pertinuissent.

D. Hæc, quæ adduxisti, momenta indubitatam plane reddunt *Dominici Ottomani* originem. Sed scire optarem, quem tandem exitum habuerit hæc conjuratio, quæ ut mox dicebas, contra *Ibrainum*, Turcarum Imperatorem, conflata est?

M. *Ibrainus*, Turcarum Imperator, postquam a priori sententia Melitem funditus evertendi recessisset, & in Venetos arma vertisset, suos jussit Candiam, Venetæ ditioni subditam, appellere, iique rerum omnium copia circumfluentes, *Canea* munitissima Urbe, quam novam Candiam vocant, die 20. mensis Augusti an. 1645. potiti sunt. At Jannizzari, cum solita stipendia, exhausto ærario, non perciperent, ab *Ibraino* Imperatore defecerunt, ejusque Imperio parere ac præcepto audientes esse recusarunt. Hanc conspirationem fovit *Muphti*, summus scilicet Mahumetanæ superstitionis Pontifex, qui *Ibrainum* Imperatorem ad Supremum Senatum, quem Turcæ *Le Divan* appellant, in jus vocavit, cumque *Ibrainus* in Curiam venire, seque coram sistere detrectaret, die 8. Augusti an. 1649. damnatus est, mox in carcerem detrusus, decimo post die jugulatus est, ejusque filius *Mahometes* hujus nominis IV. Imperator est salutatus. At cum *Mahometes*, filius *Ibraini*, ob teneram adhuc ætatem, rebus gerendis necdum maturus esset, Imperii procuratio *Zaimæ*, matri *Mahometis* IV. permissa est, eique ad securiorem Imperii administrationem adjuncti sunt consortes & socii duodecim Viri. Bellum, quod cum Venetis *Ibrainus* susceperat, vario marte egit *Mahometes* IV. Ragotzium, Transylvaniæ Principem, una cum vita Principatu exuit, & Varadinum anno 1660. deditione cepit. Ejus exercitus internecina clade a Christianis cæsus est in prælio, quod, die XI. mensis Julii anni MDCLXIV. ad fluvium Arrabonem commissum est; sed Candiam, viginti quinque annorum bello attritam, & a Christianis, auxiliantibus etiam Gallis, quibus præerat Dux *Belfortius*, incredibili fortitudine propugnatam, armis tamen devicit. Posthæc, Camenecum tota cum Podolia anno 1672. in suam potestatem redegit, & a Polonis duram pacem extorsit. Tam prospera fortuna usus *Mahometes*, majora moliri cœpit, & perfidi *Tekelii* suasu, ruptis cum *Leopoldo*, Occidentis Imperatore, induciis, bellum redintegravit, ac Duce *Mustapha Kara*, Viennam, Imperii Occidentalis Sedem, obsedit per omnia offensionum genera, quibus solet sævire in urbes obsessas armatus furor. Ad duos menses protracta est Viennæ obsidio, ac tandem, die XII. mensis Septembris Anni 1683. adveniente cum Polonis Rege *Joanne Casimiro Sobieski*, a fœderatis exercitibus fusi fugati-

que

que sunt obsidentes Barbari, eo terrore & confusione acti, ut non amplius certamen, sed lanienam, tanquam stolida animalia sustinere viderentur. Præter opipara Turcarum Castrorum impedimenta, generis omnis opibus & munitionibus referta, quæ Christianis victoribus cesserunt, hujus etiam insignis victoriæ fructus fuit *Strigonium*, non absque altera Turcarum clade, a Christianorum exercitu captum ac subactum. Hinc ad frangendam omnino Turcarum proterviam, piis *Innocentii XI.* Pontificis Maximi, Anno 1684. auspiciis, sacro fœderi arma sociarunt Veneti, dunque, *Neoselio*, Oppido munitissimo, Anno 1685. recepto, *Buda* die 2. Septembris anni 1686. a Lotharingo Duce expugnata, repetitis Turcarum ac perduellium cladibus, universa fere Hungaria cum Transylvania in potestatem *Leopoldi* Occidentis Imperatoris venit, haud minores Veneti in Dalmatia, Epiro, ac Peloponneso Victorias retulere. Nec hic sine laude prætermittere debeo *Joannem Sobieski*, magnum Poloniæ Marescallum, qui anno MDCLXXIII. ingentem *Mahometis* IV. Turcarum Imperatoris exercitum pugna commissa internecione delevit, eumdemque Imperatorem compulit, ut pacem Victori Polonorum Regi supplex offerret. Quibus gloriose ac fortiter gestis, *Joannes Sobieski* Rex Poloniæ fuit die 2. Septembris anni Millesimi sexcentesimi septuagesimi quarti Cracoviæ acclamatus cum uxore sua *Maria Casimira*, natione Franca, e gente Bethunia, filia Marchionis *Arquini*. Hic est ille *Joannes Casimirus Sobieski*, Poloniæ Rex, qui, ut mox dixi, in Viennensi obsidione, ubi universa Christianorum Respublica periclitabatur, validissimo cum exercitu accurrens, Turcarum agmina fudit, castra coegit deserere, & de illis maximam post hominum memoriam victoriam reportavit, ac tandem ingens sui reliquit desiderium, dum obiit anno MDCXCVI. Regni XXIII. Tot cladibus exanimati Turcæ, *Mahometem* IV. Imperio abdicarunt, illudque ejus fratri *Solimano* III. die 8. Novembris anni MDCLXXXVII. detulerunt. Quo factum est, ut *Mahometes* IV. post annos Imperii XXXVII. carceri fuerit mancipatus, ibidemque anno MDCXCIII. apoplexia correptus diem clauserit ultimum. Fratre suo *Mahomete* IV. nihilo felicior fuit *Solimanus* III. Turcarum Imperator, quippe qui, imperante in Occidente *Leopoldo*, amisit *Agriam*, arcem inexpugnabilem, aliasque plures civitates, quas inter numerantur *Alba Regalis*, *Alba Græca*, *Sigetum*. Fuit etiam bis a Principe Badensi victus in Servia, quæ se *Leopoldo*, Imperatori Occidentis, submisit. Veneti quoque, Epidauro, vulgo *Malvasia*, subjugato, tota Peloponneso potiti sunt. Obiit *Solimanus* III. hydrope consumptus die 22. mensis Junii anni MDCXCI. Imperii sui quarto. *Solimanum* III. in Imperio Turcarum excepit ejus frater *Achmetes* hujus nominis II. qui ingentem exercitus sui cladem ad inferioris Hungariæ Oppidum, *Salankemem* dictum, a Principe Badensi anno 1691. accepit, & *Varadinum*, firmissimum Hungariæ superioris munimentum, aliaque fortissima præsidia *Leopoldo* Occidentis Imperatori cedere coactus est. Imperavit annos tres, mensesque septem, ac hydropico morbo affectus e vita migravit die septima mensis Februarii anni 1695. Post ejus obitum *Mustapha* hujus nominis II. filius *Mahometis* IV. paternum adeptus est Solium. Christianos Bello aggressus fæda clade die 11. Septembris anni 1697. ab *Eugenio*, Principe Sabaudicæ Domus, ad Tibiscum amnem, affectus est, ac pactis postea seu anno 1699. cum Principibus Christianis induciis, Cæsari suos cessit triumphos, Venetis suos, restituto Polonis Cameneco, Moscorumque armis in biennium suspensis, bello finem imposuit. Sed cum Hadrianopoli otio ac quieti indulgeret, Zanissari, facta Anno 1703. Constantinopoli seditione, tumultuariisque turbis in dies plurimum auctis, eum die 22. mensis Augusti ejusdem anni e Solio deturbarunt, & in carcerem detruserunt, ubi octoginta dies postquam mansisset, ex hydrope Byzantii interiit, cum regnasset annos octo, menses sex. Mortuo *Mustapha*, ejus frater dictus *Achmetes* III. ad culmen Imperii provectus est, quo etiamnum, dum hæc scribo, seu Anno 1721. adhuc potitur. Hic sancitam a fratre suo *Mustapha* cum Principibus Christianis pacem servavit usque ad annum 1715. quo Venetis Bellum denunciavit, totamque Peloponnesum, vulgo dictam *Moream*, eodem anno ipsis eripuit. Sed eo felici armorum successu elatus *Achmetes*, Turcarum Imperator, cum toti Italiæ insultaret, & instructo terra marique validissimo exercitu, Corcyram, vulgo dictam *Corfù*, obsidione cinxisset, terrestri commisso prœlio Turcarum exercitus ab *Eugenio* Principe Regiæ Domus Sabaudicæ, & Duce exercitus *Caroli* VI. Imperatoris Occidentis, fusus, dissipatus, at tantum non deletus est anno 1716. eodemque anno a Classe Venetorum, & aliorum Christianorum fœderatorum deterriti Turcæ maturarunt fugam, jamque inceptam Corcyræ obsidionem solvere coacti sunt. Voluit tamen *Achmetes* Turcarum Imperator experiri adhuc anno sequenti martis aleam, quæ ei male cessit, ejusque exercitu ab eodem Principe *Eugenio* die 16. Augusti anni 1717. devicto ac pene profligato, perdidit etiam *Albam Græcam*, vulgo *Belgrado*, Oppidum munitissimum. Hac gemina clade prostratus *Achmetes*, Turcarum Imperator, pacem cum *Carolo* VI. Occidentis Imperatore, & cum aliis Principibus Christianis inire compulsus est, ac volens nolens, fasces submisit, herbamque porrexit Christianis; quos sub jugum mittere, duraque servitute opprimere animo volvebat.

D. Felices nos! quos Deus a Turcicæ immanitatis jugo speciali misericordia sua servare ac vindicare dignatus est. Quis enim non prius habeat in extremis solitudinibus inter Lyn-

Lynces, Lupos, Leopardos, ac Serpentes vivere, quam diram, fœdamque pati servitutem sub illis Barbaris, qui Christianam Religionem infensissimo odio prosequuntur, qui pestilentum ac scelerosum hominem *Mahumetem* Christo Salvatori nostro, in cujus nomine flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum, præferunt, qui denique Christianos non habent pro hominibus, sed pro jumentis, quorum si quis audeat adversus iniquas illorum mutire leges, diris suppliciis actutum examinatur? Hujus itaque barbaræ Gentis Imperatorum seriem texuisse sufficiat; & ad gesta Christianorum Imperatorum, qui in Occidente rem Christianam contra Turcas promoverunt, describenda progrediamur.

M. Imperium Occidentis *Rudolphus* hujus nominis II. anno 1576. a Patre suo *Maximiliano* II. accepit, illudque pacifice administravit. Unum duntaxat bellum cum *Amurathe*, Turcarum Imperatore, per annos quatuordecim gessit, hoc est, ab anno 1592. usque ad annum 1606. in quo ancipiti marte ac mutuis cladibus hinc inde pugnatum est, paxque tandem per annos triginta prope Gomorram in Hungaria sancita est. Sed, cum in Hungaria, & Transylvania passim suborirentur seditiones ac tumultus, *Rudolphus* Imperator, tranquillitatis ac pacis amans, Hungaricum Regnum, & Austriæ Ducatum cessit fratri suo *Mathiæ*, obiitque ex mœrore Pragæ anno ætatis suæ LIX. Imperii XXXV. cum dimidio circiter, die XX. Januarii anni 1612. In ejus locum suffectus est *Mathias*, ejus frater, qui Imperator fuit Francofurti renunciatus anno MDCXII. princeps bellicosus quidem, sed parum felix. Ipso quippe imperante, Lutherana Hæresis per Regnum Bohemiæ præcipue diffusa incendium ingens excitavit, totamque Germaniam exagitavit gravissimis turbis, quæ in causa fuerunt, cur *Matthias* Imperator Sedem Imperii Viennam Austriæ transtulerit, copiasque collegerit ad compescendam Bohemorum rebellionem, cujus præcipuus auctor & instigator fuit Comes Turzensis, qui, occisis Magistratibus, expulsis Catholicis, & in sua verba jurare coactis civibus, Bohemiam omnem, finitimasque Provincias Moraviam, Silesiam, Lusatiam ad defectionem sollicitavit, & ad arma concivit anno 1618. Verum, inter has turbas mœrore confectus *Mathias* e vivis excessit XIII. Kalendas mensis Aprilis anni MDCXIX. ætatis suæ LXII. Imperii anno sexto cum mensibus novem. Post *Mathiæ* Imperatoris obitum, *Ferdinandus* hujus nominis II. ejus patruelis, *Caroli* Austriæ Arciducis ex *Maria Bavara* filius, jamque electus Bohemiæ atque Hungariæ Rex, Electorum suffragiis Francofurti proclamatus est Imperator anno MDCXIX. Rebelles Bohemiæ eodem anno sibi Regem præfecerunt *Fridericum* Palatinum, Regis Angliæ generum, qui stimulante conjuge sua *Elisabetha*, Regis Angliæ filia (quæ Regni cupida vehementer angebatur, quod Rege marito careret, sæpiusque querebatur, se impares natalibus suis nactam esse nuptias) stimulante, inquam, *Elisabetha* conjuge sua, *Fridericus* Palatinus, electus in consessu tumultuario Rex Bohemiæ, statim conjugis suæ consiliis morem gerens, Pragam festinanter accurrit, ibique sibi ac uxori coronam utriusque Regni Hungariæ & Bohemiæ imponendam curavit. Hujus tam avide, tam incaute appetitæ Regię dignitatis *Fridericus* Palatinus, una cum ambitiosa *Elisabetha* conjuge sua, brevi gravissimas pęnas dedit; anno siquidem sequenti, seu millesimo sexcentesimo vigesimo *Ferdinandus* II. Imperator, virtutibus clarus, Catholicæ Religionis acerrimus propugnator, cujus electio spes Catholicorum erexerat, commisso sub ipsius Urbis Pragæ mœnia die VIII. Novembris memorabili pręlio, hæreticos ac perduelles Bohemos prostravit, atque insignem retulit victoriam, qua dedita Praga, Bohemia subjugata, reducta Moravia, Silesia repressa, Hæresis domita; *Fridericus* vero, Comes Palatinus, hac suorum strage tantum timoris hausit, ut in fugam conjectus, proscriptus, & suo Palatinatu exutus, ad Batavos se receperit, ubi privatus deinde, & prope victitans precario, una cum conjuge & liberis reliquam vitam traduxit, seroque intellexit, dissidiorum matrem esse ambitionem, ex qua tot inter mortales veniunt bella, tot lites, tot sectæ, tot opinionum discrimina. Nec solum *Ferdinandus* II. Imperator hæreticos ac perduelles Bohemos, aliosque finitimos populos in ordinem redegit, sed etiam an. MDCXXVI. ad *Luthram* commisso prælio vicit feliciter, ductore Catholicorum Germaniæ Principum copiarum *Tillio*, hæreticos, quos Daniæ Rex *Christianus*, hujus nominis IV. instigaverat ac fovebat. His peractis, in Italiam anno MDCXXIX. descendit *Ferdinandus* Imperator validissimo cum exercitu contra *Ludovicum* XIII. Galliarum Regem, & Mantuam, quam Dux Nivernensis Gallus post mortem Ducis *Vincentii* occupaverat, oppugnavit, ac cepit. Dolendum tamen, quod hæc civitas (ut testatur *Spondanus* ad annum 1630.) opulentissima, eademque munitissima, cujus nulla unquam extabat memoria quod in manus hostium aliquando incidisset, hæreticorum, qui in exercitu Imperatoris erant, crudelissimæ direptioni ac turpissimę libidini fuerit exposita, tamque locis sacris, quam prophanis deprædatione ac grassatione exhaustis, penitus exinanita. Aliud, sed atrocius bellum anno sequenti, seu MDCXXX. *Ferdinandus* Imperator suscepit cum *Gustavo*, Sveciæ Rege, qui Lutheranam hæresim, quam cum lacte suxerat, late propagare percupiens, post pulsos levi manu ex Pomerania & Megalopoli Cæsareos milites ad interiora Germaniæ, per sævas interjacentium strages, magnis itineribus progrediebatur. Ei alicubi obstitit quidem *Tillius*, Dux Cæsarei exercitus,

tas, qui Germaniam & rem Catholicam pro viribus tutabatur, cæsis etiam ad Magdeburgum hostibus, & Urbe illa, ob ejus pertinaciam, funditus eversa. Sed *Tillio*, fortissimo Duce, primum ad Lipsiam fœde profligato, postea ad Lycum amnem, ita cæso, ut brevi post obierit; partam victoriam magno ardore prosecutus *Gustavus*, Rex Sueciæ, Erfordiam aliasque urbes cepit, & in Franconiam movens, Herbipolim, Bambergam, Norimbergam, totamque provinciam subegit. Dein, Francofurtum ad Mœnum, multas in Palatinatu superiori urbes, denique, transmisso Rheno, Moguntiam & alia Oppida invasit fulminis aut torrentis instar, obvia quæque diruens, quassans, abrumpens, consumens. Tot cladibus attritos Germaniæ Catholicos, ac indigne ferentes bonorum suorum direptionem, expilationem Ecclesiarum ac Monasteriorum, pulsionem ac cædem Sacerdotum & Regularium, violationem Monialium, omnis sceleris, omnis sacrilegii, omnis flagitii perpetrationem, benignis tandem oculis aspexit Deus, & inclytam de impio hoste dedit eis victoriam. Nam, dum *Gustavus* Sueciæ Rex, infaustas suas renovans excursiones, Alsatiam, Bavariam, Palatinatum, Sueciam, Westphaliam, aliasque Provincias per se ac suos vastaret, Cæsareum exercitum contra ipsum anno MDCXXXII. movit *Walsteimus*, Frislandiæ Dux, qui demortuo *Tillio*, rei militaris peritissimo & plurium palmarum Duci, fuerat suffectus, in hostes tota virium mole irruens, eos, data pugna ad Luzanam, non procul a Lipsia, die 16. Novembris devicit, & sub illius pugnæ initium *Gustavus*, Rex Sueciæ, strenuissime dimicans, duobus vulneribus lethalibus confossus interiit. Ex *Gustavi* Regis morte, & ruentibus in Germania Suecorum viribus, secundior *Ferdinando* Imperatori cœpit arridere fortuna, & ad ipsum pleræque Urbes redierunt, Spira, Wormatia, Frankendalia, Ulma, Meminga, Francofordia, Moguntia, & aliæ plures, quæ se Imperatoris Dominio subjecerunt, cujus potentia vehementer aucta est ex fœdere inter ipsum & *Joannem Georgium* Electorem ac Ducem Saxoniæ icto Pragæ die xxx. Maij anni MDCXXXV. qui mox arma, quæ pro Suecis sumpserat, in eos convertit gravissimo ipsorum detrimento, factus generalis exercituum Cæsareorum Imperator, sub generalissimo Rege Hungariæ. Obiit *Ferdinandus* II. Imperator ann. MDCXXXVII. ætatis suæ LIX. Imperii XIX. Viennæ Austriæ, paucis diebus post suum reditum a Conventu Ratisponensi, in quo *Ferdinandum Ernestum*, filium suum, quem jam an. MDCXXIV. Bohemiæ atque Hungariæ Regem declaraverat, Regem Romanorum, successorem Imperii eligendum curavit. *Ferdinando* itaque Imperatori hujus nominis II. successit ejus filius, dictus *Ferdinandus* III. qui bellum jam inchoatum cum Suecis alternante fortuna & mutuis hinc inde cædibus prosecutus est usque ad annum 1648. quo Urbem, *Monasterium* dictam, convenientibus omnium totius fere Europæ Principum Legatis, pax firmata est, totique Germaniæ restituta tranquillitas. Pacifice inde Imperium administravit *Ferdinandus* III. claruitque multis virtutibus, præsertim eximia pietate, qua se semper Catholicæ Religionis propugnatorem exhibuit. Excessit ex hac vita Viennæ in Austria anno 1657. ætatis suæ 49. Imperii XX. *Ferdinando* Imperatori successit *Leopoldus Ignatius*, ejus filius, quem genuit ex prima conjuge sua *Marianna*, Philippi III. Hispaniarum Regis filia. Fuit tamen post obitum *Ferdinandi* III. Interregnum quindecim mensium; & *Leopoldus Ignatius* creatus est duntaxat Francofurti anno 1658. Imperator, jam electus Rex Bohemiæ anno 1654. Rex Hungariæ anno 1655. & Rex Romanorum eodem anno. Enituit in *Leopoldo* Imperatore singularis in Deum pietas, & in debellandis Turcis summa animi fortitudo. Ut enim missa faciam varia bella, quæ feliciter gessit contra Turcas, vel Hungariæ perduelles, quos fovebant Transylvani, Moldavi, & Valaqui, ducibus Comitibus *Tekeli & Vesselini*, qui se Turcarum clientelæ dediderant; insignem, ut mox diximus, de Turcis Viennam obsidentibus victoriam anno 1683. reportavit, eorumque ingentem exercitum profligavit. In cujus maximæ post homines natos victoriæ perenne monumentum *Innocentius* XI. Festum Nominis B. *Mariæ* Virginis in universa Ecclesia singulis annis Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem Virginis Mariæ celebrari præcepit. Eodem Anno 1683. *Tekelius*, rebellium Hungariæ Antesignanus, qui Moraviam rapinis & incendiis funestabat, ab exercitu Cæsareo magna clade affectus est. Eo contra Turcas & Hungariæ perduelles finito bello, aliud diuturnum contra Gallos an. 1689. *Leopoldus* Imperator suscepit, quo tam ipse, quam Hispaniarum Rex *Carolus* II. Batavi, Elector Palatinus, aliique Germaniæ Principes pene omnes adversus Franciam fœdus inter se pepigerunt, indeque ortum est bellum illud Sociale, cujus contra totam ferme Europam per plures annos *Ludovicus* XIV. Galliarum Rex solus impetus sustinuit, ac feliciter repressit. Auxit fœderatorum vires non solum Dux Sabaudiæ, qui in belli societatem adscitus est, sed etiam facta eodem anno in Anglia rerum conversio, quæ *Jacobus* II. legitimus Angliæ Rex, a suis Anglis per summam perfidiam derelictus, in Galliam sese recepit, & *Willelmus*, Princeps Arausicanus, summo Heterodoxorum plausu Londini exceptus, ac Regia dignitate, conculcatis divinis & humanis juribus, potitus, in societatem fœderatorum venit, & in Gallorum perniciem conspiravit. Hac tot Regum ac Principum conspiratione nihil plane deterritus *Ludovicus* XIV. bellum a capto Philippoburgo, Arce & claustro Germaniæ, auspicatus est. Dein, anno sequenti, seu MDCXC. terra marique cæsi Gallici nominis hostes. Marescallus *Luxemburgius*, Regis Christianissimi exercitui in Belgio præfectus Generalis, insignem victo-

victoriam de Fœderatis in campis Fleuriacis die V. mensis Julii retulit. Angliæ & Hollandiæ Classes Comes *Turvillæus*, postea Franciæ Marescallus, attrivit. Ad Stafardam Marescallus *Catinatius* in Sabaudiæ Ducem victoriam adeptus est, magnamque ejus ditionum partem invasit. Nec minus prospera fortuna an. 1693. usi sunt Regis Christianissimi exercitus. In Belgio quippe Marescallus *Luxemburgius* viginti hostium millia delevit, & Marescallus *Turvillæus* octoginta naves classium Angliæ & Hollandiæ depressit, & Barcinone a Francis capta fuit, Hispanis illam acerrime propugnantibus. His cladibus fracti Fœderati ad pacis conditiones deflexerunt, & primo quidem pax Franciam inter & Sabaudiam anno 1696. constituta est, deinde anno sequenti Franciam inter, Hispaniam, Angliam, Hollandiam & Germaniam sancita, omniumque Chyrographo munita fuit. Perstitit hæc pax ad annum usque millesimum septingentesimum primum. Mortuo quippe absque ulla prole die 1. mensis Novembris anni millesimi septingentesimi *Carolo II.* Hispaniarum Rege, ex augustissima Familia Austriaca oriundo, *Philippus* hujus nominis V. ex Borboniorum regio Sanguine ortus, Hispaniarum Rex, omnium hujus Regni Ordinum consensu, juxta supremam *Caroli* II. Regis voluntatem, fuit proclamatus, & coronatus, atque a Summo Pontifice *Innocentio* XII. ejusque successore *Clemente* XI. ab Anglis, Gallis, Batavis, Lusitanis, Sabaudiæ Duce, aliisque Europæ Principibus statim habitus tanquam verus & legitimus Hispaniarum Rex. Solus Imperator *Leopoldus* intercessit, Anglos, Batavos, Lusitanos, ac Ducem Sabaudiæ in suas partes traxit, & post initum cum illis fœdus, Bellum anno 1701. Gallo-Hispanis indixit, suumque filium natu minorem, Archiducem *Carolum*, Hispaniarum Regem declaravit. Principio quidem Gallo-Hispani in Italia, in Germania, Lusitania & Sabaudia secundo marte pugnarunt captis multis præsidiis, & expugnata a Comite Tolosano prope Malacam Fœderatorum classe. At adverso fortunæ statu dejecti, gravissimam cladem ad locum, dictum vulgo *Hocstet* in Germania, passi sunt, ubi terrore panico perculsi, a *Leopoldi* Imperatoris, & aliorum Fœderatorum exercitu anno MDCCIV. cæsi, capti, fusi, ac dissipati fuerunt. *Carolus* a *Leopoldo* Imperatore, aliisque Fœderatis Rex Hispaniæ renunciatus, Barcinonem, & Catalauniam cœpit, bisque Matritum cum exercitu victor pervenit, re tamen infecta sua relegit vestigia, & Barcinone suam sedem fixit. Inter hos bellorum strepitus *Leopoldus* Imperator mortuus est Viennæ in Austria die V. Maji anni MDCCV. ætatis suæ LXV. Imperii XLVIII. & successit *Josephus*, ejus filius primogenitus, qui jam Rex Hungariæ fuerat coronatus Posonii anno 1687. & Rex Romanorum Augustæ anno 1690. In Imperii sui exordio *Josephus* non solum bellum gessit contra Hungariæ perduelles, qui principem *Ragozzium* anno 1704. proclamaverant Transylvaniæ Principem, eoque Duce, Moraviam, Sclavoniam, Stiriam, Austriam, Transylvaniam armis devastabant; sed etiam incœptum jam a Patre suo *Leopoldo* contra Gallo-Hispanos Bellum continuavit, & Gallos, consertis in Italia, & in Belgio præliis, per suos Duces, præsertim Principem *Eugenium*, Regiæ Sabaudicæ Domus, vicit ac superavit. Verum, mortuo *Josepho* Imperatore die XVII. mensis April. an. 1711. *Carolus*, ejus frater, electus est Imperator, qui subinde relicta Barcinone, confestim Viennam in Austria se transtulit imperio potiturus. Sub hoc Imperatore pax omnium votis exoptata tandem aliquando in civitate Trajectensi, quo Europæ Principum Plenipotentiarii, seu Legati, convenerunt die XI. mensis Aprilis anni MDCCXIII. confecta est cum Anglia, Hollandia, Lusitania, Sabaudia, Prussia, Gallia, & Hispania. Porro istius sancitæ pacis hæ conditiones fuerunt. Primo, *Philippus V.* Hispaniarum Rex, tam nomine suo, quam filiorum suorum ac nepotum, qui ex ipsius stirpe prodituri erant, renunciavit Coronæ Regni Galliæ, & vicissim Dux Biterensis, frater *Philippi V.* Regis Hispaniæ, & Dux Aurelianensis nuncium remiserunt juri ad coronam Hispaniarum Regni. Secundo *Philippus V.* declaratus est verus ac legitimus Hispaniæ & Indiarum Rex. Tertio Regnum Siciliæ concessum est Duci Sabaudiæ, ipsique & ejus hæredibus jus assertum est, deficiente stirpe *Philippi V.* ad successionem Hispaniarum Regni. Quarto Regnum Sardiniæ, & Neapolis, & Ducatus Mediolanensis transierunt in dominium Imperatoris. Quinto, Regina *Anna*, filia *Jacobi II.* Angliæ Regis, a suis Anglis e Regno injuste ob Fidem Catholicam pulsi, declarata fuit Angliæ Regina, & post ejus obitum ad Sceptrum Angliæ vocatus Hannoveranus Dux, Hæreticus. Sexto, jussum est, ut munitiones Urbis & Præsidii Dunkerkæ diruerentur. Septimo, duæ in Belgio Urbes, videlicet *Insula*, Gallice *Lisle*, & *Aria*, Gallice *Aire*, restitutæ sunt *Ludovico* XIV. Galliarum Regi. Postremo Urbes, quæ in Belgio Ditionis Hispanicæ erant, Batavorum custodiæ permissæ ac creditæ fuerunt, ea tamen lege, ut supremum earum Dominium ad augustissimam domum Austriacam pertineret. His pactis statim assensum præbere renuit *Carolus* VI. Imperator, ea tamen die VI. mensis Maji anni MDCCIV. confirmavit, rataque habuit. Composita inter Christianos Principes pace, *Carolus* VI. Imperator arma vertit in Turcas, qui imperante *Achmete* III. totam Peloponnesum, vulgo dictam *Moream*, instructa potentissima classe anno 1715. invaserant, atque in Italiam crudelitatis suæ pomeria armis protendere in animo habebant. Sed horum impetus fregit ac retudit *Carolus* VI. Imperator, quippe qui Turcarum exercitum gemina ac completa victoria anni MDCCVI. & MDCCXVI. per Principem *Eugenium*, invictum, omnique præconio celebrandum Regiæ Domus Sabaudicæ Heroem,

rorem, ita prostravit ac profligavit, ut brevi de toto Otthomano Imperio actum omnino ac conclamatum fuisset, si *Carolo* VI. *Augustissimo* Imperatori victorias suas in hanc barbaram gentem prosequi licuisset. At, dum Bello isto Turcico distineretur Imperator, ecce novus insurgit turbo, & inter Principes Christianos injectum discordiæ pomum. *Philippus* V. Hispaniarum Rex, adornata Classe, & conscriptis militum copiis, Regnum Sardiniæ an. MDCCXVII. occupat, & an. sequenti Regnum Siciliæ aggressus, Panormum, Messanam & aliquot alias Sicilię urbes cępit. Excanduit confestim & classicum cecinit Dux Sabaudiæ, cui, ut jam diximus, in congressu pacis Ultrajectensi Regum Siciliæ fuerat adjudicatum. Hac etiam repentina & inexpectata plane Hispanorum agendi ratione offensus Imperator pacem pepigit cum Turcis, ac Bellum Hispanis indixit, Fęderatosque habuit non solum Anglos & Sabaudiæ Ducem, sed etiam Gallos, qui sub *Ludovico* XIV. pro *Philippo* V. sanguinem & opes immensas profuderant. Galli, inquam, sibi licitum non esse arbitrantes desciscere ab his initæ pacis legibus, pro quibus asserendis ac vindicandis in Congressu Ultrajectensi solemni juramento se se obstrinxerant, Sociale istud Bellum contra Hispaniarum Regem *Philippum* V. ægre inierunt. In Regnum Navarræ arma intulerunt, munitissima Castra, præsidia & Oppida, potissimum *Sebastianopolim*, & *Fontem Rapidum* vulgo *Fontarabiam* occuparunt; Siciliam insuper, & Sardiniam in suam potestatem redegerunt, eoque tandem Hispaniarum Regem adduxerunt, ut publicę saluti & tranquillitati consuleret, pacem ab Avo suo *Ludovico* XIV. sancitam novis conditionibus corroboraret, & Regnum Siciliæ Imperatori, Regnum vero Sardiniæ Duci Sabaudiæ cederet.

D. Sicut res gestas ab Imperatoribus Christianis usque ad annum, quem modo decurrimus, millesimum septingentesimum vigesimum primum, breviter, accurate tamen, retulisti; ita nunc Regum Galliæ Historiam a morte *Henrici IV.* ad hæc usque nostra tempora breviter, summatimque describere debes.

M. Postquam *Henricus IV.* Galliarum Rex, quem, ob virtutem militarem, civilem prudentiam, admirabilem in populum benignitatem, & præclaras res pace belloque, manu, & consilio gestas, jure optimo *Magnum* appellarunt Galli, unius detestandi Sicarii parricidio occisus fuisset Lutetiæ Parisiorum die XIV. mensis Maji an. 1610. ætatis suæ LVII. Regni XXII. sicut jam observavimus in colloquio I. in Historiam Sæculi XVI. ei statim successit *Ludovicus* hujus nominis XIII. ipsius filius, qui, ut moris est, inauguratus Remis, *Justus* omnium acclamatione fuit cognominatus. At cum annos duntaxat decem natus esset *Ludovicus* XIII. ac subinde necdum suæ potestatis, totius Regni administrandi procuratio *Mariæ Medicææ* Reginæ, ejus matri, demandata est. Annum ætatis suæ XIV. ubi primum attigisset *Ludovicus* XIII. & alienæ tutelæ annos egressus fuisset, administrationem Regni de more suscepit die XXVII. mensis Septembris an. 1614. eodemque anno Comitia totius Regni Parisiis celebranda indixit, quæ annum integrum durarunt. Exordium Regni *Ludovici* XIII. nonnullis tumultibus turbarunt Principes aliquot, qui *Concini* patria Florentini (qui in Galliis dicebatur *Marchio Ancrensis*) nimiam potentiam exosam habebant. Eo siquidem potentiæ Marchio ille Ancrensis ob maximam gratiam, qua pollebat apud *Mariam Mediceam* Reginam, devenerat, ut Principes ac Proceres Regni parum revereretur, & omnium capitibus ac fortunis insultaret impune. Hinc Principes occasionem sumpserunt excitandi tumultus, qui tamen non impedierunt, quominus Rex *Ludovicus* XIII. in Aquitaniam proficisceretur an. MDCVI. ut *Annam Mariam Mauritiam*, primogenitam *Philippi* III. Hispaniarum Regis, quam per Legatum sibi ante desponderat, in uxorem duceret, eodemque tempore sororem suam *Elisabetham* cum Principe *Philippo*, filio *Philippi* III. Hispaniarum Regis, matrimonio copularet. Sic Gallia & Hispania novo fœdere junctæ, & *Henricus Condæus* Princeps, ac fęderati reliqui, motuum civilium Auctores, cum Rege *Ludovico* XIII. reconciliati sunt. Verum, cum exortæ fuissent paulo post novæ suspiciones, *Henricus Condæus*, Factionum caput, in arctissimam custodiam primum in Regia Lupara, deinde in Bastilia, denique in Castro Vicennarum missus est anno 1617. eodemque anno excitatis in Gallia tumultibus finis impositus est, occiso in ipso Palatii Regii aditu, & plumbea glande trajecto die XXIV. Aprilis *Concino*, seu Marchione Ancrensi, Galliæ Marescallo, qui intolerabili superbia sibi omnium Gallorum, sed præcipue Principum ac Procerum invidiam, odiumque conflaverat. In ejus cadaver a plebecula sævitum est, raptatum, discerptum, & ignominiose combustum. Nec meliorem sortem nacta est ejus uxor *Leonora*, licet *Mariæ Mediceæ* Reginæ matri charissima esset. Ea quippe capite truncata publice, flammis absumpta est, ejusque liberi dissipati. Hujus integræ familiæ, nimis potentis, & Gallis invisæ, exterminium, statim fœderatorum Principum ac Procerum cum Rege Christianissimo pax, totiusque Galliarum Regni tranquillitas excepit. Non potuit tamen *Maria Medicea* Regina molestiam, qua haud parum afficiebatur de nece Marchioni Ancrensi, ejusque uxori *Leonoræ* illata concoquere, unde, relicta aula, Civitatem Blesensem se se recepit, eamque secutus est *Armandus Richelæus*, Lucionensis Episcopus. Non diu tamen Blesis mansit Regina, sed a Duce *Espernonio* Inculismam contra voluntatem Regis deducta est, Quam injuriam non inultam reliquisset Rex, nisi *Armandus Richelæus* ejus animum ita demulsisset, ut tandem illius precibus exoratus, Reginæ matri, ac Duci *Espernonio* veniam indulserit. Voluit quoque Rex, quo plenior esset ac cumulatior Gallorum inde profecta lætitia, ut Princeps *Henricus*

cus Condæus, qui in carcere Vicennarum detinebatur, in pristinam libertatem assereretur, & in ejus gratiam rediret anno MDCXIX. Compositis his aulæ turbis, alias anno MDCXXXI. non minus graves concitavit eadem Regina, Mater, ob fastidium quod sumpserat de Cardinali *Richelæo*, qui antehac præcipuus in ejus consiliis fuerat, sed postea in animum Regis ita irrepserat, sibique demeruerat, ut auctoritate plus apud ipsum valeret, quam posset Reginæ matris amor. Id ægerrime ferens Regina, vindictæ cupiditate flagrans, in Belgium, una cum filio suo *Gastone*, Duce Aurelianensi, & Regis *Ludovici* XIII. fratre, nunquam reditura secessit, ubi permansit usque ad annum 1638. quo diuturnioris moræ in Brabantia tædio affecta, inde discessit, & per Hollandiam ad Zelandiam itinere facto, in Angliam se recepit; *Gasto* vero Dux Aurelianensis, qui Reginam Matrem in Belgium secutus fuerat, Bellum civile in Gallia excitavit anno 1632. quo ab Occitania in Gallias una cum Duce *Mommorantio*, quasi Regem vi erepturus e manibus Cardinalis *Richelæi*, cujus potentiæ invidebat, irrupit, sed confestim repressus est a *Scombergio*, Generali exercitus Regii præfecto. Dux *Mommorantius*, vivus in castris captus, Tolosæ capite plexus est. *Gasto*, Dux Aurelianensis, parum honestis conditionibus cum Rege fratre pacisci coactus, in Belgium refugit, ubi tandem pudore simul ac dolore pressus, & officii, quo erga Regem fratrem suum obstringebatur, recordatione commotus, ad Regis pietatem recurrit, benignissimeque auditus, insalutatis hospitibus suis, quasi ad venationem profecturus, cum solis sex viris secreti participibus in Galliam incitatis equis rediit anno 1634. & a Rege fratre suo amantissime fuit exceptus. Hunc exitum habuit infesta illa conspiratio contra Cardinalem *Richelæum*, quem, dum conjurati deprimere conati sunt, extulerunt magis. Illum quippe Rex *Ludovicus* XIII. exinde pluris fecit, expertus singularem ejus in gerendis negotiis prudentiam, seque deinceps illi, Regnumque administrandum permisit, frementibus licet multis invidiæ æstro percitis, & ad elevandam ejus auctoritatem nullum non moventibus lapidem, quorum tamen clandestinas machinationes Cardinalis *Richelæus* variis artibus & mirabili politices genere aut elisit, aut compescuit.

Anno 1633. Gallorum Rex *Ludovicus* XIII. bellum movit contra *Carolum* hujus nominis IV. Lotharingiæ Ducem, qui novas turbas ciebat, eique nolebat clientelam profiteri, seu reddere homagium pro Ducatu Barrensi, quem beneficio Coronæ Franciæ Rex possidebat. Exercitu a Rege Christianissimo misso, tertius Lotharingiæ Dux protinus fratrem suum *Nicolaum Franciscum* Cardinalem obviam misit pro reconciliatione. At, Rex *Ludovicus*, qui probe noverat versatile Ducis Lotharingiæ ingenium, jussit primum, ut Ducatus Barrensis sub manum Regiam poneretur; deinde, Lotharingiam ingressus, multa cepit Oppida, ipsamque Nanceiam Urbem, totius Ducatus Metropolim, obsidione cinxit, quam Dux omnis inops consilii, post multas tergiversationes, volens nolens, suadente Cardinali *Richelæo*, Regi tandem consignavit. At sequenti anno, seu 1634. *Carolus* Lotharingiæ Dux iniquo animo ferens, quod suis ditionibus a Rege *Ludovico* XIII. fuisset spoliatus, fratri suo *Francisco Nicolao* Cardinali Ducatum suum Lotharingiæ, aliasque ditiones instrumento publico facto Mirecurti die xix. mensis Januarii an. 1634. tradidit, ipse vero Mediolanum apud Cardinalem *Ferdinandum* Austriacum, *Philippi IV.* Regis Hispaniæ fratrem, se contulit. Ex facta cessione, *Franciscus Nicolaus* Cardinalis frater *Caroli* Ducis Lotharingiæ, duxit in uxorem *Claudiam* sororem *Nicolaæ*, quæ conjux erat *Caroli* Ducis Lotharingiæ, & a qua (utpote legitima Ducatus Lotharingiæ hærede a Patre suo *Henrico* Lotharingiæ Duce, qui absque mascula prole obiit, relicta) Ducatum Lotharingiæ acceptum tenebat *Carolus* Dux, ejus maritus. Istius cessionis nullam rationem habuit, nec ab armis discessit Rex *Ludovicus* XIII. sed universam absque certamine Lotharingiam intra paucos dies in deditionem accepit, eamque retinuit usque ad annum MDCXLI. quo *Carolus* IV. Lotharingiæ Dux mense Martio Parisios venit, a Christianissimo Rege *Ludovico* veniam impetravit, eique Sacramentum Clientelare præstitit pro Ducatu Barrensi, Regni Gallici feudo, & Comitatum Claromontanum, necnon aliquot urbes cessit Coronæ Francorum; quibus peractis, & hinc inde Instrumento publico, ac juramento firmatis, *Carolus* Dux Lotharingiam recuperavit, qui tamen vix in eam appulsus, (cum esset Princeps quietis impatiens, & in dictis ac promissis parum sibi constans) fidem datam violavit & ad suum genium rediit.

Superius mentionem fecimus Belli Italici, quod Christianissimus Rex *Ludovicus* XIII. imperante *Ferdinando II.* gessit ad tuenda jura *Caroli Gonzagæ*, Ducis Nivernensis, qui & jure agnationis, & ultima declaratione *Vincentii*, Ducis Mantuani, mortui an. 1627. in hæreditatem Principatum Mantuæ, & Montis ferrati successerat, & Mantuæ magno applausu fuerat receptus. Huic juri ac possessioni *Caroli*, Ducis Nivernensis, statim intercesserunt Dux Sabaudiæ, qui in Montemferratum jus antiquum sibi asserebat, & *Ferdinandus Gonzaga Guastalli*, qui totam *Vincentii*, Ducis Mantuani, hæreditatem sibi deberi pertendebat. Germani, & Hispani *Carolo* Duci Nivernensi, Natione Gallo, totis viribus obsistebant, indeque Germani Mantuam an. 1630. invaserunt, diripuerunt, ejusque cum sacras, tum prophanas Ædes impune compilarunt. Hispani vero, collecto numeroso exercitu, aliquot urbes in Monteferrato ceperunt, & *Casale* (Oppidum totius Italiæ munitissimum) obsidione cinxerunt. His non deterritus Rex Christianissimus *Ludovicus* XIII. Pinerolium, fortissimum Ducis Sabaudiæ

præsidium, occupat, & universam Sabaudiam, præter Arcem Momelianam, intra viginti duorum dierum spatium, in suam potestatem redegit. Deinde, sub ipsum Oppidi *Casalis*, Hispanorumque conspectum castra posuit, sed, cum jam Gallica & Hispanica acies in procinctu essent ad præliandum, *Julius Mazarinus*, qui fuit postea S. R. E. Cardinalis, ultro citroque commeans, Hispanos Gallis feliciter conciliavit, eosque ab armis & cruore deduxit ad concordiam & pacem, quæ anno 1631. constituta est, & cujus hæ conditiones fuerunt; primo, ut Urbs Mantua cum reliquis omnibus Oppidis & locis illius Principatus & Montisferrati restitueretur *Carolo* Duci Nivernensi, exceptis tamen nonnullis locis Montisferrati, qui Duci Sabaudiæ, & aliquot Principatus Mantuani locis, qui Principi Guastallensi reservabantur & assignabantur. Secundo, statutum est, ut Duci Sabaudiæ fieret restitutio Sabaudiæ, Pinerolii, & aliorum locorum, quæ Galli in Pedemontio tempore belli occupaverant. Post quorum omnium factam a Gallis restitutionem, Rex Christianissimus *Ludovicus* XIII. a Duce Sabaudiæ, pecunia numerata, obtinuit Pinerolium cum valle Perosa, ut liberum in Italia haberet transitum, quandocumque opus foret ad auxilia fœderatis & amicis suis deferenda. Denique decreta est demolitio Arcium & Propugnaculorum in *Valle-telina* (quæ a Rhetis, quos *Grisones* vocant, incolitur) ejusdemque Vallis-telinæ restitutionem Grisonibus fieri debere præcipitur. Hunc exitum habuit Italica illa Expeditio, in qua Galliarum Rex *Ludovicus* XIII. sibi nihil reservavit præter gloriam & famam maximæ æquitatis ac fidei in Socios, quorum securitatem privatis suis commodis atque opibus antiquiorem duxit.

Præter hæc cum domestica, tum externa Bella, quæ feliciter confecit *Ludovicus* XIII. Galliarum Rex, aliud longe gravius ac diuturnius cum Augustissima Domo Austriaca tam in Imperio, quam in Ditionibus Hispaniarum Regis suscepit idem Christianissimus Rex, in quo pugnavit vario marte. Anno siquidem 1635. Marescalli *Castellonius* & *Bressæus* Hispanos, quibus præerat Princeps *Thomas* Sabaudus, ad Aveinam in Belgio fuderunt ac debellarunt. In Germania eodem anno Dux *Vimarius* & Cardinalis *a Valetta* quinque hominum millia ex eo Cæsareo exercitu, cui præfectus erat Comes *Galassius*, occiderunt. Dux *Robaneus* octo fere millia, Marescallus *Gassioneus* sex millia cecidit, millia & quingentos Equites cepit. At sequenti anno, seu 1636. non ita Gallis fortuna prospera fuit. Nam Princeps *Thomas* Sabaudus *Royam* ac *Corbejam* expugnavit, amnemque Somonam transiit. *Joannes Vertensis*, unus ex Imperatoris exercitus Præfectis, Picardiam, Campaniamque ita armis infestabat, ut Lutetiam Parisiorum in angustiis poneret & Civibus summum incuteret timorem. Ad has itaque cohibendas hostium incursiones missus est, cum exercitu in Belgium *Gasto*, Dux Aurelianensis, & Christianissimi Regis *Ludovici* XIII. frater, qui Hispanos cis amnem Somonam receptui canere compulit: multaque Oppida absque ullo certamine in deditionem suam recepit. Dum hæc in Belgio gerebantur, Germani, secundam fortunam experti, *Tabernam*, Alsatiæ Civitatem, Magdeburgum, & Moguntiam, quamvis eorum conatibus Cardinalis a *Valetta* & Dux *Vimarius* strenue obsisterent, receperunt, Principem *Condeum* inceptam Urbis *Dolæ* obsidionem solvere coegerunt, & superato Arari fluvio, ad Ladonam oppugnandam accesserunt, quam tamen a Duce *Vimario*, & a Cardinali *a Valetta* incredibili fortitudine defensam expugnare non potuerunt. Ad Gallos sequenti anno, seu 1637. fortuna reversa est. Cardinalis *a Valetta*, & *Dux* Candalensis, ejus frater, *Capellam*, *Landrecium*, *Castellum Cambresium* in Belgio, Christianissimi Regis ditioni restituerunt. Marescallus *Vitriacus*, Gallo Provinciæ Præfectus, Hispanos expulit ab Insulis Sancti *Honorati*, Sanctæ *Margaritæ*, ac *Lerinæ* prope Massiliam, quas per occultam proditionem aliquot annis antea invaserant. Dux tamen *Robaneus*, a Rege *Ludovico XIII.* ad opem Rhætis, seu Grisonibus, contra Hispanos ferendam in *Vallemtelinam* cum copiis missus, nihil omnino promovere potuit, & ab illa gente, eum suspectum habente, eo quod in eorum terris quædam Castella extrui jussisset, coactus est una cum suis copiis quamprimum ab illo agro discedere. Galli prioribus victoriis novas anno MDCXXXVIII. adjunxerunt, plures in Belgio Urbes ceperunt, sed Urbem, dictam *Sanctum Odomarum*, & *Fontarabiam*, quam obsidione cinxerunt, occupare non potuerunt. Duplicem eo anno Victoriam Navalem retulerunt Galli, unam ad Genuam, Duce *Harcuriano* Classis Præfecto, alteram, Burdigalensis Archiepiscopi ductu. Sed præ ceteris Gallorum victoriis ea potissimum celebrari debet, quam retulit Dux *Vimarius* ad *Rhinsfeltum*, quæ urbs est infra Helvetios, Agnionem inter & Rhenum sita. Hic autem Dux *Vimarius* ægerrime ferens, quod paulo ante ejus exercitus a *Joanne Vercensi*, præcipuo Imperatoris exercitus Duce, fuisset deletus, & hanc sibi illatam contumeliam ulcisci volens, ad hostes noctu accessit, eos incautos oppressit, ac penitus profligavit die tertia mensis Maji an. 1638. Capti sunt eo prælio quatuor Imperatoris exercitus Duces *Joannes Vertensis*, *Savellius*, *Enckenfordius*, & *Speryuterus*. Expugnata deinde *Rhinsfeltum*, *Friburgum* Brisganoviæ Caput, & *Brisacum*, quæ in potestatem Gallorum venerunt. Necdum tamen finis impositus huic Bello, quod per aliquot annos adhuc prorogatum est, eoque durante, detecta est a Cardinali *Richelæo* arcana quædam Conspiratio, seu Societas, quam Dux Suessionensis, Dux *Bullonius*, & Marchio, dictus *Cinqmarius*, cum Hispanis inierant. Sed Dux Suessionensis in prælio, commisso in campo Marpheo prope Sedanum, plumbeo globo interfectus est die XIII. Martii an. 1641.

Bul-

Bullonius vero, ut se ab impendenti periculo eriperet, Sedani Principatum, qui in sua ditione erat, Regis arbitrio permisit. Marchio *Cinqmarius*, qui Narbonæ comprehensus est, capite Lugduni mulctatus fuit, una cum Domino *Thuano*, qui licet hujus conjurationis exors esset, ei tamen Consilium suum Marchio *Cinqmarius* crediderat, quod cum ille non aperuisset, eodem affectus est supplicio, quod ipse forti ac Christiano tulit animo.

D. Mittamus, si placet, hæc prophana Bella, quæ Rex Christianissimus *Ludovicus* XIII. pro vindicandis suæ Coronæ juribus magna cum animi fortitudine gessit, & in his duntaxat hæreamus monimentis, quæ ejus pietatem, ceterasque Christianas virtutes, quibus præditus fuit, commendare possunt.

M. Longior essem, si omnes virtutes, quibus præfulsit *Ludovicus* XIII. cognomento *Justus*, hic persequi vellem. Sufficier paucas ex omnibus ejus virtutibus, quas in tam angustiis hujusce Colloquii spatiis includere non possum, libare ac perstringere, ut ex iis ceterarum conjecturam & existimationem facile informare possis. Harum porro prima hæc ordine ac commemoratione debet esse, quæ est dignitate princeps, pietas adversus Deum ac Religio, a quo fonte tot illa maximarum ejus virturum decora atque insignia profluxerunt. Pietatem suam erga Deum palam declaravit *Ludovicus XIII.* dum ad divini numinis, ac Sanctorum contumeliam effusam quorumdam linguæ petulantiam acutiore Edictorum suorum stylo confixit, & ad tutandam Catholicam Religionem, quam Hæretici Calviniani totis viribus obolere in Galliis studebant, omnem curam ac regiam auctoritatem contulit. A Religione Regni duxit initium: & statim Lege publica decrevit, ut in Bearnensi Provincia, quæ ad radices Pirenæi sita est, Catholicus cultus ubique restitueretur, & ut hæretici erepta Ecclesiis bona incunctanter redderent. Ex omnibus pene Galliæ urbibus ejecti Hæretici Calvinistæ, Rupellam tamen adhuc tenebant, Urbem tum loci natura, tum manu & arte sic munitam ut inexpugnabilis haberetur: Ibi dominabantur Hæretici, imperare docti, qui nunquam parere didicerant. Administrabant omnia summa auctoritate. Cœtus Provinciales indicebant, publica Comitia convocabant, militem cum domesticum, tum externum conscribebant, ferebant Edicta, imperabant pecunias, & ut facilius ab exercitu Regis Christianissimi sese tueri possent, Anglos evocarunt, qui an. 1627. cum Classe centum & viginti Navium ad *Rheam* Insulam appulsi, a Catholico Regis Christianissimi exercitu, cui præerant Marescalli *Scomgergius*, & *Toirasius*, viri strenui, ac rei militaris apprime callentes, confestim cæsi ac fugati, e tota Insula abierunt, excesserunt, eruperunt. Verum, nihil ea victoria actum videbatur, quandiu illa contemptrix legum, & dominatus impatiens Rupella a rebellibus & Hæreticis occuparetur. Quapropter, Rex *Ludovicus* XIII. adjuncto sibi Cardinali *Richelæo*, consiliorum suorum participe, hanc urbem eodem anno 1627. aggreditur, eamque operibus ac munitionibus, sed præsertim stupendis, & ante hac nunquam visis mollbus per Oceanum actis, circumseptam ac interclusam ita toto anno tenuit, ut fame enecti cives reptarent in compitis macilenti, sine carne pelles, exanguia silicernia, tenues umbræ, pallida mortis exordia, verbo dicam, Viri non tam Viri, sed ferales hominum larvæ. Proh funestum, tragicumque spectaculum! Tandem, Rupella tot oppugnata calamitatibus, ac extrema quæque perpessa, sese die 30. mensis Octobris anni MDCXXVIII. Regi Christianissimo permisit, eaque victoria *Ludovicus XIII.* Regnum Galliæ opprobrio, Catholicam Religionem ab hac detestabili peste liberavit, suamque singularem in Deum pietatem aperte demonstravit. Sed quo in Dei venerationem & amorem se propensiorem exhibebat Rex *Ludovicus XIII.* eo erat justitiæ amore desiderioque flagrantior. Unam præ ceteris amplexus est, adamavitque justitiam, eam præcipue adoptavit ab eaque titulum sibi ac cognomentum ascivit, dumque alii Principes, Reges & Imperatores appellari gestiunt *Magni*, *Pii*, *Felices*, *Augusti*: *Justum* & esse & nominari voluit *Ludovicus XIII.* & in colenda servandaque justitia ceteris omnibus vehementer optavit excellere. In sanciendа Legum auctoritate, ac retinendo jure adeo constans erat, ut nihil aut obtineri per gratiam, aut per metum expugnari aut impetrari precibus, aut utilitatis aliqua spe remitti ac condonari pateretur. In dandis Beneficiis, ad hoc omni conatu, totisque viribus enitebatur Christianissimus ille Rex, ut Sacrorum Ministri, ac Religionis Antistites, quos nominabat, essent quam doctissimi, & necessariis artibus expoliti, sicque Ecclesia Gallicana haberet celeberrimos ac præstantissimos Pastores, eorumque copia, Doctrina, & auctoritate floreret. Singularia certamina, quæ Duella vocant, & quibus turpissimi Gladiatores, immo Grassatores ac Sicarii mutuis sese cædibus ac parricidiis conficiebant, saluberrimis Edictis, ac severiorum legum disciplina ita composuit & extinxit *Ludovicus XIII.* ut infiniti illius mali, quod in Galliis serpebat in dies, ac manabat latius, nullum amplius superfit vestigium. Post hæc, & alia ejusmodi, quæ, brevitatis ergo, silentio prætermittere cogor, præclare gesta, sancte, ut vixerat, obiit ille Christianissimus Rex, de Ecclesia, & Galliarum Regno optime meritus, die xx. Maji anni MDCXLIII. annos natus duos & quadraginta, postquam per triginta tres annos regnasset. Ejus mater, *Maria Medicea*, e Galliarum Regno, ut jam diximus, ejecta & exul, variisque tempestatibus acta, & rerum omnium in suo exilio egena, jam anno superiori, seu die 3. Julii anno 1642. e vivis excesserat, sed illius corpus, ubi primum fato concessit, in Urbem *S. Dionysii* prope Parisios ubi est sepulcrum Regum, Card. *Richelæus* deportandum curavit.

D. Quem successorem reliquit *Ludovicus XIII.* Galliarum Rex?

M. *Ludovicus XIII.* Regni Galliarum successorem reliquit filium suum *Ludovicum* hujus nominis XIV. quem ex *Anna Austriaca*, Regina conjuge sua, & *Philippi III.* Hispaniarum Regis filia, post viginti & tres sterilitatis annos, die V. mensis Septembris anni 1638. susceperit tanquam mercedem pietatis suæ, qua eodem anno se, Regnumque suum Beatissimæ *Mariæ* Virgini in Festo ejusdem Virginis Assumptæ sese devoverat. At, cum *Ludovicus XIV.* mortuo patre suo *Ludovico XIII.* natus esset dumtaxat annos quatuor, menses octo, & dies novem, Galliarum Regni administrationem suscepit *Anna*, Regina Mater, quæ Consilii Principem, ac primum Regni Ministrum elegit Cardinalem *Mazarinum*, cujus industriam, ingenium, ac prudentiam probe noverat. Historici, qui Regis *Ludovici XIV.* res gestas litteris consignarunt, illum exhibent fulminantem ad Rhenum, intonantem ad Africæ littora, in Hispania, in Italia, in Anglia, in Belgio triumphatorem, nutu omnia & supercilio concutientem, ab omni prope lacessitum Europa, nihilominus Europæ & Victorem & Arbitrum. Referunt domitas ab eo intra mensem alterum, & subactas bello Provincias, innumeras arces vel expugnatas armis, vel in deditionem acceptas, nunc hostes suis e castellis & aggeribus per vim ejectos, nunc fœderatos Reges in Oppida restitutos, unde vis illos inimica dejecerat; uno verbo, ea *Ludovici XIV.* bellicæ fortitudinis ad superiorum temporum invidiam, ad sequentium admirationem portenta percensent & extollunt, quæ egregiam, & heroicam ambitionem, quantumvis immensa fingatur, abunde explere possent. At ipse, licet fatear ultro magnis præconiis celebrandas esse Regis *Ludovici XIV.* victorias, quas mox, juxta seriem temporum, breviter descripturus sum, illum tamen in his, quæ ad extirpandam penitus, serpentem in Galliis, Calvinistarum Hæresim, augendumque cultum divinum, Christiano ac Religioso animo gessit, longe potiori laude dignum esse judico. Inciperiam porro a Bellis, quibus *Ludovicus XIV.* statim post obitum patris sui implicitus fuit, potissimum Bello Hispanico, quod jam a Christianissimo Rege *Ludovico XIII.* inceptum, Gallos inter & Hispanos tum temporis maxime fervebat, Hispani, ob Regis *Ludovici XIV.* pueritiam, animos in magnam spem erexerant, sibi a Gallis illatas resarciendi clades. Sed spe sua delusi sunt. Dux quippe *Enguinensis*, Principis *Condæi* filius, Hispanos, qui *Rocrojum* Urbem obsidebant, aggressus cum Marescallis *Hospitalio* atque *Gassionæo*, commisso juxta urbem obsessam certamine, eos maxima clade delevit die XIX. mensis Maji anni 1643. & statim hæc Civitas ab obsessione liberata est, proximeque secutæ *Malgobii*, *Theonis Villæ*, aliarumque Urbium expugnationes, sed præsertim clades Hispanicæ Classis, quæ in ipsius Carthaginis Novæ conspectu a Gallis die III. Septembris ejusdem anni profligata fuit. Nec minus feliciter anno sequenti, seu 1644. in Belgio & in Germania pugnarunt Galli. In Belgio siquidem Dux Aurelianensis *Gravelinam* cœpit, Marescallus *Gassionæus* invasit *Mardikum*, *Lentkium*, & *Vinox-Bergam*. In Germania vero Dux *Enguinensis* cum Marescallo *Turennio* insignem victoriam ad Friburgum obtinuit, indeque *Philippoburgum*, *Spiram*, *Vormantiam*, *Moguntiam*, aliasque Urbes & Arces suam in potestatem redegit. Cladem Galli cum Duce *Turennio* die XIII. mensis Maji anni 1645. acceperunt, sed eam tribus victoriis eodem anno resarcierunt. Primam victoriam retulit Comes *Harcurianus* in agro Laurensi. Altera potitus est Princeps *Thomas*, Regii exercitus Dux, in transitu Cariniaci, ubi omnes Hispanorum copias cum exercitu multo minore debellavit. Postremam victoriam reportavit ad *Norlingenam* in Germania Dux *Enguinensis*. Eodem anno 1645. Marescallus *Turennius* urbem Trevirorum cœpit, & Electori Trevirensi pristinam dignitatem cum libertate restituit. In Catalaunia Comes *Plesseus Praslinus* Rhodam, quæ penes Hispanos erat, expugnavit, & in Lotharingia Dux a *Villa Regia* urbes *Rottemburgum*, & *Mothum* occupavit. Pari felicitate anno sequenti, seu 1646. militarunt Galli, Dux Aurelianensis, *Mardikum*, & *Lentkium*, quæ Hispani receperant, pluresque in Belgio civitates cepit. Dux *Enguinensis* Urbes *Cortracum*, *Furnas*, *Dun Kerkam* invasit, & in Italia Galli *Orbitello*, *Piombino*, & *Portolongono* potiri sunt. Eo felicitatis cursu usi sunt Galli in Bello Hispanico, quod duravit ad annum usque 1659. quo tandem diu exoptata pax coaluit Hispanos inter & Gallos, cujus vinculum fuit *Mariæ Theresiæ* filiæ natu majoris *Philippi IV.* Hispaniarum Regis cum Christianissimo Rege *Ludovico XIV.* matrimonium. Sed antequam ea describam, quæ Rex *Ludovicus XIV.* post initum cum *Maria Theresia* matrimonium gessit, prætermittere non debeo graves turbas, quæ, eo adhuc sub tutela *Annæ* Reginæ matris regnante, in Galliis obortæ sunt, occasione Cardinalis *Mazarini*, quem, post obitum Cardinalis *Richelæi*, primum Galliarum Regni Ministrum elegerat *Anna* Regina mater. Principes aliquot, Cardinali *Mazarino*, qui in Regis, necdum sui juris, pectus & animum altius penetrarat, vehementer infensi, suæque ambitioni, ut sæpe inter Regum tutelam contingere solet, servire volentes, in populorum induxerunt animos, se puero Regi, totique adeo Regno magnam allaturos utilitatem, si Cardinali *Mazarino*, primo Galliæ Ministro, obsisterent ac repugnarent. Hinc populi tumultuari cœperunt, & subita atque inexpectata omnium mutatione, exarserunt Gallorum odia in Cardinalem *Mazarinum*, in quem, ut in scopum, collineabat civile istud Bellum, a nonnullis Principibus anno 1649. excitatum, quod paulo post in speciem sopitum, vehementius recruduit anno 1650. quo Principes *Condæus*, *Contius*, & *Longovillæus* conjecti sunt in carcerem. Actutum siquidem,

dem efferati populi concurrerunt ad arma, præsertim in Aquitania, Burdegalensibus pro Principe *Condæo*, suo Prætore, velut pro aris ac focis, certantibus. Tandem anno MDCLI. tres illi Principes e custodia soluti Parisios redierunt, eisque cum festivis gratulationibus obviam venit effusa universa Parisiensis Civitas, sed derivatum periculum ruit in Cardinalem *Mazarinum*. Rex quippe animadvertens, in hunc Cardinalem accensa esse Gallorum odia, eum jussit tempori cedere, qui confestim præcepto Regis morem gerens ad Gratiæ portum se recepit, inde Sedanum, ac denique Agrippinensem Coloniam, amœniores soles expectaturus, concessit. Per absentiam Cardinalis *Mazarini* Rex *Ludovicus* XIV. delibato ætatis suæ anno decimo quarto, juxta Regni mores, sui regiminis, & totius Regni compos in Senatu Parisiensi fuit declaratus. Aberant tamen ab ea solemni cæremonia Principes *Condæus*, & *Contius*, qui discrimen causantes novi carceris, secesserant Burdigalam ille, hic ad Bituriges, Bellumque Civile instaurarunt cui, velut camino, oleum addidit reditus Cardinalis *Mazarini*, quem Rex in Galliam anno 1652. accersiit. Hunc reditum Cardinalis *Mazarini*, qui gloriosior in Gallias postliminio redierat, quam contemptior exierat, non solum illi Principes, sed etiam omnes Galli ægerrime tulerunt, Parisiensis civitas, ac plures Provinciæ in Regem insurrexerunt, quas tamen Rex in officium misit, ac tandem bellum civile, occasione Cardinalis *Mazarini* in Gallia excitatum, consopivit anno MDCLIV. quo Princeps *Contius* Aquitaniam cum Burdigalensibus Regi addidit, duxitque in conjugem Cardinalis *Mazarini* Neptem, magna certe hujus Cardinalis gloria, cujus sanguis etiam cum sanguine Regio miscebatur. Eo finito civili Bello, & Cardinali *Mazarino* mortuo anno 1661. Rex *Ludovicus* XIV. Regni sui clavum gubernare voluit, & ex eo tempore res ita feliciter atque ex voto cesserunt, ut Rex victoriam quasi perpetuo sibi addictam habere videretur, indeque jure optimo dictus *Ludovicus Magnus*. Eo itaque anno *Ludovicus* XIV. qui jam anno 1654. fuerat Rhemis inauguratus, publicam rem sui Regni gerere cœpit, illiusque tractandæ ab ærarii administrorum disquisitione duxit initium. *Fuquetium*, ærarii Præfectum, qui jamdudum in suspicionem male administrati ærarii venerat, Nanneris comprehensum, perpetuo carceri mancipari jussit, & in ejus locum *Colbertum*, Regiorum Vectigalium inspectoris nomine donatum, sufficit. Bellum Hispanis anno 1667. indixit Rex Christianissimus ob prætensa iii Belgium jura nomine Reginæ uxoris suæ, quam post mortem *Philippi* IV. Hispaniarum Regis veram Belgii hæredem esse pertendebat, hucque ducto numeroso exercitu, confestim *Bincham*, *Atham*, *Armentarias*, *Corracum*, *Bergam*, *Furnas*, *Duacum*, *Aldenarias insulas*, *Tornacum*, aliasque Belgii urbes & Arces expugnavit, & anno sequenti, seu 1668. totum Burgundiæ Comitatum invasit, qui tamen munitissimis oppidis defendebatur. Eo felici Regis *Ludovici* XIV. armorum successu territi Hispani pacem efflagitarunt, quæ die 11. mensis Maji anni 1668. constituta est, ea lege, ut *Ludovicus* XIV. Comitatum Burgundiæ Regi Hispaniæ restitueret, & urbes, quas in Belgio armis subegerat, retineret. Sed hæc sancita pax diuturna non fuit. Stupendus siquidem ille victoriarum tenor Batavos Belgio vicinos, invidiæ stimulis percitos, urebat, qui subinde, ut rapidos Victoris cursus retardarent, fœdus, quod appellarunt triplex, inierunt cum Imperatore, & Hispaniarum Rege, quod tamen ipsis infeliciter cessit, parumque absuit, quin fœderatæ Batavorum Provinciæ a Rege *Ludovico* XIV. penitus delerentur. Orsus est anno 1672. in Batavos bellum Rex *Ludovicus Magnus* tribus exercitibus, in quibus centum viginti millia militum stipendia merebant, eaque felicitate per duos menses Batavos devicit, totque munitissimas eorum urbes cepit, ut de Batavorum Provinciis fœderatis omnino actum fuisset, si subsecuta hyems paulo acerbior fuisset. Decreverat quippe Rex, moles fluctibus oppositas, quibus ad plerasque ipsorum urbes aditus intercluditur, glacie reptando invadere. In Germania anno sequenti, seu 1673. Rex *Ludovicus Magnus* Colmariam, Scelestadium, & reliquas Alsatiæ urbes ditionis suæ fecit, *Trajectum*, munitissimum totius Europæ præsidium, ad deditionem compulit, & Trevirensem civitatem jugum subire coegit. Comitatum Burgundiæ Anno 1674. occupavit, per Vicecomitem *Turennium* plures in Germania victorias reportavit. Urbes *Condæum*, & *Buchainum*, aliasque in Belgio urbes anno 1676. *Valencenam* Urbem, *Cameracum*, & *Audemaropolim*, urbes itidem in Belgio, anno 1677. suo dominio adjecit, eodemque anno exercitum Principis Arausicani in Belgio fudit ac debellavit, atque in Germania per Marescallum *Criquium*, victo Cæsareo exercitu, *Friburgum*, primariam Brisgoviensis Provinciæ urbem, in deditionem recepit. Sub initium anni sequentis, seu 1678. actum est de conditionibus pacis, quæ, cum nec Regi Christianissimo *Ludovico Magno*, nec fœderatis arrisissent, accelerata profectione Rex *Ludovicus* exercitum in Belgium, belli ludum ac theatrum, duxit, nullaque interposita mora urbes *Gandavum*, & *Ipram* obsidione ad deditionem coegit. Tandem, eodem anno Noviomagi die x. mensis Augusti sancita est pax, quæ tamen cum necdum fuisset publicata, Princeps Arausicanus, cujus e re maxime erat bellum protrahere, finxit se altissima initæ pacis inscitia teneri, & statim Marescallum *Luxemburgum*, a quo sæpius cæsus fuerat, ad *Sanctum Dionysium* non procul a Montibus in Hannonia aggressus, commisso quinque horis cruento prælio, cum magno exercitus sui damno a Gallis repulsus est, & pacem, quam mala fide frangere in animo habebat, abrumpere minime potuit, hærente Rege Christianissimo in proposito restituendæ publicæ tranquillitatis. Piratas

ratas Africanos, seu Algerienses, qui se nullis aliis partibus exercent quam latrociniis & deprædationibus, quas in omnes populos agunt, *Ludovicus Magnus* an. 1684. bombardarum fulminibus attritos perdomuit, eodemque anno *Genuam*, Urbem totius Italiæ elegantissimam, ob illatas regiæ dignitati contumelias, Bombardis itidem incendi jussit, cujus iram ut placaret Respublica, Dux Genuensis, comitibus quatuor Senatoribus, anno 1685. Reipublicæ nomine veniam supplex deprecaturus, atque Regis solicitaturus clementiam, Parisios venit. Dum sic in dies cresceret Regis *Ludovici* XIV. potentia, Bello, post homines natos gravissimo, acerbissimoque odio imbuto, tota in ipsum conjurata Europa, anno 1689. impetitum est Galliæ Regnum. Germani, Hispani, Angli, Batavi, Sabaudi collectas undique vires, veluti dato signo, facta conjunctim impressione, unoque impetu in florentissimum illud Regnum simul effuderant. At Europæ simul irrumpentis molem atque impetum omnem solus sustinuit *Ludovicus Magnus*, eaque felicitate intentos Fœderatorum nervos elisit, ut vagam antea, volubilemque Belli fortunam, tot prosperitatum ac Victoriarum cursum sibi visus sit oppigneraſſe. *Philippoburgum*, Germaniæ arcem munitissimam, suo statim adjunxit imperio. *Sabaudiam*, *Salussas*, *Segusium* & Pedemontis partem Gallici juris fecit. *Nicæam*, *Orgelium*, *Montes Hannoniæ*, *Montemque Melianum*, *Namurcum*, *Furnas*, *Rhodas*, *Caroloregium*, *Gerundam* & Catalauniæ partem subegit. Hostes suos variis præliis superavit, *Fleursii* perculit, fregit *Staphardiæ*, *Steinkerkæ* fudit, *Nervindæ* contudit, *Marsaliæ* labefactavit; eorum Classem fudit in Oceano Britannico, & in Gaditano Freto eam qua cepit, qua depressit, qua incendit. Sic *Ludovicus* XIV. tam per se, quam per suos Duces *Luxemburgum*, *Villaregium*, *Noallium*, *Catinatium*, *Rorgium*, & *Torvillæum* perpetuo victoriarum cursu singulos hostes terra, mari, consilio, manu, fortuna, virtute, opibus & animis vicit. Plura non dicam de Victoriis *Ludovici Magni*, quia earum cursum non sustinet stylus, non vox, non lingua, non animus sequi potest. Hinc non mirum, si Fœderati Regis hostes, tot rerum feliciter gestarum magnitudine perculsi, ad Generalis pacis conditiones tandem aliquando deflexerint. Dux Sabaudiæ, ut superius jam observavimus, pacem iniit cum Christianissimo Rege anno 1696. & anno sequenti, seu 1697. Pax constituta est Franciam inter, Hispaniam, Angliam, Hollandiam, & Germaniam. Postremo, *Caroli II.* Hispaniarum Regis mors, quæ anno MDCC. contigit, novi & atrocissimi Belli materiem suppeditavit. Volens quippe *Ludovicus XIV.* defendere, ut par erat, jura Nepotis sui *Philippi V.* qui ad Hispaniarum thronum accitus, Rex ab Hispanis fuerat acclamatus, contra Germanos, Anglos, Batavos, Sabaudos, & Lusitanos diurnum coactus est suscipere bellum, in quo tamen, ut mox dicemus agendo de *Philippo V.* Hispaniarum Rege, solita in re militari felicitate destitutus, sub finem vitæ suæ expertus est, quam sit varius bellorum commutabilisque exitus, quam vaga & inconstans fortuna, quæ ut perhibent Philosophi, saxo globoso ac perpetuo volubili instat.

D. Jampridem audieram, *Ludovicum XIV.* fuisse Regem multis rebus a se præclare gestis celebrem, innumeris victoriis perfunctum, hostium terrorem, amorem suorum ac decus, ejusque vitam fere semper extitisse rerum secundarum continuam seriem, & prodigiorum nunquam intermissum ordinem. At hæc, quantumcumque magna sint, ubi tamen peribit orbis, & horum quoque memoriam extirpari funditus & extingui oportebit. Satius itaque est, ut nunc breviter describas ea, quæ pro amplificanda Catholica Religione, & penitus profliganda Calviniana in Galliis Hæresi egit Rex *Ludovicus XIV.* Hæc siquidem vera illius laus est, quæ nec temporum vicissitudini est obnoxia, nec fortunæ regitur impetu, sed æternum stabit, & ad immortalitatem famæ multo plus gloriæ huic Christianissimo Regi conciliabit, quam dum, debellatis elementis & hostibus, terra marique pro nutu imperavit.

M. Memor *Ludovicus XIV.* se Regale conscendisse Solium, ut in eodem Catholica Fides collocata toti Regno dominaretur, in id totus incubuit, ut deleta prorsus in Galliis Calviniana Hæresi, Ecclesiam Catholicam erigeret, & errantibus immortalitatis aditum ac salutis aperiret. Primum mitioribus consiliis usus est, institutionibus, mansuetudine, præmiis, eos, quos impia superstitio deluserat, revocare tentavit, sed frustra. Coactus est tandem priorum Imperatorum vestigiis insistens, contumaces animos tubarum clangore, militari strepitu, armorum fragore excitare, eosque compellere ad fidem Catholicam amplectendam. Et primo quidem Hæresim, foro, scholis, aula, castris & arcibus dejecit. Templa, quo conveniebant hæretici, subverti ac solo æquari jussit, districteque vetuit, ne in privatis ædibus sua Mysteria peragerent. Reges Christianissimi *Henricus Magnus*, & *Ludovicus Justus* hæresim Calvinianam in Galliis debilitaverant, nec omnino exscindere potuerant. Tanta erat id temporis Hæreticorum potentia & audacia, ut illi Sapientissimi Reges, qui sibi ac Regno impendentia majora mala timebant, compulsi fuerint quædam Edicta, *Nannetense* nimirum & *Nemausense*, promulgare, quibus hæreticis concedebant conscientiæ libertatem, Templa, arces munitas, & aditum ad publicas dignitates. At *Ludovicus XIV.* hæc infausta Edicta, quæ armata hæresis ab invitis Regibus extorserat, quæque adhuc metu servata vim suam obtinebant, Diplomate regio dato die XXII. mensis Octobris anni 1685. penitus abrogavit, quo uno facto sublatæ sunt fibræ omnes pestiferi hujus mali, Templa diruta, Arces destructæ, Pseudo-Ministri e Galliæ Regno

aba-

abacti, familiæ, Urbes, Provinciæ ad avitam Religionem convolarunt, cives Hæresim detestati sunt, sicque tandem superbum illud monstrum tot locis diffusum, centum capitibus repente succisis, nunquam postea revicturum concidit. Qua in re *Ludovicus Magnus*, si nullibi major videtur fuisse quam in Hæresi impugnanda, nullibi certe fuit, quam in ea expugnanda fortunatior. Quod enim antehac Galliarum Reges non potuerunt, id unus *Ludovicus XIV.* vix toto quadriennio, inspirante pietate, promovente sapientia, felicitate coronante perfecit, & Hæreticos Calvinistas in Galliis, quorum obfirmatam pervicaciam non *Henrici II.* severitas suppliciorum terrore domuerat, non *Caroli* IX. ardor & impetus quadruplici victoria fregerat, non *Henrici* IV. blanda popularitas, virtus & amor permoverat, non vis actuosa *Ludovici* XIII. tot obsidionibus vicerat, hos, inquam, pervicaces Hæreticos tum prudentia, tum fortitudine expugnavit, superavit, in ordinem redegit, & ad Ecclesiæ Catholicæ sinum feliciter revocavit Rex Christianissimus *Ludovicus* XIV. dignus proinde ad cujus gloriam in Annalibus Ecclesiasticis hæc verba scribantur: *Sicut Albigensis Hæresis, Calvinianæ Mater, a Ludovico* IX. *Rege Sanctissimo, ita Calviniana a Ludovico Magno, salvis Hæreticis, & ad Fidem Communionemque Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ operante Deo revocatis in Galliis extincta ac penitus exterminata est anno salutis* MDCLXXXV., *Regni ejus* XLIII. Præter istud *Ludovici Magni* in Catholicam Religionem studium, laudari merito debet eximia ejusdem Christianissimi Regis modestia, qua incruento Missæ Sacrificio interesse solebat utroque in terram genu defixo, intentis ad Aram oculis, & ut Sacris templis suus constaret honos, gravissimis pœnis in eos animadverti jussit, qui pessimo exemplo in templis, non secus ac in foro & in plateis ambulare audent, de negotiis suis domesticisque rebus conferre sermones, ridere, jocari, inconditos clamores & cachinnos attollere, lascivire, huc illuc contorquere oculos, agitare cervicem, garrire in alterius aurem & insusurrare nugas, quodque gravius est, & gemitu lacrymisque deplorandum, dum a Sacerdote attollitur cælestis Victima, Dæmonibus terribilis, & humano generi salutaris, impudentissimi illi homunciones uno in terram genu posito; altero, collineantis ad scopum instar, extento, Deo, vitæ ac mortis arbitro, oris sui ac frontis duritiem objicere non erubescunt. Hos, inquam, impios homines acerbis pœnis addixit Rex *Ludovicus Magnus*, qui etiam Duella profligavit, aliosque abusus, sanctissimis, quas condidit, Legibus compescuit, e suo Regno eliminavit, adeo ut vere appellari possit Pius, religiosus, Catholicæ Fidei fortissimus Vindex, defensor Templorum, custos salutis, Hæresis extinctor, & laborantis Ecclesiæ subsidium. Hujus Christianissimi Regis constantiam Deus, immissis sub ejus vitæ finem aliquot calamitatibus probare voluit, & primo quidem *Ludovicum*, Galliarum Delphinum, ejus unicum filium, undequinquaginta annos & dies quatuordecim natum, ex hac vita sustulit die XIV. mensis Aprilis anni 1711. Deinde, anno sequenti, seu die 12. mensis Februarii anni 1712. e vivis excessit *Maria Adelais*, Regiæ Sabaudiæ domus, conjux *Ludovici* Ducis Burgundiæ, tum temporis Galliarum Delphini, qui etiam die 24. ejusdem mensis annos natus triginta mortuus est, eumque proxime secutus est ipsius Primogenitus Galliarum Delphinus, qui obiit die VI. mensis Martii ejusdem anni, adeo ut (quod nunquam in Galliis visum fuerat) Delphinus, Delphina, eorumque primogenitus intra unius duntaxat mensis spatium in vivis esse desierint. Hanc cicatricem, quam Regi *Ludovico Magno* tot charorum suorum inopinati obitus inflixerant, necdum obductam redintegravit mors alterius ejus nepotis, Ducis videlicet Biterrensis, qui ex hac vita migravit die IV. mensis Maji anni MDCCXIV. Hanc gravissimam jacturam heroica constantia passus est *Ludovicus Magnus*, & rebus in adversis, sicut & in prosperis, æquam mentem jugiter servans, sese totum divino permisit arbitrio, ac tandem anno sequenti, alacri & impavido animo mortem adspexit, atque omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus, & in magnam spem veniæ a Deo obtinendæ erectus, cum incredibili fiducia, & heroica animi sibi bene constantis tranquillitate, ex hac vita abiit die 1. mensis Septembris anni 1715. postquam regnasset annos 73. Eum ex ista mortali vita sublatum *Clemens* XI. Pontifex Maximus impense in Consistorio laudavit, ejusque Christianam tam in vita, quam in morte pietatem, necnon beneficia, quæ contulit Ecclesiæ, celebravit elegantissima Oratione, quæ postea in lucem edita est, eritque virtutum *Ludovici Magni* perenne monumentum. Reliquit moriens *Ludovicus* XIV. Regni hæredem *Ludovicum* XV. annos duntaxat quinque & sex menses natum filium *Ludovici* Galliarum Delphini, qui ante Dux Burgundiæ vocabatur. Sub tutela *Philippi* Ducis Aurelianensis regnat nunc puer ille Regius, qui jam duodecimum ætatis suæ annum ingressus præclara eximiæ virtutis specimina præbet. Utinam! hunc Regium Puerum Deus, qui dedit, diu incolumem servet, eumque ad multos annos superstitem videant Galli. Utinam regius ille puer *Ludovicum* XIV. virtute exæquet, Galliam illustret, pacem conservet, hæreticos conterat, oppressos liberet, Ecclesiam protegat, Catholicam Religionem ubique amplificet, populum sibi a Deo creditum amet, & litteras, virosque litterarum cultores patrocinio suo foveat. Hæc sunt vota mea, hæ sunt publicæ omnium Gallorum Regio Puero *Ludovico* XV. fausta precantium acclamationes.

D. Galliarum Regum, quos mox laudasti *Ludovici Justi*, & *Ludovici Magni* in exterminanda Calviniana Hæresi zelus luculenter demon-

stat,

ſtrat, illos nomen Chriſtianiſſimi, quod habebant a Majoribus hæreditarium, ut proprium ſibi eſſet, iſta pietate perfeciſſe. Meminerant optimi illi Reges, hunc gladium, quo donati fuerant ſuæ inaugurationis die, non tam ad Regnî ſui, quam ad Reipublicæ Chriſtianæ fines proferendos, & ad Regnum ab hæretica pravitate illæſum Deo conſervandum accepiſſe. Verum, licet uterque Galliarum Rex, ob profligatam in ſuo Regno Calvinianam hæreſim, immortali laude dignus ſit, cenſeo tamen, Reges Hiſpaniæ, qui, ut nuperrime audivi, Hiſpaniarum Regnum ab hæreſi, quæ Sæculo 17. late graſſabatur, & alia Regna infecerat, purum illibatumque ſervaverunt, majorem promereri laudem. Horum itaque Hiſpaniæ Regum, qui de Religione Catholica tam bene meriti ſunt, res præclare geſtas, egregiaſque dotes paululum hic expendere debemus.

M. Poſtquam *Philippus II.* Hiſpaniarum Rex, Politicis in rebus adminiſtrandis eximius, in adverſis conſtans, conſilio ſagaciſſimus, & in defenſione Fidei Catholicæ vigilantiſſimus, fato functus eſſet die 13. menſis Septembris anni 1598. ſicut jam obſervavimus in Colloquio 1. in Hiſtoriam Sæculi XVI. *Philippus III.* ejus filius ſuperſtes unus ex pluribus, quos ex variis uxoribus *Philippus II.* ſuſceperat, Regnum Hiſpaniæ, annos natus viginti, gubernare cœpit. Pacem cum *Henrico IV.* Galliarum Rege *Philippus II.* Hiſpaniarum Rex, paulo antequam moreretur, conſtituerat apud Vervinos die 2. menſis Maii anni 1598. indeque regnante, poſt obitum patris ſui, *Philippo III.* Hiſpania & Gallia pace altiſſima fruebantur. Bellum tamen Hiſpani cum Batavis gerebant, eo quod *Albertus* Archidux (cui *Philippus II.* Hiſpaniarum Rex filiam ſuam *Claram Eugeniam Iſabellam* dederat uxorem, eique in dotem Belgicas Provincias cum Burgundiæ, & Caroleſii Comitatibus attribuerat) *Oſtendam* munitiſſimam in Flandrico Littore Urbem, quam Batavi detinebant, expugnaſſet, eamque Batavis eripuiſſet. Hæc fuit origo belli Hiſpanos inter & Batavos, ex quo tamen nulla gravia emperunt damna. Sed longe graviorem calamitatem & integram fere ruinam anno 1610. paſſi ſunt Mauri, qui in Hiſpaniis degebant. Hæc quippe Gens perfidiæ nata, cum ſecreta conſilia cum Africanis & Turcis iniret de excutiendo Hiſpanorum jugo, quod intolerabile eſſe conquerebatur, multiſque promiſſis *Henricum IV.* Galliarum Regem, & *Jacobum* I. Angliæ Regem, ad tam nefandum Conſilium pertrahere tentaret (utroque tamen Rege, hæc vana promiſſa rejiciente) *Philippus* III. Hiſpaniarum Rex, ut ſe penitus, Regnumque ſuum a continuis Maurorum machinationibus liberaret, die X. menſis Januarii anni 1610. edictum de eorundem tota Hiſpania expulſione promulgavit, quod eodem anno executioni mandatum eſt, expulſorumque numerus fuiſſe dicitur novies centenorum millium, e quibus innumeri in Africam transfretarunt, alii per Gallias, variaſque Provincias diſperſi, ſpoliati, peſſime habiti, & rerum omnium penuria laborantes, miſere fere omnes perierunt. Non potuit tamen hæc perfida natio in integrum aboleri, quia non pauci ex illis Mauris, mutatis ſedibus, ignoti in Hiſpania manſerunt. Eodem anno *Philippus* III. Hiſpaniæ Rex a *Xequo* Mauritaniæ Rege rogatus, ut ei ſuppetias ferret adverſus fratrem ſuum *Zidanum*, ejus induſtria *Larachiam* cepit, firmiſſimum totius Africanæ oræ Oceanicæ propugnaculum, ad Columnas Herculeas ex oppoſito Gadium, tam Hiſpanis, quam omnibus illac navigantibus ſemper infeſtum. Obiit *Philippus* III. Hiſpaniarum Rex anno 1621. ætatis ſui 43. Regni 23. reliquitque Regni hæredem filium ſuum annos ſexdecim natum, dictum *Philippum* hujus nominis IV. quo regnante, plura memoria & obſervatione digna contigerunt, quæ hic juxta ordinem Chronologicum referam. Primo, in Africa Rex Marochi propugnaculum ab Hiſpanis ad fluvium Mamoram prope Larachiam ante aliquot annos conſtructum, terra marique anno MDCXXI. obſidens, magna ſtrage repulſus eſt a Claſſe Hiſpanica, quæ etiam ad Fretum Gaditanum triginta duas naves Batavicas bene inſtructas Venetiis redeuntes aggreſſa, aliquot cepit, alias ſubmerſit aut fugavit. Præter ea, regnante *Philippo IV.* Luſitani anno 1640. ab Hiſpanis defecerunt, ſibique Regem elegerunt. Quod quidem ut clarius intelligas, in memoriam tuam revocare debes, *Philippum II.* Hiſpaniarum Regem, poſtquam *Sebaſtianus* Luſitaniæ Rex in Bello Africano fuiſſet occiſus, ſicut oſtendimus in primo Colloquio in Hiſtoriam Sæculi XVI. armis occupaſſe Luſitaniæ Regnum, illudque anno 1580. ademiſſe *Antonio*, filio ſpurio *Ludovici*, quia *Joannis* III. Luſitaniæ Regis, & *Henrici* Cardinalis frater erat. Mortuo illo *Antonio* (quem Luſitani poſt obitum *Sebaſtiani* Regem acclamaverant, & quem tamen *Philippus* II. Hiſpaniarum Rex e Solio deturbaverat) jus ad Luſitaniæ Regnum devolutum eſt ad *Theodoſium*, Brigantiæ Ducem, cujus mater *Catharina* Regni Luſitaniæ hæres legitima erat. At *Theodoſius*, Brigantiæ Dux, cum Regno recuperando imparem ſe ſentiret, nihil movit, noluitque ſe tam lubrico difficilique negotio implicare. Non inde tamen Luſitani animos deſponderunt, ſed potius Francorum ac Batavorum armis defenſi, Hiſpanorum excutere jugum, ſibique creare Regem habitis clandeſtinis Conſiliis conſtanter decreverunt. Adminiſtrabant tum temporis, nomine Hiſpaniarum Regis, Luſitaniæ Regnum Duciſſa Mantuana, Regis patrua, ſed tota ferme auctoritas erat penes *Michaelem Vaſconcelloſium*, qui Luſitanos acerbe nimis & inclementer habebat. Luſitani itaque, quos jam diu Caſtillanæ dominationis, & importuni *Michaelis Vaſconcelloſii* jugi tædebat, die prima menſis Decembris anni 1640. facta manu atque conglomerato agmine, in Mantuanæ Duciſſæ Palatium irruperunt, plenis ac crepitantibus buccis ſæpius inclamantes: *Libertas*, Regiſque Bragantiæ

tiæ Ducis nomina crebro usurpantes. Nec inter verba & clamores hæserant Lusitani, sed *Michaelem Vasconcellosium* obtruncarunt, ejusque corpus exangue in publicum projecerunt, ut in eo membratim discerpendo concitata multitudo furorem suum satiaret. Hæc ut vidit Ducissa Mantuana, clam evasit, & in Monasterium se recepit. Tum Lusitani *Joannem*, Bragantiæ Ducem, filium *Theodosii*, Regem Lusitaniæ crearunt, qui die XV. ejusdem mensis Decembris solemni consecratione inauguratus, sibi *Joannis IV.* nomen ascivit, eumque Brasilia, Insulæ Acoræ, omnesque Lusitanis subditæ in India Regiones, ut verum & legitimum Lusitaniæ Regem salutarunt. Tentarunt quidem *Philippus* IV. & *Carolus* II. Hispaniarum Reges, valido in Lusitaniam misso exercitu, grandem illam jacturam resarcire, sed amissum illud Regnum hactenus recuperare non potuerunt. *Joannes* Dux Brigantiæ, Rex a Lusitanis declaratus, dictusque, ut mox diximus, *Joannes* IV. obiit Olyssipone die VI. Novembris anni 1656. duosque reliquit filios *Alphonsum* & *Petrum*. *Alphonsus* hujus nominis IV. Patri immediate successit, & mortuus est die 12. Septembris anni 1683. In ejus locum suffectus est ejus frater *Petrus* hujus nominis I. illoque mortuo die IX. mensis Decembris anni 1706. *Joannes* hujus nominis *V.* Patri suo *Petro* in Regno Lusitaniæ successit; atque etiamnum feliciter regnat.

Eodem anno, seu 1640. quo Lusitani ab Hispanis defecerunt, erupit in apertum Catalanorum rebellio, quæ quidem inde ortum habuit, quod Castilianum Imperium impatienter ferrent Catalani, ægreque viderent, suas immunitates ac consuetudines antiquas, quarum retinentissimi sunt, palam a militibus Hispanis violari. Rebellionem orsi sunt Catalani a Ducis *Cardonii*, Præfecti sui, nece; tum Legatos in Galliam miserunt, qui Regis *Ludovici* XIII. fidem & auxilium implorarent. Eorum votis annuit Rex Christianissimus, missoque in Catalauniam quadraginta millium hominum exercitu, cui præerat *Matthæus Hudancurtius*, longe omnium nobilissimam victoriam de Hispanis ad Ilerdam retulit anno 1641. ac paulo post Comitatum Ruscinonensem occupavit, eumque Regi Hispaniæ nunquam restituendum suis ditionibus perpetuo addixit. Huic Catalanorum rebellioni addam aliam gravem seditionem, quæ die 8. mensis Julii an. 1647. Neapoli exarsit, & qua factum prope est, ut Rex Hispaniæ *Philippus* IV. Regnum Neapolitanum amitteret. Hanc seditionem excitavit vilis quidam homuncio, Urbis Neapolis piscarius, nomine *Thomas Anellus*, vulgo dictus *Mesaniel*, cujus uxor a Ministris Regiis in ergastulum detrusa fuerat eo solo nomine, quod ne solitum tributum solveret, paululum farinæ furtim coemisset. Ea injuria offensus *Thomas Anellus*, e vestigio se liberatorem patriæ professus, plebem, immanibus supra modum tributis ac vectigalibus oppressam, facile excivit ad arma, in Magistratus Hispanos armis grassatus est, tantaque apud seditiosos gratia atque auctoritate valuit, ut eorum animos ac voluntates flecteret ad arbitrium, eique cum summa potestate imperarent. At, die post rebellionem nona in amentiam incidit *Thomas Anellus*, hujus seditionis Auctor, & a suis cæsus est. Turbæ tamen, illo cæso, non fuerunt consopitæ, ad quas fovendas *Henricus a Lotharingia*, Dux Guisius, qui tunc temporis Romæ degebat, protinus advolavit, inhians spei Regnum Neapolitanum ad se, opitulante Galliarum Rege, transferendi. Sed spe sua delusus est, cumque Gallorum destitutus auxilio, impar esset ineundo certamini cum valido exercitu quem illuc an. 1648. misit *Philippus* IV. Hispaniarum Rex, fugam arripuit, & in urbe Capua comprehensus in Hispaniam captivus adductus est, sicque dum Regnum Neapolitanum affectavit, perdidit libertatem, & Neapolitani jugum Hispanicum denuo subire coacti sunt. Hunc exitum habuit famosa illa Neapolitana seditio. Denique, regnante in Hispania *Philippo* IV. orta est Legatum *Ludovici* XIV. Galliarum Regis inter & Legatum Hispaniarum Regis de prærogativo jure honoris, loci, sedis & ordinis, gravis contentio in Britannia Majore, ubi die decima mensis Octobris anni 1661. occasione data solemnis Legati Suecorum Londinum, Regiam Urbem ingressus Baro *Battevillæus*, Hispaniarum Regis Legatus apud Anglos, a Comite *Stradeo*, Regis Christianissimi Legato, priores honoris partes sibi deferri voluit, ejusque currum per vim præcessit, adjutus præsertim a vili plebecula, auro hispanico corrupta, quæ currus Comitis *Stradei* rhedis circumfusa equos trucidavit, eaque opportunitate usus Regis Hispaniarum Legatus, honoris & loci prærogativam, contra mortem, nullo negotio obtinuit. De hoc insigni dedecore Ministro suo inusto certior factus Christianissimus Rex *Ludovicus* XIV. illatæ injuriæ vindictam flagitavit, eamque paratus aperto ulcisci bello, jussit Archiepiscopum Ebredunensem, qui tum Matriti Legatum agebat, ab aula recedere, nisi abunde sibi fieret satis. Nullam in hac resarcienda injuria cunctationem adhibuit *Philippus* IV. Hispaniarum Rex, sed statim Baronem *Battevillæum* sua Legatione abire præcepit, misitque in Galliam Legatum extraordinarium Marchionem *a Fuenta*, qui coram viginti septem tum Legatis, tum Subdelegatis ceterorum Principum fidem dedit Regi Christianissimo futurum nunquam ut Hispaniarum Rex de primatus honore cum ipso contenderet. Hoc pacto resarcita ac penitus deleta est illata Ministro Regio violati honoris injuria. Hæ sunt res præcipuæ, quæ gestæ sunt regnante in Hispania *Philippo* IV. Bella autem, quæ hic Hispaniarum Rex egit cum Christianissimis Regibus *Ludovico* XIII. & *Ludovico* XIV. consulto hic omnino prætermittam quia tam fuse superius ea descripsimus, dum de Galliarum Regibus sermonem instituimus ut telam hanc denuo retexere necesse non sit.

sit. Mortuus est *Philippus* IV. Hispaniæ Rex die XVII. mensis Septembris anni 1665. & statim post illius funera Rex Hispaniarum acclamatus est *Carolus* hujus nominis II. ejus filius, qui tamen cum quadriennis dumtaxat puer esset, ac subinde Sceptro regendo impar, rerum summa, ex Testamento Regis ad Matrem *Mariannam* devoluta est, cui juvandæ Consiliis suis sex Regni Proceres fuerunt pariter destinati. Hic, ne actum agere videar, altissimo silentio præteribo diuturna Bella, quæ *Carolus* II. Hispaniarum Rex cum Christianissimo Rege *Ludovico* XIV. in Belgio & in Catalaunia gessit, quæque, cum jam a nobis referendo victorias *Ludovici* XIV. fuerint breviter descripta, supervacaneum omnino esset ea denuo attingere, ac plane inutile tibi iteratis repetitionibus fastidium ac molestiam creare. Narrabo dumtaxat Messaniensium civitatis in Sicilia defectionem, quæ regnante in Hispania *Carolo* II. contigit anno 1674. Messanenses, jugi Hispanici ferendi impatientes, post sæpius iteratos tumultus, & intestina dissidia, quibus nobiles & plebei varias in factiones scindebantur, in apertam tandem secessionem anno mox memorato ab Hispaniarum Regis fide proruperunt contra Marchionem Bajonensem Siciliæ Proregem, explicatis perduellionis vexillis, rebellarunt, neque amoto eo Præfecto, eique suffecto Duce a *Ferrandina*, ad juratam fidem redire voluerunt, seque Christianissimo Regi *Ludovico* XIV. dediderunt. His protinus militare auxilium tulit *Ludovicus* XIV. misitque ad illos Marchionem *Valavotrium*, qui sex armatis navibus instructus, & onerariis tribus, cum omnis generis commeatus copia, Hispanicam Classem, quæ cum 22. navibus & XIX. triremibus, aliisque navigiis perduelles Messanos obsidebant, fugavit anno 1675. urbemque ingressus, arces, munitiones, & præsidia, quæ ad urbem tutandam conferre poterat, Gallis militibus consignavit. Novum paulo post subsidium Messanensibus attulit Dux *Vivonius*, qui a Rege *Ludovico* XIV. Messanensium Prorex dictus Classem Hispanicam, quæ cum XX. navibus & XVI. triremibus viam aditumque ei intercludere tentabat, disjecit, cum oneratis octo, armatisque navibus novem, incolumis portum penetravit, & tanquam libertatis Vindex a Messanensibus, multa lætitiæ specimina ingeminantibus, exceptus ac Prorex salutatus est. Verum, diuturna non fuit Messanensium ex sua rebellione concepta lætitia, Rex quippe Christianissimus anno MDCLXXVII. pertæsus tot dispendiorum, quæ in Messanensibus protegendis & alendis sustinere cogebatur, illos tandem deserere, ac propriis fatis relinquere statuit. Messanam itaque Rex classem cum Marescallo a *Favillanda* misit, ut inde Gallici exercitus copias retraheret & in Gallias revocaret. Hujus Gallorum discessus rumore, ubi percrebuit, conterriti Messanenses; qui imminentes ad defectionis vindictam Hispanos verebantur, obnixe postularunt, ut sibi liceret Classem Gallorum conscendere, seque libero subducere exilio, quod ipsis ubi primum fuisset concessum, quadringentæ & quinquaginta e præcipuis Messanensium familiis, quæ Hispanorum clementiam despondebant, Urbem deserentes Massiliam appulerunt, e qua tamen Urbe, post breve aliquot mensium intervallum, novo exilio, e tota Gallia facessere jussi sunt, eo quod, ut ajunt, Massiliensem portum prodere, atque incendere statuissent. Sic Messanenses, aliique Siculi pœnas luerunt rebellionis suæ; qua nihil perniciosius est, & perturbato ordine sursum ac deorsum omnia miscentur. Hinc Apostolus Paulus cap. 13. Epistolæ ad Romanos præcipit Christianis, ut quibuslibet potestate publica præditis obtemperent, excepta Fidei, & pietatis causa: *Omnis anima*, inquit, *Potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo, quæ autem sunt, ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt &c.*

D. Intelligo sane, nihil subditorum rebellione adversus Principes perniciosius esse, sed optarem vehementissime, ut post nimium diu toleratas a nobis bellorum miserias, Principes Christiani tandem aliquando communibus consiliis incumberent in studium pacis, quæ fons est, parens, altrix, ampliatrix, & tutatrix rerum bonarum omnium, sine qua nihil usquam florens, nihil tutum, nihil purum aut sanctum, nihil aut jucundum hominibus, aut gratum superis esse potest. Ex adverso, origo omnium malorum bellum est, & per illud marcescunt florentia, dilabuntur aucta, labascunt fulta, pereunt bene condita, amarescunt dulcia, quodque gravius est, languescit pietas, labefactatur Religio, & undique vitia exundant. Sed, ne a proposito nostro longius discedamus, perge, quæso, ea narrare, quæ gessit *Carolus* II. Hispaniarum Rex.

M. Cæteras inter virtutes, quibus *Carolum* II. Hispaniarum Regem Deus ornaverat, eximia fulsit pietas, cujus specimen haud vulgare hic referam ex Epistola, quæ ex Hispania Antuerpiam missa est, quamque *Daniel Papebrochius*, Societatis Jesu in fronte sui *Propilæi* ad acta Sanctorum mensis Maii integram exhibet. Ad serenitatem auræ captandam die XX. mensis Januarii anni 1685. extra Urbem Matritum egressus Rex *Carolus* II. Sacerdotem in via reperit cum Sanctissimo Sacramento administraturum pauperi cuidam olitori graviter ægrotanti Sacrum Viaticum, & continuo ejiciens sese rheda, humoque stratus adoravit Dominum suum. Deinde, consurgens oravit Sacerdotem, ut in Regiam transiret Rhedam, ipse vero nudo vertice, & galerum manu tenens, pedes sequutus est rhedam, quousque veniretur in locum jacentis infirmi, ibque Rex mansit genuflexus nuda in humo, donec officio functus esset Sacerdos. Peracto tandem ministerio, Rex, post relictam infirmo amplam eleemosynam, Sacerdotem regia rheda vectum, secutus est, & Sanctissimum Sacramentum adorans, pervenit ad Ecclesiam *Sancti Marci*, ubi ea alacritate vultus, reverenti modestiæ admixta, genuque flexus, non assurrexit prius, quam finita cære-

cæremonia, Benedictionem Sacerdotis, cum ceteris qui intererant, excepisset. Ex hoc exemplo Regis Catholici, cotam Cæli terræque Domino sese, quanta poterat, religione humiliantis, discere debemus, quantam Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum nobis inferre debet reverentiam pro præsentia, devotionem pro cælesti gratia, qua mentes nostras implet, fiduciam pro futura gloria, cujus nobis pignus datur.

Anno MDCLXXIX. *Carolus II.* Hispaniarum Rex nupsit *Mariæ Ludovicæ Aurelianensi*, Natione Gallæ, & filiæ *Philippi* Ducis Aurelianensis, & *Henricæ Annæ Stuartæ*. Sed ea conjuge mortua absque prole, secundas nuptias iniit *Carolus II.* cum *Anna Maria Neuburgi* Principe ann. 1690. ex qua nullam itidem prolem suscepit, cumque variis ac pene continuis morbis conflictaretur, obiit prima die mensis Novembris an. 1700. ætatis suæ XXXIX. Regni XXXV. In suo, quod ante mortem condidit, Testamento successorem in Regnum Hispaniæ designavit & instituit *Philippum* Ducem Andegavensem, ex tribus *Ludovici* Galliæ Delphini filiis secundum, qui in Hispaniam profectus, mirabiliter omnium generum atque ordinum conspirante consensu exceptus est, & Rex Hispaniarum inauguratus. Sed sub initium regni sui gravissimo, ut superius diximus, bello impetitus est *Philippus V.* ab Imperatore, aliisque fœderatis Anglis, Batavis, Lusitanis, ac Duce Sabaudiæ, qui eum e Solio deturbare tentarunt. Rex tamen *Philippus* cum Gallis fœderatis & Hispanorum, quorum corda sibi devinxit, opibus, copiis, armisque instructus, nulla vi ab Hispaniarum regno divelli unquam potuit; sed etiamnum, tota plaudente Natione Hispanica, regnat ac Sceptro potitur.

D. Belli, quod in *Philippum V.* Hispaniarum Regem, Imperator, aliique Fœderati concitarunt, superius quidem meministi; sed nunc vellem ut hujusce Belli initium, progressum, atque exitum paulo distinctius describeres, & omnes hinc inde res gestas, prælia, victorias, captas urbes, aliaque id genus juxta annorum seriem dispofita breviter delibares, quo videlicet momentosi hujus negotii, quod ancipiti rerum eventu totam Europam suspensam & in medio fluctuantem per multos annos tenuit, plenam, & accuratam notitiam habere possim.

M. Cum varios eventus diuturni hujus Belli, cujus calamitates, damnaque prope sentimus, late describere nimis longum esset, & ab instituto nostro penitus alienum, rem totam paucis conficiam, & ea, quæ sunt explorata magis, vel ob oculos nostros posita, omniumque sermone celebrata, verbo perstringam, integram hujus Belli Historiam secuturis aliis Scriptoribus relicturus. In primis, *Philippus V.* Hispaniarum Rex, an. MDCCII. cepit Guardastallum, seu Guastallam, Urbem in Ducatu Mantuano, eodemque anno Galli expugnarunt in Germania Fraerbakium, Neoburgum & alias arces, Fœderatorumque exercitum ad Frisingense Oppidum debellarunt. Aliam victoriam ad Spiram in Germania anno sequenti seu MDCCIII. reportarunt Galli, & Arcem *Kel*, Argentinæ propugnaculum, atque Brisacum occuparunt. Classem Fœderatorum prope Malacam anno MDCCIV. fudit ac dissipavit Comes Tolosanus. Ast, dum fortuna Gallis blande arridere videbatur, ipsisque jam canebatur, Io triumphe; Ecce subito ab his descivit fortuna, & ad Fœderatorum castra transivit. Gallorum quippe exercitus, qui in Germaniam penetraverat, & cum copiis Ducis Bavariæ, qui a partibus *Philippi V.* stabat, socialibus armis se conjunxerat, cladem maximam post hominum memoriam accepit, & sicut superius annotavimus, ad locum dictum *Hocstet* fuit a Fœderatis cæsus ac tantum non deletus. Hanc cladem deinceps Galli nullo pacto in Germania resarcire potuerunt, sed hinc secedere coacti, locum Fœderatis hostibus reliquerunt, qui confestim captas a Gallis urbes receperunt, totam Bavariam armis devastarunt, & occuparunt, Landavium ad deditionem compulerunt, Barcinonem in Catalaunia expugnarunt. Batavi quoque Belgium ditionis Hispanicæ invaserunt, & aliquot urbes arcesque, quæ in Belgio sub dominio regis Christianissimi erant, suam in potestatem redegerunt. Meliorem fortunam an. 1705. Galli in Italia sunt experti. Nam præter urbes, quas ditioni Ducis Sabaudiæ in Pedemontio subegerunt, Segusium, Ivream, Vercellas, Veruam, Villamfrancam, Nicæam cum ejus munitissima arce, Dux etiam Vindocinus, Gallorum exercitus Generalis Præfectus, Fœderatorum exercitum in Italia devicit. His militaribus secundis eventibus haud parum animati Galli, Taurinum, primariam Pedemontii urbem, & Barcinonem munitissimam Catalauniæ an. 1706. obsidione cinxerunt. At cum Galli eodem anno coram Taurino turpiter fugati, & in pugna Ramillæa data in Belgio die 23. Maji anni 1706. profligati fuissent, utramque obsidionem solverunt, & illico Fœderati in Italia Ducatum Mediolanensem occuparunt, Regna Neapolitanum, & Sardiniæ sese Imperatori dediderunt. In Hispania vero victrix Fœderatorum exercitus multas clades intulit, *Philippum V.* Matritum, urbem Regiam, deserere compulit, illumque forte e Solio deturbasset, nisi res suas afflictas ac pene perditas *Philippus V.* erexisset insigni illa victoria, quam in pugna Almanzena de Fœderatorum exercitu retulit die 25. mensis Aprilis an. 1707. Plures deinde rebelles civitates domuit *Philippus V.* ejusque dominio Urbes Ilerdam & Torrosam, subjecit *Philippus* Dux Aurelianensis, Gallorum exercitus in Hispania Præfectus. Catalaunos tumultuantes sæpius repressit ac frænavit Dux *Noallius* a Rege Christianissimo *Ludovico XV.* in Catalauniam missus. Interim Fœderati unanimi conspiratione in unius Galliæ perniciem toti simul incumbebant, illamque quadam quasi indagine circum undique cinctam quaqua versum certatim aggressi sunt. Dux Sabaudiæ, valido collecto exercitu, *Telonem*, fortissimum Galloprovinciæ oppidum maritimum, atque propugnaculum, terra obsidione vallavit, dum Angli potentissima instructi Classe mari oppugnarent. Sed ad nihilum reciderunt omnes Fœderatorum conatus.

Te-

Telo, terra marique obsessus, expugnari haud potuit, Anglorum naves ad sua littora revolarunt, Dux vero Sabaudiæ Alpes cum suo exercitu iterato trajicere, viamque remetiri coactus est. Non tam feliciter Gallorum res in Belgio cesserunt. Fœderati siquidem anno 1709. Gallorum exercitum prope Odernadam cæciderunt, urbesque Insulam, & Gandavum invaserunt; anno vero sequenti, seu 1710. Tornacum expugnarunt, datoque prælio ad locum, dictum *Malplacquet*, prope urbem Bagacum, Nerviorum Metropolim, Gallos denuo vicerunt, eamdemque Metropolim Urbem, vulgo *Mons* dictam, actutum occuparunt. Eodem an. 1710. Comes *Starambergus*, a Fœderatis cum numeroso exercitu in Hispaniam missus, Matritum usque penetravit, actumque tum temporis fuisset, ac penitus conclamatum de *Philippo V.* Hispaniarum Rege, ni Dux Vindocinus, a Rege Christianissimo in Hispaniam missus, sua virtute devictum Federatorum exercitum & ex Hispania pulsum in Catalauniam retrusisset. Nihilo secius Federati Bellum contra Galliam adeo acriter instaurabant, ut ingenue profiteri debeam, nullis unquam Galliæ hostibus fuisse vel tantas vires, vel tantas iras, vel tantas denique spes, atque subinde tam formidolosa Galliæ tempora, cujus anteacta bella ad hoc præsens. ludicræ duntaxat velitationes, umbratilesque prolusiones esse videntur. Hujus Belli incommoda persensit Christianissimus Rex *Ludovicus* XIV. Ægre vidit angustias Galliæ totius, inopis atque exhausti ærarii labem, mercaturæ silentium diuturnum, fortunarum ruinas atque interitum, tributorum pondera, populorum questus, calamitosam Galliarum Regni faciem. Indoluit, quod eo atrocissimo Bello Hispania foris & intus esset æque depasta, direpta & conculcata; quod denique infelix Belgium, æternum & commune Belli theatrum, addictum esset incendiis, horrori, ruinæ, depopulationi. Tot malis permotus Rex *Ludovicus* XIV. conditiones pacis, Regno licet Galliarum probrosas, ad facilius suorum hostium animos ad pacem & conciliationem inflectendos proposuit, in quas tamen Federati in Congressu, Gertrudembergæ habito, venire detrectarunt. Sed, dum pax desperata plane videbatur, commodum adfuit, votisque *Ludovici* XIV. annuit *Anna*, Angliæ Regina, quæ confestim Galliam inter & Angliam armorum inducias imperavit, suosque milites e Batavorum exercitu retraxit. Quo factum est, ut semel imminutis ac fractis Federatorum viribus, nullo negotio fuerint a Gallis superati, animos eis præsertim faciente Marescallo *de Villars*, plurimarum palmarum Duce, & Gallorum exercitus in Belgio Generali Præfecto, qui Batavorum exercitum ad extremas angustias redactum prostravit, ac profligavit, urbem Landrecium ab obsidione liberavit, Duacum, aliasque urbes ab hostibus captas deditione recepit, & multis rebus præclare gestis hostes terruit, & jacentes Gallorum animos recreavit. Tum Federati ad auscultandas conditiones pacis promptos sese exhibuerunt, & in Congressu Trajectensi habito die 11. mensis Aprilis anni MDCCXIII. diu optata pax, juxta conditiones, quas superius indicavimus, tandem conclusa est cum Anglia, Batavia, Lusitania, Sabaudia, Prussia, Gallia & Hispania. Intercessit quidem huic paci *Carolus* VI. Imperator, bellique aleam adhuc experiri voluit, sed paulo post, quietis publicæ procurandæ percupidus, & rerum bellicarum pertæsus, pacem cum Rege Christianissimo *Ludovico* XIV. pepigit die VI. mensis Martii an. 1714. Barcinonem, quæ in Catalaunia resistentiæ vexillum erexerat, post longam ac pertinacem obsidionem armis perdomuit *Philippus V.* & Insulam Majoricam suo subjecit dominio. Lubens hic prætermitto aliud bellum, quod idem Rex *Philippus V.* paucis abhinc annis cum *Carolo VI.* Imperatore, ejusque Federatis Gallis, Anglis, ac Duce Sabaudiæ in Italia gessit, quia de origine, progressu, atque exitu istius belli quod Regi *Philippo V.* infeliciter cessit, sat superque diximus superius. Memoria tamen maxime dignum est, quod idem *Philippus V.* Hispaniarum Rex an. 1724. generoso rerum mundanarum contemptu sese Hispanico Regno abdicavit, ejusque moderandi habenas filio suo primogenito Ludovico Principi, omnibus suis numeris absoluto, tractandas reliquit, ut constat ex Litteris, quas super hac re publicavit *Philippus V.* quasque religiosissimo Rege dignas jure optimo judicarunt omnes veræ pietatis cultores. Gratulabantur, applaudebant, atque felices sese clamitabant Hispani, quod novum nacti essent Regem Ludovicum I. quo florentiorem exoptare haud poterant, quippe Patris sui indolem sic expresse, sic absolute referebat, ut moderatione, clementia, liberalitate, & niveo vitæ candore, ceterisque id genus Christianis virtutibus, & ad pacem factus, & ad fortitudinem institutus videretur. Has præclaras virtutes, quæ in hoc juvene Rege mirum in modum præfulgebant, summis laudibus efferebant Hispani, atque majora perfectæ virtutis exempla progressu temporis ab ipso expectabant. Sed o fallaces hominum spes! dum Ludovico I. Hispaniarum Regi nihil ad summam prosperitatem deesse videretur, dum illum ætas integra in spem diuturnæ vitæ vocaret, dum denique præstantissimis virtutibus sic adolesceret, ut Regni moderatione, & maxime studio Catholicæ Fidei tuendæ & amplificandæ, formam optimi Regis exprimeret; ecce acerbissima mors, quæ nullum neque sexus, neque ætatis, neque roboris, neque formæ novit discrimen, ex insidiis illico erumpens, hunc Regem, qui erat amor populi, Regni salus, æqui rectique tenacissimus cultor, ex summo rerum fastigio in humum præcipitavit, illumque annos XVII. natum, post degustatum per septem circiter menses Hispaniarum Regnum, die XXI. mensis Augusti anni MDCCXXIV. Mundo eripuit. Uxorem duxerat Ludovicus I. Hispaniarum Rex, filiam Philippi, Ducis Aurelianensis, Galliarum tum temporis Regentis, qui nuperrime vitam cum morte commutavit. Sed ea viduata marito, reli-

relicta Hispania ad natale solum, propriosque lares reversa est. *Philippus* V. mortuo filio suo Primogenito *Ludovico* I. recepit die VI. mensis Septembris anni MDCCXXIV. Regni Hispaniarum gubernacula, quæ etiamnum sapientissime moderatur, totumque Orbem optatissimæ pacis, quam hoc anno MDCCXXV. cum Augustissimo Imperatore *Carolo* VI. inivit, munere fortunavit.

D. Utinam hoc munere semper fruamur, & sublatis jugibus dissidiis, litibus ac bellis, quæ terram omnium malorum lernam accersunt, rapinis, sanguine, cædibus, ruinis, sacra prophanaque miscent omnia, tandem aliquando Christiani Principes æterna socientur pace, quam Christus Dominus suis Discipulis tam solicite commendavit, quam tot argumentis natura docet, tot illecebris ad eam invitat, tot laqueis trahit, tot rebus compellit, & de qua canit quidam Poeta:

—— *Pax optima rerum,*
Quas homini natura dedit.

Sed ne te dicentem diutius interpellem, ostende, quæso, quinam fuerit Status Ecclesiæ sub Regibus, qui Sæculo XVII. Angliæ Regnum gubernarunt.

M. Ex quo Angli, regnante *Henrico* VIII. facto Schismate, ab Ecclesia Romana descivetunt, & ad omnes de Religione doctrinas inhiare cœperunt, variis se se implicuerunt erroribus, novos ritus, rescissis antiquis, novas cæremonias, novas leges, novam Religionis formam introduxerunt; uno verbo, instituerunt populum, novamque Rempublicam multis laceram partibus, variis ac contrariis Sectis & superstitionibus divisam atque distractam, in quam exemplum positum est, in quo gentes omnes facile agnoscere possunt, præcipitem illam sacris in rebus innovandi licentiam, vel causam exitii, vel omen impendentis calamitatis esse. At enim Angli ab avita Religione Catholica semel extorres, & in varias abrepti Sectas, Regum suorum Imperium superbe, arroganterque detrectarunt, eorum auctoritatem spreverunt, jura conculcarunt, Magistratuum Edicta violarunt, vitæ suæ voluerunt esse arbitri, qui Religionis fuerant, parique audacia, qua divinas leges everterant, in leges humanas insurrexerunt, in suos Reges grassati sunt; quorum alios, ut mox dicemus, occiderunt, eorumque loco tyrannos suffecerunt; alios vero e Regno expulerunt, & invasores ad Solium Regium sublimarunt. Hæc omnia comperta habebis ex serie ac Historia Angliæ Regum, quam hic breviter, quoad ejus fieri poterit, describam. *Elisabetha*, Angliæ Regina, annis matura, & sanguine satiata Catholicorum, quem crudeliter effuderat, anno MDCIII. mortua, regnare cœpit *Jacobus*, ejus nominis Scotiæ Rex VI. Angliæ Primus. Trina conspiratione a suis subditis hæreticis impetitus fuit ille Rex. Primæ conspirationis auctores fuerunt Comes *Gauricus*, ejusque frater *Alexander*, ambo hæretici Protestantes, qui ægre ferentes, quod Rex *Jacobus* Ministros in Scotia exauctorasset, & Episcopis dignitatem & auctoritatem, quam ipsis hæretici Presbyteriani, qui Puritani dicuntur, ademerant, reddidisset; in eum conjurarunt, eumque ad Perthum oppidum omni procul dubio occidissent, nisi protinus Rex domesticos advocasset, a quibus hi duo scelestissimi Sicarii trucidati sunt. In eorum cadavera sævitum est, nihilque omissum, ut omnes tam detestandum parricidium execrarentur. Hæc prima in *Jacobum* Regem conspiratio contigit in Scotia anno MDC. Alteram in caput suum conjurationem detexit Rex *Jacobus* anno 1603. quo in Angliam ingressus est, ubi clandestinis hæreticorum Procerum Consiliis fœmina Marchio *Arbella*, regio sanguine nata, jam Angliæ regina fuerat designata. Sed hæc conjuratio extincta est multorum sanguine, quorumdam carcere ac bonorum jactura. Postrema conjuratione Rex *Jacobus* ab Hæreticis appetitus est anno MDCV. quo perditissimi ac projectæ conscientiæ homines regem, plerosque Angliæ Proceres, pulvere tormentario de medio tollere, atque proscindere moliti sunt, quorum tamen occultis patefactis insidiis, opportune Regis, aliorumque saluti consultum est. Hæc nefanda Consilia sola Hæresis, Tartarea Furia, in Anglorum mentes immittere potuit. Sola, inquam, Hæresis, quæ in Anglorum pectoribus dominabatur, hanc in Reges suos edocuit sævitiam, quam nec *Dionysius* ullus, nec *Mezentius* ullus, nec *Phalaris* ullus novit. Sed Angli semel a Catholica Fide extorres, fidem suis Regibus juramento obstrictam observare non curarunt. Eorum Scriptores, præsertim *Buchananus*, & *Stephanus Junius Brutus*, libros ediderunt, ut populum ad rebellandum contra Reges provocarent. Eorum Magistratus judicandi, damnandi, & occidendi Reges funestum exemplum, ut mox ostendemus, præbuerunt. Denique, eorum Episcopi ac Ministri ad tutandos errores suos latiusque propagandos, Evangelii tubam Martis tubam fecerunt, & populum, ultro ad furiam propensum, magis accenderunt, ad arma, ad cædes, ad strages in Catholicos inflammarunt. Ex quo facile intelligere potes, quam longe lateque ab Evangelio Christi, quod prædicarunt Apostoli, discrepet novum istud hæreticorum Evangelium. Christus quippe in Evangelio pacem, quam toties in omni vita sua commendaverat, maxima solicitudine commendavit moriturus, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*. Præcepit Christus, ut reddamus *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*. Apostoli, Evangelii Christi præcones, pacis omine Fideles in suis Epistolis salutabant, eisque præcipiebant, ut obedirent Præpositis suis etiam discolis, & sublimioribus potestatibus subditi essent. De Apostolis, & Discipulis Christi dictum est: *Quam speciosi pedes nunciantium pacem, evangelizantium bona, nunciantium salutem*. At, o prorsus sublatam e rebus humanis frontem! apud Anglos novi Hæreticorum Evangelii Præcones classicum canunt,

canunt, sursum ac deorsum cursitant ut bellum excitent, tumultuantem populum animant ad pugnam, incitant ad mala, provocant ad perniciem, quodve gravius est instigant vel ad occisionem Regum suorum. vel ad eos e Regno expellendos, atque his tam impiis factis prætexunt titulum pium, & sternunt viam ad propagandum Evangelium suum. His infestis doctrinis & Hæreticorum placitis imbuti Angli in Regem suum *Jacobum*, hujus nominis *primum*, Principem alioqui adeo pacis amantem, & ab armis alienum, ut ad aspectum nudati gladii illico exanimaretur, sæpius conjurarunt, eumque, licet in Catholicos probe animatum, compulerunt ut in eos sæviret. Regnavit in Anglia *Jacobus*, hujus nominis Primus, anno XXII. & obiit die XXIV. mensis Martii anni MDCXXV. annos natus undesexaginta, eique successit *Carolus* ejus filius, hujus nominis primus, qui perpetuas cum Anglis subditis suis dissensiones habuit, & tandem ab illis occisus periit non minus funesta, quam probrosa morte. His dissensionibus *Carolum* Regem inter & Anglos ejus subditos locum ac principium dedit *Georgius Villierus*, Dux Bukingamus, qui solerti ingenio, eleganti morum probitate, aliisque præclaris dotibus præditus, maxima apud *Carolum* Regem Angliæ gratia & auctoritate pollebat, sed pessime apud populum audiebat, eo quod nimium imperiosus esset, sibi plus æquo fidens, & honoris avidissimus. Hinc suprema Angliæ Curia, cum prædictum *Bukingamum* multorum criminum insimulatum, ad suum tribunal trahere vellet, negavit se Regi quidquam concessurum subsidii priusquam ante judices purgandi sui causa *Bukingamus* sese sisteret. Nullam hujus expostulationis supremæ Curiæ, quam vocant, *Parlamentum*, rationem habuit *Carolus* Rex Angliæ, sed potius novo honore *Bukingamum* dignatus est, quem misit ad ferendum auxilium hereticis Rupellæ, Urbis rebellis, quæ a *Ludovico* XIII. Galliarum Rege, tum temporis terra marique obsidebatur. Capta autem a Rege Christianissimo ea perduelli Civitate, *Bukingamus* re infecta rediit in Angliam, ejusque reditu erupit in Anglia in Regem conjuratio, cui vires addidit oborta paulo post inter duas ejusdem Regni Sectas gravissima contentio. Quod quidem ut clarius intelligas, observare debes, inter innumeras pene Sectas, quibus scatet Angliæ Regnum, duas esse præcipuas, quæ Angliam ac Scotiam in duas prope æquales partes dividunt. Prima est *Anglicanorum*, qui partem aliquam Hierarchiæ, & quosdam Ecclesiæ Catholicæ ritus retinent, ac præcipue Ordinationem Episcoporum, indeque *Episcopales*, appellantur. Alia Secta est *Presbyterianorum*, qui nullam Episcoporum jurisdictionem agnoscunt, nullamque Ordinationem. Dicuntur etiam *Puritani*, quod affectant, se puram Hæresiarchæ *Calvini* doctrinam sectari. Huic porro enato inter duas illas Sectas, quæ in Anglia latissime patent, acerrimo dissidio initium dedit Cantuariensis Archiepiscopus, qui nimio studio Sectæ Anglicanorum, seu Episcopalium, addictus, voluit Presbyterianos, seu Puritanos, ad Sacrorum ritus ab Episcopis præscriptos adigere, sicque eorum inflammavit odia, ut tandem conflata occulte ab illis seditio in apertum proruperit anno MDCXXXVII. & tam in Scotia, quam in Anglia vehementer exarserit. Primum, Scoti ab obsequio *Caroli* Regis defecerunt, quos tamen ut ad obedientiam revocaret Rex, Marchionem *Hamiltonium* misit. Sed cum resipiscere armaque deponere nollent Scoti, copias adversus illos eduxit Rex, qui tamen a suis Ministris proditus, iniquam pacem cum Presbyterianis Scotiæ & Angliæ pepigit, moxque Londinum reversus, a Suprema Senatus Curia multis prærogativis fuit spoliatus: Hi, qui Regi favebant, in carcerem conjecti, ultimoque supplicio affecti sunt, inter quos fuit Comes *Straffordius*, vir apprime Catholicus, Regi *Carolo* devotissimus, ejusque exercitus Generalis Præfectus. In hunc tamen Comitem, quasi insidias Regi struxisset, Sententiam mortis tulerunt rebelles Parlamentarii. Verum, Comes *Straffordius* ad locum supplicii deductus, se ab hoc nefando scelere purgavit in oratione admodum pia, quam ann. MDCXLI. propediem moriturus habuit ad populum, ut moris est apud Anglos, quamque integram gallice redditam Clarissimus *Antonius Arnaldus*, Doctor Sorbonicus, descripsit Capite XVIII. primæ partis Apologiæ, quam pro Catholicis adornavit. Hæc mors Comitis *Straffordii* non fuit ultimus hujus Tragœdiæ Actus. *Carolus* Rex Angliæ seditiosos, quorum Dux erat Comes *Essexius*, anno MDCLXII. duplici certamine superavit. At sequenti anno Parlamentarii Regi bellum indixerunt, ejusque exercitum ann. MDCXLIV. dissiparunt, ac superarunt. Accessit ad fovendam illam rebellionem oborta eodem anno apud Anglos Secta, quam vocant, *Independentium*, qui causantes libertatem Evangelicam nec Synodorum, nec Episcoporum auctoritati, nec Regis, aut alterius hominis imperio parendum esse dictitabant. Horum societati se addixit perfidus *Cromvvellius*, quem statim rebelles crearunt supremum Legatum sui exercitus, cui jam *Thomam Faerfaxium* præfecerant. Interim *Carolus* Rex, crescentibus in dies rebellium viribus, fractusque infelici tot præliorum exitu, ad castra Scotorum, qui illum invitaverant, eique suam fidem obligarant, tamquam ad asylum, se recepit. At Scoti auro deliniti, Regem suum infestissimis ejus hostibus fœdum in modum tradiderunt. Fugit tamen Rex *Carolus* in insulam, sed a Præfecto illius Insulæ captus, denuo incidit in manus hostium, præsertim *Cromvvellii*, qui non jam per cuniculos, sed aperte in ejus vitam grassari cœpit, ejusque Causæ in suprema Londini Curia cognoscendæ præficiendos judices curavit, quos habebat devotos sibi ac penitus addictos, viros nimirum post hominum memoriam sceleratissimos. Curiæ potestati subjacere se omnino negavit Rex *Carolus*, & con-

fe-

festim (quod horret calamus scribere) a Parlamentariis , a suis subditis per summam & a Sæculis inauditam injustitiam , tanquam tyrannus , proditor , homicida , & publicus Angliæ hostis capite damnatus est . Ad locum supplicii die IX. Februarii an. 1649. perductus Rex *Carolus*, populum paucis allocutus, & ad pacem adhortatus, cervicem porrexit, quam ei personatus carnifex abscidit. Sic funesta morte extinctus est *Carolus* hujus nominis I. Angliæ rex, quam si, ejurata Hæresi, pro Religionis Catholicæ veritate oppetiisset, Martyrii palmam fuisset adeptus. Vixit annos unum & quinquaginta, & regnavit annos viginti quinque. Ejus cadaver, cujus conspectu suos satiare oculos voluit nequissimus *Cromvvellius*, delatum est ad Vinceforam, locum sepulturæ Angliæ Regum, & juxta *Henricum* VIII. Angliæ regem fuit humatum. His ita contra omne jus divinum & humanum gestis, *Oliverius Cromwellius*, totius hujusce Tragœdiæ auctor, pro sui criminis pretio, si non nomine, saltem re, tulit diadema, & caducam regni Angliæ possessionem ad se traxit. Obstitit quidem aliquandiu *Cromwellio* Princeps Walliæ, *Caroli* I. Angliæ Regis filius, qui in spem regni recuperandi erectus, nomen *Caroli* II. assumpsit, & a Scotis, jam regiæ proditionis pœnitentibus, Rex Scotiæ acclamatus ac inauguratus est an. 1650. At *Cromwellius* omnem ad Regnum aditum *Carolo* II. præclusit. Hiberniam novæ a se in Anglia institutæ Reipublicæ jugum subire coegit, & Scotorum exercitum, cui præerat *Carolus* II. commisso prælio anno MDCLI. omnino profligavit. Occisa sunt in eo certamine tria hominum millia, captivorum ad quinque millia hominum fuerunt, fugitque Rex *Carolus* II. in veste plebeja, quo melius lateret inter Anglos, multisque in itinere adversis casibus jactatus, ac metu mortis semper animis obversante perculsus, tandem Gallicum littus attigit, & Luteriam pervenit die 30. mensis Octobris ejusdem anni MDCLI. Pulso itaque e Regno *Carolo* II. legitimo Rege, tyrannidem arripuit *Cromwellius*, qui, postquam pacem cum Batavis anno 1653. pepigisset, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Regnorum *Protector* renunciatus est, Regisque titulo insigniri noluit, eo quod regium nomen jam populo invisum reddidisset; sub hoc tamen minus ambitioso *Protectoris* nomine Regnum Angliæ potestate majori, quam ipsi Reges, gubernavit vir ille versutissimus, docuitque suo exemplo, Tyrannos aliquot atque sceleratos, saltem usque ad obitum, in hac vita esse fortunatos. Obiit *Cromwellius* die 13. mensis Septembris anni 1658. eoque vita functo, *Richardus*, ejus filius Primogenitus, Angliæ protector proclamatus est. Sed *Richardus*, ingenio & industria patri suo longe dissimilis, tantoque ferendo oneri impar, statim succubuit, & ab Anglis an. MDCLIX. abdicatus est. Tum duarum partium odiis tota Anglia conflagravit; prioris Dux erat *Lambertus*, qui Anglicanis copiis præfectus, & regii nominis hostis infensissimus, Angliæ Protectoris dignitatem sibi arrogabat. Posterior *Monkus*, qui clam a rege *Carolo* II. stabat, eoque inscio rem ipsius tacitus promovebat, ac tandem Parlamentariorum animis in *Carolum* Regem conciliatis, magnam illam molitionem an. MDCLX. felici exitu perfecit, Anglosque induxit ut ad *Carolum* II. perhonorificam Legationem mitterent, eumque Regem acclamarent. Ea accepta Legatione vex *Carolus* II. una cum fratribus suis, Duce Eboracensi, & Duce Glocestriæ, in Angliam appulit, atque Rex coronatus, Londinum magnifico apparatu, festivisque omnium gratulationibus ingressus est. Sic extincta tyrannide, & attritis rebellibus, pristinam auctoritatem Rex Angliæ *Carolus* II. recepit, & paulo post, virtute Ducis Eboracensis, fratris sui, quem Anglicanæ Classi præfecerat, celeberrimam victoriam de Batavis anno MDCLXV. reportavit, captis, vel demersis viginti duabus hostium navibus, & occiso *Obdamo*, Classis Batavicæ Duce: Hanc victoriam, variis ludis, festivisque ignibus Angli eodem anno Londini celebrarunt, quamvis hæc urbs gravissima affligeretur peste, quæ tam acriter per plures menses in ea grassata est, ut desiderata sint hominum nonaginta septem millia. Pacem cum Batavis anno MDCLXVII. iniit Bredæ *Carolus* II. Angliæ Rex, iis pactis, ut quæ alterutra pars flagrante bello occupasset, ea ipsi jus esset retinendi. At Bellum Batavis, qui Anglorum animis Monarchicæ potestati infesta consilia suggerebant, & amorem libertatis instillabant, iterum an. 1671. indixit *Carolus* II. fœdusque pepigit cum *Ludovico* XIV. Galliarum Rege, qui meditatum aliquot jam abhinc annis bellum in Batavos orsus est tribus exercitibus, in quibus, ut antea diximus, 120. millia militum stipendia merebantur. Dux Eboracensis, *Caroli* II. Angliæ Regis frater, quique post ipsum in Anglia regnavit, nomine *Jacobi* II. vocatus; Dux, inquam, Eboracensis, Gallorum Classi adjunctus, *Adrianum Ruiterum*, Batavorum Classis Architalassum, navali certamine penitus deletum, contrivit. Galliarum vero Rex *Ludovicus* XIV. multa Batavorum Opida, arces & præsidia continenti victoriarum cursu subegit, ultimamque cladem fœderatis Provinciis omni procul dubio intulisset, ni duobus intempestivis casibus fuisset præpeditus. Contigit enim primo, quod Batavi, ad extremas angustias & in desperationem acti, campos undarum eluvione, solutis earum repagulis, late depopulati, suis ipsi manibus omnes, qui adhuc sibi supererant, terræ tractus, ne in Gallorum potestatem venirent, infecerint, eoque pacto Gallis ad alias necdum captas Bataviæ urbes omnem aditum præclusetrint. Contigit secundo, quod Supremus Angliæ Senatus Londinensis, qui ægre admodum ferebat, quod *Carolus* II. Angliæ Rex, paulo antequam Batavis Bellum indiceret, in gratiam Catholicorum libertatis conscientiæ Decretum promulgari jussisset: Id, inquam, ægre ferens supremus Angliæ Senatus, palam negavit, se Regi ad tantum belli sustinendum pondus quidquam

concessurum, nisi prius latum istud conscientiæ Diploma rescidisset: quod Rex, jam exhausto ærario Regio, invitus rescidit, eaque molliori indulgentia hæreticos Regni sui audaciores reddidit, & ad novas concitandas turbas petulantiores. Hinc Angli Regem suum *Carolum* compulerunt, ut cum Batavis reconciliaretur, & ut Catholicos Regi invisos redderent, Jesuitas aliosque in Anglia Catholicos anno 1678. accusarunt, quod facta conspiratione Regem *Carolum*, totumque Regnum perdere decrevissent. Hujus calumniæ ac fictæ Catholicorum in Regem Angliæ conjurationis Architectus fuit *Shaftburius*, Angliæ Cancellarius, & Catholicorum infensissimus hostis, qui ad exequendum istud Mysterium iniquitatis & negotium perambulans in tenebris, falsos testes subornavit, præsertim quemdam *Titum Oatem*, nequissimum ac projectæ conscientiæ virum, Calvinistarum ad Catholicos, & a Catholicis ad primæ hæresis Sectatores transfugam, qui perfricta fronte Catholicos accusare, & in judicium vocare ausus est. Sed sceleratissimi illius hominis calumnias detexit, & Catholicorum super hac ficta in Regem Angliæ conspiratione innocentiam egregie ac invictis momentis vindicavit *Antonius Arnaldus*, Doctor Sorbonicus, in *Apologia*, quam Gallice scripsit, pro Catholicis Angliæ parte I. At, quamvis, insontes essent Catholici, in illos tamen a falsis testibus accusatos, & vanæ illius conspirationis in Regnum suspicione implicatos, hæretici Angli anno 1679. atrociter sævierunt, suoque furori, eorum sparso ubique sanguine, litarunt. Patuit paulo post, hæreticos fictæ illius conspirationis in Regem, Catholicis injuria adscriptæ, esse auctores. Anno siquidem MDCLXXXII. perfidus jam laudatus, *Shaftburius*, juratus Catholicorum hostis, *Carolum* Regem Angliæ, ejusque fratrem Ducem Eboracensem, facta conspiratione, occidere decreverat. Sed deprehensis a Catholicis Anglis conjuratorum malignis artibus, *Shaftburius*, conjurationis caput, in Hollandiam præcipiti fuga se se proripuit. Dissipatam illam conjurationem anno sequenti renovarunt hæretici Angli, & novis captandis occasionibus intenti, gemino Regis, ejusque fratris Ducis Eboracensis parricidio se fœdare constanter decreverunt, dum Rex ejusque frater ad publicum aliquod spectaculum, seu ad annuam Taurorum pugnam, quæ Londini decimo Kalendas Julii haberi solet, convenire, suique copiam populo facere debebant. Hanc clandestinam conjurationem exequi dum meditabantur improbi illi homines, unus illorum concepti parricidii pœnitentia ductus, rem totam aperuit Regi, cujus jussu plures intercepti conjurati, capite aut exilio mulctati sunt. Paulo post tempore quam istam conjurationem disturbaverat *Carolus* Rex Angliæ, in morbum incidit, jamque propediem moriturus, Catholicam Religionem, quam ab annis bene multis jam secreto coluerat, professus est, & ab Hæresi absolutus, sacroque Viatico refectus a Patre *Joanne Huddleston*, Monacho Benedictino Anglo, sicut constat ex illius, & aliorum occulorum testium fide, & ex multis certissimis Actis ac monumentis, quæ illustrissimus Dominus *Philippus Michael Ellis*, olim *Jacobi* II. Regis Angliæ Cappellanus, nunc vero in Italia Episcopus Signiensis, accurate refert in Epistola, quam die 25. mensis Augusti anni 1709. direxit ad *Dominicum Berninum*, quamque idem *Berninus*, integram inseruit Tomo IV. *Historiæ*, quam Italico Idiomate descripsit, *Hæresum*, a pagina 691. usque ad paginam 697. Obiit autem *Carolus* II. Angliæ Rex die XVI. mensis Februarii anni 1685.

D. Non miror sane quod in Angliæ Regno, tot Hæresum Sectis fœdissime conspurcato, innumeræ concitentur turbæ dissensionum, quibus concordia civium, vis legum, auctoritas Principum ac Magistratuum penitus opprimitur. Sublata quippe semel avita Religione, periclitantur leges, erumpunt inter cives apertæ odia, nec Regum auctoritas tuta esse potest apud hæreticos, quorum illud ingenium est, ut impatientes dominationis sint, potestatem Regum & Principum occulte primum & quasi per cuniculos, tum postea, ubi se se dat occasio, aperta vi & professis odiis oppugnent, leges immutent, pervertant instituta, ac Majorum imperium superbe, arroganterque detrectent. Quid igitur mirum, si Angli, qui post Schisma ab eorum Rege *Henrico* VIII. conflatum, tot Sæculorum, tot ingeniorum venerandam Ecclesiæ Romanæ auctoritatem spreverunt, hominis unius tandem legibus & imperio subesse nolint, juraque Regia conculcent, qui divina tam audacter, tam insolenter protriverunt? Sed prosequere, quæso, seriem Regum Angliæ, & ostende, quem *Carolus* II. Successorem habuerit?

M. Eodem die, quo *Carolus* II. Angliæ Rex, e vivis excessit, *Jacobus* Eboracensium Dux, ejus frater, ab universis Regni Proceribus, singulisque Ordinibus Rex Angliæ salutatus est, quamvis se Catholicum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ addictum palam profiteretur. Sub Regni sui exordium *Jacobus* hujus nominis II. Angliæ Rex, feliciter compressit conspirationem commotam a *Montmutio* Duce, qui Regnum affectabat, illudque sibi, utpote Hæretico, deberi pertendebat, non vero *Jacobo* II. qui Catholicam Religionem aperte profitebatur. Erat autem hic Dux *Montmutius*, extincti Regis Angliæ *Caroli* II. filius spurius, qui, conciliatis sibi Hæreticorum animis, ad Solium Regium omni arte, occultisque coitionibus irrepere molitus est. Eo jubente, Comes *Argillius*, hujus conspirationis fautor, mense Majo, & ipse mense Julio sequenti excensionem in Angliam facturi navem conscenderunt. Sed infaustum uterque nactus est exitum. *Comes Argillius* rebellionis scelus Edimburgi in Scotia tertio Idus Julii capite luit. Dux vero *Montmutius* pari sorte prælio victus, captusque Londini die 21. ejusdem mensis Julii Regiam dignitatem, quam ambierat, cum reis læsæ Majestatis capitali supplicio commu-

mutavit. Sic auspicato repressis rebellibus ac conjurationis auctoribus, *Jacobus* II. Regnum Angliæ moderari cœpit, cumque Catholicam, seu Romanam fidem, profiteretur, Catholicos Angliæ, a tot annis crudeli jugo depressos, in libertatem asserere, eisque conscientiæ libertatem concedere voluit. Quæ res Hæreticos Angliæ ita offendit, ut adversus optimum illum Regem occultam excitarint conjurationem, quæ postea in apertum prorupit, quæque perfidum illum populum summæ turpitudinis nota apud posteros inuret. Hanc conscientiæ libertatem Catholicis a Rege *Jacobo* concessam Heterodoxi urbis Edimburgi in Scotia cum nec ferre, nec permittere vellent, in eos an. 1686. insurrexerunt, eorum domos diripuerunt, eisque graviora damna intulissent, nisi Comes *Perthius*, hujus Urbis Præfectus, confestim milites immisisset in eos seditiosos, qui partim cæsi, partim fugati, reliqui destinato supplicio puniri sunt. Non minus in Anglia contra hanc conscientiæ libertatem Catholicis a Rege *Jacobo* indultam tumultuabantur Hæretici Episcopi, quos proinde Rex præcepit in carcerem conjici, qui tamen postea ejus jussu custodia dimissi, infestum in Regem animum foverunt, & conceptam conspirationem acrius urgere cœperunt. Inter hæc, *Jacobo* II. Angliæ Regi ex uxore *Maria Eleonora*, ex Principum Estensium Familia natus est die 20. Junii anni 1688. filius, quem *Jacobi* nomine, & Walliæ Principis titulo insignitum voluit. Hujus Principis ortum sicut omnes Catholici summa gratulatione exceperunt, quod Catholicam Religionem in Anglia paulatim restitutum iri sperarent; ita Hæretici Angliæ iniquis ac molestis animis tulerunt, quod sibi fingerent, futurum ut Princeps ille Catholica Religione imbutus, & Regi patri suo, sacris Romanis addicto, succedens, Regna Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Fidei Romanæ & Communioni restitueret. Ex eo itaque Walliæ Principis ortu occasionem arripuerent Hæretici Angliæ instigandi Guillelmum Principem Arausicanum, ut absque mora in Angliam veniret, ferretque opem adversus Jacobum Regem, a quo Religionem, Legesque Regni pessumdari causabantur. Hamum devoravit ambitiosus Princeps Arausicanus, & vectus Batavorum classe, mense Octobri anni 1688. vela fecit, eoque in Angliam vix appellente, statim conspiratio in Regem *Jacobum* erupit. Hanc Anglorum conspirationem, Batavorum, ac præsertim callidissimi Principis Arausicani artibus contextam, principio jam subodoratus fuerat *Ludovicus* XIV. Rex Christianissimus, qui confestim *Jacobum*, Regem Angliæ, admonuit instantis periculi; cujus amantissimis monitis si credidisset Rex *Jacobus*, facile ad ipsa conjurationis cubilia, recentibus adhuc vestigiis, pervenisset. At, dum invictam defensionem spondentibus, sed punica fide, Anglis plus æquo credit Rex *Jacobus*, primo destitutus est a Classe sua, inde etiam a terrestribus copiis, quæ per summam perfidiam ad Principem Arausicanum deficientes, suum Regem in extremum vitæ discrimen adduxerunt, a quo ut se, Regiamque familiam subduceret Rex, primum saluti Reginæ & Walliæ Principis fuga consuluit. Deinde inspecto infidæ suæ gentis animo, mense Decembri ejusdem anni ex Anglia discessit, & in Gallias, quo Reginam conjugem, filiumque suum jam præmiserat, post maxima terra marique vitata pericula, pervenit mense Januario anno 1689. Elapso Rege, *Guillelmus* Princeps Arausicanus, gener *Jacobi* Angliæ Regis (nupserat quippe *Mariæ*, ejusdem *Jacobi* Regis filiæ) Regnum Angliæ invasit, & Rex Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ fuit acclamatus, dictusque *Guillelmus* III. Obiit *Maria*, conjux Principis Arausicani dicti in Anglia *Guillelmi* III. die XVIII. mensis Decembris anni 1694. Princeps vero Arausicanus, Regni Angliæ invasor, dictusque *Guillelmus* III. e vita migravit die 19. mensis Martii anno 1702. Mortuo *Guillelmo*, Principe Arausicano, Angli in Regio Throno collocarunt *Annam*, Hæreticam, *Jacobi* II. e Regno Angliæ pulsi, filiam, *Georgii* Principis Daniæ conjugem, quæ mortua est die 12. mensis Augusti an. 1714. Denique, post obitum *Annæ* Reginæ Angliæ, nova in Regno Angliæ facta est rerum conversio. Comitia quippe Generalia Principes Catholicos a regio Angliæ Sceptro exclusos penitus declararunt, jusque regnandi in Anglia contulerunt in extraneum Principem Hæreticum, seu in *Georgium*, Ducem Hannoveranum, qui etiamnum dominatur in Anglia, quæ Reges ex sua gente fastidiosius dedignata externi tandem Principis jugum ac servitutem subiit, nec sat pœnarum hactenus dedit, quia cædis Regis *Caroli* I. sceleri, & in Regem *Jacobum* II. e Regno pulsum nefandissimæ conjurationi longior ultio debetur.

D. Quam tandem sortem habuit Rex *Jacobus* hujus nominis II. qui à suis subditis e Regno Angliæ fuit tam injuste pulsus, & e Regio Solio a *Guillelmo*, Arausicano Principe, deturbatus?

M. Ejectum e regno Angliæ Regem *Jacobum* II. & in Gallias cum Regina conjuge sua, & filio suo Walliæ Principe, in cunis adhuc vagiente, appulsum Rex Christianissimus *Ludovicus* XIV. omni comitatis officio excepit, Regium S. *Germani* prope Parisios Palatium, cum Regio Prætorianorum & Officialium apparatu, habitandum dedit, illum erexit afflictum, & cum ipso vires, arma, thesauros, Classem perliberaliter communicavit, uno verbo, nihil intentatum reliquit *Ludovicus Magnus*, omnesque suas in eo curas fixit, ut *Jacobus* Rex Solio paterno redderetur. Multi in Hiberniæ Regno a partibus Regis *Jacobi* stabant, quos *Tyrconellus* Comes in fide continebat, Rexque ipse ad hanc Insulam appellens præsentia sua confirmavit. At princeps Arausicanus commissa anno MDCXC. pugna ad Boynam fluvium, victoria potitus

est, & *Jacobus* Rex in Gallias profugit. Animum tamen non despondit, sed iterum in Regnum suum regressum tentavit, cumque adversa ubique fortuna uteretur, nec ulla recuperandi Regni spes affulgeret, tandem Princeps Arausicanus, ubi de pace generali actum est, legitimus trium Regnorum Angliæ, Hiberniæ, & Scotiæ possessor renuntiatus est, sicque funesta rerum conversione *Jacobus*, Rex legitimus, vidit, se tribus illis Regnis exutum a genero suo, qui Anglorum rebellionem compescere, & tria hæc Regna Socero suo asserere strictissimo affinitatis & gratiarum debito tenebatur. Sed quid non mortalia pectora cogit Regni sacra fames? Si autem quæras, quorsum permiserit Deus, ut rebelles Hæretici Angli in tam iniqua causa vicerint, & cur bellum, quod Rex *Jacobus* adversus illos gessit, quoque nullum unquam justius & sanctius gestum fuit, infelicem habuerit exitum? breviter respondebo, id justis & arcanis causis, quas nobis perscrutari haud licet, permisisse Deum, sed præsertim ad puniendos Anglos, utpote Indignos, qui post profligatam Catholicam Religionem, Catholicum Regem tam cito haberent. Voluit etiam Deus comprobatam tot rebus adversis invictam Regis *Jacobi* constantiam illustriorem reddere, eamque immortali corona præmiare, quam religiosissimus ille Rex, eximia pietate, clementia, ceterisque aliis virtutibus Christianis præditus, jam, ut speramus, adeptus est, quam spem nobis faciunt pia ejus in vita opera, & tranquilla, vereque Christiana mors, quam obiit in Regio S. *Germani* prope Parisios Palatio die 16. mensis Septembris an. 1701. Reliquit Rex *Jacobus* filium, Walliæ Principem, qui in jura patris sui succedens, dictus est *Jacobus* hujus nominis III.

Supersunt adhuc tria observatione digna, quæ ad Statum Ecclesiæ sub Principibus Sæculi XVII. attinentia hic silentio prætermittere haud possum. Primo, advertere debes, jam adulto Sæculo decimo septimo, seu circa annum MDCL. extinctam fuisse Dynastiam *Taminorum*, quæ a multo jam tempore Sinensibus imperabat, & confestim Sinarum Imperium occupatum esse a *Tzumteo*, Magno Tartariæ Chamo, qui paulo post mortuus filium reliquit *Chimchium*. Hic totum Sinarum Imperium, Bello post annos septem confecto, sub jugum misit, cumque imperasset usque ad an. 1662. e vivis abiit, ejusque filius, dictus *Kam hi*, vel *Num hi*, amplissimo Sinensium Imperio potitus est. Sub hoc Imperatore, qui etiamnum apud Sinas dominatur, haud levem persecutionem passi sunt Vicarii & Missionarii Apostolici occasione Edicti, quod prædictus Imperator die 30. mensis Septemb. an. MDCC. promulgavit, eoque non solum approbavit cœremonias cultus, quem Sinenses Cælo, Philosopho *Confucio*, parentibus defunctis, & Idolo *Chimhoam* exhibere solent, sed etiam districte præcepit, ut in toto Sinarum Imperio ab omnibus inviolabiliter observentur. Eo tamen non obstante Imperiali Edicto, *Clemens* XI. Pontif. Max. de Sinensium salute maxime solicitus, post diuturnam discussionem & maturam deliberationem, speciali Decreto an. 1704. cœremonias Cultus Sinensium tanquam superstitiosas, & Idololatriæ labe infectas damnavit, misitque in Sinarum Imperium Dominum *de Tournon*, Patriarcham, Sedis Apostolicæ Legatum, ac postea Cardinalem, ut Pontificium Decretum ab omnibus Vicariis & Missionariis Apostolicis illius Imperii executioni mandari, ac servari curaret. Sed ad Sinarum Imperium appulsus ille Sedis Apostolicæ Legatus, dum pro suo officio Decreti Pontificii executionem urget, Edicto Imperatoris dato die 17. Septemb. an. 1706. e toto Sinensium Imperio facessere jussus est: ac tandem multis ærumnis affectus & in carcerem in urbe Macao conjectus, mercedem laborum suorum percepturus ex hac vita migravit. Rata habuit *Clemens* XI. Pontif. Max. ea, quæ Cardinalis de *Tournon* in Sinarum Imperio ad procurandam Decreti Pontificii executionem Apostolico zelo accensus egerat, eum post mortem impense laudavit, dominum *Maigrot*, Episcopum Cononensem, aliosque Missionarios, eo solo nomine e Sinensium Imperio expulsos, quod Sinensium cultum reprobarent, Romam adventantes perhonorifice & summa cum benignitate excepit optimus Pontifex, ac tandem Fidei, cultusque divini puritatis conservandæ tenacissimus, publicavit Constitutionem, qua superstitiosum cultum, quem Sinenses Cælo, Philosopho *Confucio*, & Parentibus defunctis exhibent, toti Orbi a se damnatum diserte declaravit, causamque finitam pronunciavit.

Alterum observatione dignum Sæculo XVII. contigit sub *Amedeo* Sabaudiæ Duce, qui an. 1686. (æmulatus pietatem *Ludovici* XIV. Calvinianam Hæresim in Galliarum regno profligantis) Hæreticos in aliquot subalpinis Ditionis suæ Vallibus Edicto proscripsit, eorum diruit templa, pseudo-Pastores, ac errorum præcones eliminavit, pœnamque capitis statuit iis, qui Hæresim ejurare & Catholicam Fidem obstinata pervicacia amplecti renuerent. Sed pervicaces hæretici in desperationem acti ad salebrosa loca confugerunt, quorum aspero situ se tutari posse sperabant, & Viros Religiosos, qui ad eos in Fide instruendos missi fuerant, pessime habuerunt. Quo factum est ut Dux Sabaudiæ eo copias duxerit, ad eos internecina clade delendos, ab Oratoribus tamen, qui Tigurinorum & Bernensium nomine supplicatum advenerant, ad misericordiam inflexus, illis pepercit, ea lege, ut quamprimum ex ipsius Ditionibus excederent. At cum hæretici, larium ac rei familiaris amore ducti, huic legi nec parere, nec ab Hæresi recedere vellent, instaurato Bello in eos movit Dux Sabaudiæ, & expugnatis omnibus eorum munimentis, atque occupatis præcipuis recessibus, illos tandem exulare, ac solum vertere coegit. Id obiter observandum esse duxi ad laudem & immortalem gloriam Serenissimi Ducis Sabaudiæ, qui nunc, toto plaudente Orbe Christiano, Sceptro & Corona Regni Sardiniæ donatus est. Facere quippe non possum, quin erga sapientissimum illum Regem, Litteratorum munificentissimum patronum,

de me

de me ac meis in Pedemontio consanguineis optime meritum, prodeat coram, & erumpat quodammodo meus gratus animus ac summa observantia, cujus monumentum, ac publicum specimen, impar licet, & Regiæ ejus Majestati parum oppido respondens, malui hic dare, quam nullum.

Denique, sub finem Sæculi XVIII. idest, anno 1696. post mortem *Joannis Sobieskhi* Poloniæ Regis, contigit in novi Polonorum Regis electione res observatione digna, quam hic breviter referam. Ex triginta duobus Dynastibus Palatinis, qui in Regem Poloniæ eligendum suffragia sua conferunt, viginti octo suffragia (agente potissimum Abbate *Poliniaco*, Regis Christianissimi tum temporis in Polonia Legato, nunc vero S. R. E. Cardinali) tulit *Franciscus Ludovicus Borbonius Contius*, Princeps, rei militaris peritia, omnique virtutum genere cumulatissime præditus. Quatuor autem duntaxat suffragia obtinuit *Federicus Augustus* Elector Saxonicus, qui tum Lutheranam Hæresim profitebatur. Non est dubium quin Princeps *Ludovicus Borbonius Contius* juxta Regni leges, & suffragiorum numerum, vere ac legitime Rex Polonorum fuisset electus; nihilosecius facta rerum conversione, Elector Saxonicus *Federicus Augustus* feliciori fortuna usus Regnum Poloniæ sibi vendicavit. Id nullo pacto pati potuit *Carolus* XII. Suecorum Rex magnaninius, avitæ virtutis, quam olim in *Magno Gustavo* tota Europa suspexit, non degener nepos, in quo solum vera, seu Catholica religio desiderabatur. Hic siquidem juvenis adhuc, sed fortissimus Rex, & ad Bellum natus devictis Moscovitis, & Daniæ Rege subacto, *Federicum Augustum*, Electorem Saxonicum, armis lacessivit, ejus exercitum, commisso prælio die 29. mensis Julii anni 1703. penitus delevit, illum e solio deturbavit, deditque operam ut Dynastes Palatini die 12. mensis Julii 1704. in Regem Poloniæ eligerent *Stanislaum Leczinski* Posnaniæ Palatinum. Jus suum armis pro viribus tutatus est *Federicus Augustus* cum Moscovitis fœderatus, sed Suecorum Rex Moscovitas debellavit, compulit Regem *Federicum Augustum*, ut sese corona Regni Poloniæ die 24. mensis Septembris anni 1708. abdicaret, eamque cederet *Stanislao Leczinski*, quem ut mox diximus, Rex Suecorum in Regem Poloniæ eligendum curaverat. Sed anno sequenti, seu die 8. mensis Julii anni 1709. Rex Suecorum, profligato penitus a Moscovitis ejus exercitu, per vias asperas, omnibusque invias, in Oppidum *Bender* Turcicæ dominationis fugere, ibique diu manere coactus, locum ac tempus reliquit *Federico Augusto* Regnum Poloniæ recuperandi, quo nunc pacifice (jam mortuo Suecorum Rege, hoste ipsius infensissimo) potitur, & ejurata Lutherana Hæresi, qua antehac irretitus erat, Catholicæ, seu Romanæ Ecclesiæ fidem palam profitetur. Hæc *Federici Augusti*, Poloniæ Regis, sicut & ipsius filii, Saxoniæ Principis, ad Fidem Catholicam conversio Romanam Ecclesiam ingenti lætitia cumulavit, spemque facit, fore ut Saxonia, quæ Lutheranæ Hæreseos parens fuit, caput, columen, ac propugnaculum, se se tandem aliquando in sinum Ecclesiæ Romanæ recipiat, & felicissima voluntatum, rerumque conversione, Populi illi, extincta Lutherana Hæresi, uno Fidei Catholicæ vinculo firmissime colligati, in unam & veram Religionem consentiant. Necdum quidem Votis respondit exitus ille, cujus explorata spes injecta est, sed brevi, ut certo auguramur, dies ille illucescet, quem Deus Optimus Maximus tanto operi perficiendo præstituit, ejusque potentissimo præsidio freti Rex *Augustus*, ejusque filius Saxoniæ Princeps, rem tam arduam, humanisque, quantæ sunt, viribus majorem, magnis animis aggredientur, & huic gravissimo negotio, quod auctore Deo susceperunt, & præpotentis Dei gloriæ addictum unice ac consecratum volunt, coronidem tandem imponent. Sic jacebit in Saxonia æternum Hæresis, florebit perpetuo Religio vim suam instaurata, pietas ac fides obtinebit, & Regi *Augusto*, ejusque filio, Saxoniæ Principi, quos selegit Deus & tam gravi negotio nobilissimos actores præfecit, gratulabuntur illi omnes, qui eorum dignitati, ac veræ gloriæ student.

C O L L O Q U I U M II.

In quo describuntur Series & Gesta Summorum Pontificum, qui Sæculo XVII. Sedem Romanam tenuerunt, & universæ Ecclesiæ præfuerunt.

D. SEriem Romanorum Pontificum, quam in Colloquio II. in Historiam Sæculi XVI. usque ad *Clementem* VIII. perduxisti, continuare nunc debes usque ad *Innocentium* XIII. Pontificem Maximum, qui modo Sedem Romanam tenet, & quem utinam Deus Ecclesiæ suæ diu sospitem & incolumem servet. Quantum siquidem momenti ad confirmandam Catholicæ & Apostolicæ Fidei veritatem adferat legitima Romanorum Pontificum, ab ipso *S. Petro* Apostolo, cui gregis sui pascendi curam Christus Dominus concredidit, ad hæc nostra usque tempora continuata successio, vel inde facile intelligo, quod hæretici & schismatici omne studium suum in hoc unum conferre videantur, ut fundamentum hoc, in quo Christus Dominus Ecclesiam suam ædificavit, subruere, & ex animis fidelium penitus extirpare possint. Quo circa, rem longe gratissimam mihi facies, si Romanorum Pontificum, qui a *Clemente* VIII. usque ad *Innocentium* XIII. nunc sedentem, universam Ecclesiam gubernarunt, seriem ac res præclare gestas, breviter in hocce Colloquio describere velis, ut ex illa sola continua & nunquam interrupta Romanorum Pontificum serie omnibus Ecclesiæ Romanæ innotescat veritas, & obstruantur ora Hæreticorum, atque Schismaticorum, qui hanc continuam ac legitimam Pastorum successionem in suis Sectis nullo pacto exhibere possunt.

M. Sedes Romana, ut ſæpius te monui, integram habet ſeriem ſuorum Pontificum, qui poſt Sanctum *Petrum* Apoſtolorum Principem univerſæ Eccleſiæ ita præfuerunt, ut & ſanam a Chriſto Apoſtoliſque traditam Doctrinam illibatam conſervarint, & Hæreticorum errores detexerint ac profligarint. Qua quidem in re ſingularem Chriſti Domini bonitatem & providentiam ſuſpicere debemus, quod cum in pleriſque Eccleſiis, præſertim Antiochena, Alexandrina, & Hieroſolymitana, quæ ab Apoſtolis erant fundatæ, Epiſcoporum continua ſeries ſæpius interrupta defecerit, ſola vero Sedes Romana tam excellenti divinæ gratiæ privilegio dotata eſt, ut inter tot labentium temporum varietates ac difficultates invicta ſemper ſteterit, in tantis Tyrannorum perſecutionibus portæ Inferi adverſus eam prævalere non potuerint, & Fides *Petri*, pro qua Chriſtus, ut ne deficeret, oravit, in ſucceſſoribus *Petri* perpetuo ſarta tecta & nullius erroris labe contaminata viguerit ac etiamnum vigeat, ſemperque vigebit. Hinc priſci Sancti Patres, cum pro vindicanda ab Hæreticorum erroribus Catholicæ Fidei veritate decertarent, ab ipſis Apoſtolis deductam ac propagatam Romanorum Epiſcoporum ſucceſſionem, tanquam validiſſimum arietem, deſtruendis illorum erroribus admoverunt, hoc peremptorio argumento illos jugularunt, & hanc demum certiſſimam Fidei regulam eſſe judicarunt, quæ cum viſibili Paſtore, ſeu Romano Pontifice, Chriſti in terris Vicario, per omnia conſentiret. In hoc itaque Colloquio proſequemur Romanorum Pontificum ſucceſſionem, quam in Colloquio I. in Hiſtoriam Sæculi XVI. produximus uſque ad *Clementem* VIII. qui, poſtquam tredecim annos, ac triginta dies Eccleſiam ſanctiſſime gubernaſſet, vixiſſetque ſexaginta novem annos, meritis quam annis longe cumulatior, in Cælum migravit quinto Nonas Martii ann. 1605. In ejus locum die 2. menſis Aprilis ejuſdem anni, ut cenſet *Papebrochius in Conatu Chronico Hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum*, ſexaginta Cardinales in Conclavi præſentes ſuffecerunt *Alexandrum Octavianum Mediceum*, ita dictum a Principe *Medicea* familia, ex qua originem ducebat. Patria erat Florentinus, Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus, & ad Principum conciliandam concordiam ad *Clemente* VIII. Pontifice Maximo miſſus, præclare Legationibus functus, præſertim in Galliis, quo ab eodem Pontifice anno 1590. deſtinatus fuit, ut promiſſas a Procuratoribus Chriſtianiſſimi Regis *Henrici IV.* in ipſius ab Hæreſi abſolutione conditiones coram exigeret, & reconciliationem ejuſdem Regis Romæ factam in Galliarum Regno promulgaret, ſicque omnis rebellionis prætextus factioſis, qui adhuc in armis erant, penitus adimeretur. Ad Pontificale Solium *Alexander Octavianus Mediceus* ſublimatus, appellari voluit *Leo* XI. & coronatus eſt die 10. menſis Aprilis ejuſdem anni 1605. Sed hanc ſupremam dignitatem deguſtavit duntaxat, ſeditque dies 26. & obiit die 27. ejuſdem menſis & anni. Hujus Summi Pontificis præclarum facinus Cardinalis *Baronius* Tomo 12. Annalium Eccleſiaſticorum ad annum 1187. loquens de *Gregorio* VIII. duorum circiter menſium Pontifice, commemorat his verbis: *Leo ſanctæ memoriæ Papa XI. ne unum quidem in Pontificatu menſem explevit: O rerum humanarum inconſtantiam! Creatus Pontifex Kalendis Aprilis, eſſe morte deſiit die XXVII. ejuſdem, ſed qui vere egregio, ac ſingulari virtutis exemplo, conſummatus licet in brevi explevit tempora multa ...... Ægrotans ſuaſionibus plurimorum adduci non potuit, ut nepotem ſuum, modeſtiſſimum adoleſcentem, quem penes ſe educaverat, & unice diligebat, crearet S. R. E. Cardinalem ..... Vicit licet infirmus corpore, robore animi, id ſtudioſe petentium, importune exigentium, & extorquentium violenter quorumdam Cardinalium, atque Regiorum Legatorum ſummam potentiam .... Confeſſarium ſuum iſta ingerentem longe longius repulit, expulit, & ad ſe amplius accedere vetuit, ut quem magis indulgere affectui conjunctorum, quam animæ ſuæ ſaluti conſulere cognoviſſet: delecto poſt hæc, ad ſacrum munus pœnitentiæ impendendum, Viro digniſſimo Petro de Matre Dei a Rocha Hiſpano Carmelitano, reſtitutæ obſervantiæ cuſtode & propagatore, Sacrique Palatii a Clemente VII. delecto Concionatore, ſub cujus miniſterio animam feliciter Deo reddidit, victor & triumphator ampliſſimus*. Et paucis interjectis, hæc de eodem Pontifice ſubdit Cardinalis *Baronius*: *in triplici certamine triplici victoria glorioſus triplici palma triumphans, eluſo mundo, confuſo Satana, ſibi dominans, migravit in Cælum*. Vacavit poſt obitum *Leonis* XI. Sedes Pontificia dies XVIII. & tandem die decimo ſexto menſis Maji ejuſdem anni *Camillus Burgheſius*, Romæ natus, ſed Senis ex illuſtriſſima familia oriundus Presbyter Cardinalis tituli S. *Chryſogoni*, electus eſt Romanus Pontifex, & coronatus in Feſto Pentecoſtes, qui hoc anno incidit in diem XXIX. ejuſdem menſis, dictuſque *Paulus* V. quem rerum agendarum magnus uſus, zelus honoris Dei & Eccleſiaſticæ libertatis, ſingularis morum comitas, placida in omnes beneficentia, mores integerrimi, ſagaciſſimum ingenium, & exquiſita eruditio, ceteræque id genus virtutes egregie commendabant. In Specula Paſtorali conſtitutus *Paulus* V. egregiam navavit operam tum in tuenda & ornanda domi, tum foris propaganda & amplificanda Catholica Religione; tum etiam in evertendis Hæreſibus, exſcindendis erroribus, ſtatuendis antiquis Pontificum, Conciliorum, Patrumque ſententiis, præſertim Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ*, quorum doctrinæ adeo addictus erat, ut in Congregationibus *De divinis Auxiliis*, quas poſt obitum *Clementis* VIII. Pontificis Maximi redintegrari, ac denuo inſtitui voluit, agitatas Dominicanos inter & Patres Societatis Jeſu de efficacia Gratiæ, & gratuita Prædeſtinatione Controverſias, ad germanam Sanctorum Aquilini, & Angelici Doctorum mentem exigi ac dirimi debere decreverit. Sciebat quippe *Paulus* V. Sum-

mus

mos Pontifices, decessores suos, illustria de doctrina amborum Patrum testimonia protulisse, recolebat animo, *Innocentium* I. *Cælestinum* I. *Gelasium* I. *Hormisdam*, *Joannem* II. *Joannem* IV. *Nicolaum* I. *Leonem* IX. *Gregorium* VII. *Urbanum* II. *Martinum* V. *Clementem* VIII. magnis *Augustini* Doctrinam laudum præconiis extulisse. Meminerat etiam *Innocentii* V. *Joannis* XXII. *Urbani* V. *Pii* V. & *Clementis* VIII. Constitutionum, in quibus S. *Thomæ* Doctoris Angelici Doctrina recta, sana & sancta haberi jubetur. Hac igitur luce plenus *Paulus* V. & tot ante se Pontificum exemplum secutus, impense colebat Doctrinam Sanctorum *Augustini*, *& Thomæ Aquinatis*, quem postremum appellabat *splendidissimum Catholicæ Fidei Athletam*, *cujus Scriptorum clypeo militans Ecclesia Hæreticorum tela feliciter elidit*. Sed, priusquam res a *Paulo* V. Pontifice Maximo præclare gestas describendas aggrediar, lubet in antecessum referre rem certe singularem, quæ contigit in ejus electione, in qua Deus duobus potissimum administris usus est, doctissimis videlicet Cardinalibus *Baronio*, Eminentissimo Annalium Ecclesiasticorum Parente, & *Bellarmino*, acerrimo contra Fidei hostes Assertore. Cum enim Cardinales in Conclavi disceptarent, quem exstincto *Leoni* XI. Pontifici Maximo sufficerent, unus præ ceteris ætate & gratia Cardinalis *Dominicus Tuscus*, Mutinensis, hac suprema Ecclesiæ dignitate dignior proponebatur, in eumque Galli & Hispani consensuri videbantur, jamque ad Sacellum, ut ad ejus genua procumberent, ingrediebantur Cardinales, cum repente *Baronius* cœpit exclamare, Cardinalem *Tuscum* parum idoneum Christianæ Reipublicæ futurum. Hac Cardinalis *Baronii* voce strepitus adeo ingens excitatus est, ut ei statim Cardinales, quos *Conscientiæ* vocant, inter quos princeps erat *Bellarminus*, adhæserint. Inter hæc, *Baronium* ipsum non pauci summum Pontificem acclamarunt, quibus ille manibus pedibusque restitit, orans, ut digniorem eligerent, onusque illud, Angelicis humeris formidandum, cui ferendo se imparem esse eximia modestia profitebatur, ejus humeris non imponerent. Pontificatum deprecante, & a se amoliente *Baronio*, in *Bellarminum* subinde conversa sunt Cardinalium Vota: Immo, ut *Ciaconii* Continuatores referunt in Cardinalis *Bellarmini* Vita, *in Comitiis Pauli V. parum abfuit, quin in Pontificem Maximum eligeretur, sed ipse Virum gravissimum, suum studium operamque pollicentem, ut desisteret, cohortatus est*. Iis renuentibus atque obsistentibus, *Camillus Burghesius* a Cardinalibus *Montaltio*, & *Aldobrandino* acclamari cœpit, cumque vox Collegium pervasisset universum, extemplo Romanus Pontifex ab omnibus salutatus est.

D. Agnosco sane, hanc *Camilli Burghesii* electionem ad insperatum exitum factam, Dei omnia pro summa sua sapientia disponentis, arbitrio contigisse, & Purpuratos Principes Pontificatus honorem *Camillo Burghesio*, dicto *Paulo* V. divino potius nutu, quam humano detulisse. Sed dicas, amabo, quem tandem exitum habuerint celebres istæ *Congregationes de Auxiliis*, quas, ut mox dicebas, *Paulus* V. Pontifex Maximus, post obitum *Clementis* VIII. intermissas, denuo instituit, ad diem ultimam imponendam hisce Controversiis, quæ de Divinæ Gratiæ efficacia, ac gratuita prædestinatione, Dominicanos inter & Patres Societatis Jesu erant obortæ.

M. Sexdecim Congregationes *de Divinis Auxiliis* sub *Paulo* V. Pontifice Maximo habitæ sunt, occultis tamen rationibus permotus Summus ille Pontifex, & maxime propter gravissimam litem, quæ ipsum inter & Rempublicam Venetam infausto rerum concursu id temporis emersit, sancitum judicium seu Diploma Pontificium promulgare noluit, sed vocatis Præpositis Generalibus Ordinum FF. Prædicatorum, & Societatis Jesu, ejusmodi Controversias de Gratia & Prædestinatione, dato fiduciario Rescripto, in suspenso posuit, judicii Apostolici promulgationem distulit in aliud tempus, atque interim partes dissidentes, sub spe promulgandi aliquando judicii, intra modestiæ fines contineri jussit. Sic enim habet fiduciarium istud *Pauli* V. Rescriptum, quod italice scriptum, summa fide latine redditum hic exhibebo. *In Causa de Auxiliis S. D. N. Disputantibus & Consultoribus significavit, posse illos reverti ad propria. Dixitque Sanctitas sua, se opportuno tempore promulgaturum declarationem, ac determinationem suam: Atque interim quam serio injunxit, ut in hujusce argumenti tractatione, nullus partem alteram nota aliqua, vel censura notare audeat. Jussit insuper tam Prædicatoribus, quam Jesuitis, ut si quis hoc in capite deliquerit, severe puniatur. Ita quippe suum istud Decretum inviolate servari vult. Suo ergo officio non deerit Paternitas vestra, ut ejus observantiæ invigilet. Singulariter vero data occasione significabit quidquid in hoc executioni demandaverit, ut de iis Suæ Sanctitati ratio reddi valeat.* Hic est tenor istius Pontificii Decreti Fiduciarii dati an. 1606. quod statim Romana universalis Inquisitio misit ad Nuntios Apostolicos Florentiæ, Poloniæ, Neapolis, Venetiarum, Hispaniæ, Pragæ, Galliæ, Coloniæ, Sabaudiæ, nec non ad Generales Fidei Quæsitores Hispaniæ, Lusitaniæ, Mediolani, Genuæ, Taurini, Avenionis, Melitæ, Apuliæ, Sardiniæ, & Siciliæ, eosque datam a summo Pontifice promulgandi aliquando sanciti sui judicii fidem monuit. Hunc tandem exitum habuit famosa illa de Divinis Auxiliis controversia, pluribus in Congregationibus sub *Clemente* VIII. & *Paulo* V. magno animorum æstu hinc inde Dominicanos inter & Patres Societatis Jesu, occasione libri *Ludovici Molinæ* ventilata, quæ tamen necdum finita est, nec extremo judicio hactenus eliquata. Vulgandæ quidem Apostolicæ definitionis fidem conceptis Rescripti sui verbis oppigneraverat *Paulus* V. At, cum nihil post illud *Pauli* V. Rescriptum ab Apostolica Sede in *Molinæ* causa hactenus prodierit, quiescere debemus, donec

Pontificia Sententia prodeat, ac sedulo cavere, ne præcipiti Censura inuratur, quod nondum ex præscripto juris ab Apostolica Sede proscriptum est. Plura hic gestiret calamus scribere de his, quæ in celeberrimis Congregationibus *De Divinis Auxiliis* acta ac discussa sunt, sed eum cohibere ac sistere teneor, maxime cum sciam, Romanos Pontifices *Paulum* V. die 1. mensis Decembris anni MDCXI. *Urbanum* VIII. die XXII. mensis Maji anni MDCXXV. *Innocentium* X. die XXIII. Aprilis anni 1656. & *Innocentium* XII. die 28. Januarii & 6. Febr. an. 1694. districte prohibuisse, ne quis in materia de auxiliis quidquam in lucem edat, *etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo*. Utinam! indictum illud silentium utrique contendentium parti probaretur & in illo conquiescerent. Quod ad me attinet, ita mihi semper placuit, ut quamvis in doctrina Gratiæ se ipsa efficacis, & gratuitæ ad gloriam prædestinationis, duabus Ecclesiæ columnis, *Augustino* videlicet & *Thomæ* perpetuo sim firmiter adhæsurus, nunquam tamen patiar, me ab eo, quod instar portus elegi, abripi proposito super hisce Controversiis, quæ animos exasperare possunt, paci religioso litandi silentio, meamque Romanorum Pontificum Decretis debitam reverentiam publica ac sincera animi significatione exhibendi. Hoc meum propositum & asylum sequetur sine dubio quisquis vere sapiet, & quieta fortuna frui volet.

D. Cum super celeberrimis istis Controversiis & Congregationibus de Divinis Auxiliis tam altum tibi indixeris silentium, illudque quominus abrumpas religio sit; meum ut possim explere desiderium, numerato pretio, parabo mihi quam primum *Historiam Congregationum de Auxiliis*, a Clarissimo Viro *Jacobo Hyacintho Serry*, Ordinis Prædicatorum, sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & in Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Academia Patavina Theologo primario adornatam, & Antuerpiæ an. 1709. typis excusam. In hac quippe Historia, quæ, ut audivi a viris eruditis, eleganti stylo exarata est, omnia Acta, ac Monumenta, quæ ad Congregationes de Divinis Auxiliis sub Summis Pontificibus *Clemente* VIII. & *Paulo* V. habitas attinent, summa cum animi mei oblectatione pervolvam, & avidis, famelicisque oculis lectitabo. Missis itaque nunc hisce Controversiis, & Congregationibus de Divinis Auxiliis, dicas, sodes, in quo potissimum sita esset gravissima illa lis, quæ *Paulum* V. Pontificem Maximum inter & Rempublicam Venetam emersit, quæque, ut mox ajebas, Congregationum de Divinis Auxiliis exitum retardavit.

M. Hæc difficilis & odiosa lis, quæ *Paulum* V. inter & Rempublicam Venetam enata est, originem habuit ex duobus Decretis, quæ Venetiarum Senatus edidit. Primum Decretum publicavit quarto Idus Januarii anni MDCIII. quo, ne Ecclesiastica Xenodochia ac Monasteria extrui, neve novi Religiosorum Cœtus ac Societates, absque Senatus venia, induci possent, pœnis gravissimis vetabatur. Alterum Decretum promulgavit Senatus Venetus anno 1606. decimo septimo Kalendas Aprilis, quo cavebatur, ut nullus testamento, venditione, aliave causa, bona immobilia perpetuo Ecclesiasticis relinquere, vendere, alienare, inconsulto Senatu, posset, sed transacto biennio, Bonis divenditis, pretia iisdem pro Legatis assignarentur. Ad hæc duo Senatus Veneti Decreta accessit aliud ejusdem Senatus Edictum, quo *Scipionem* quemdam, Canonicum Vicentinum, qui nobilis mulieris pudicitiæ vim inferre voluerat, & *Brandolinum* Nervesiæ Abbatem ob nefaria scelera, in publicos carceres, nulla eorum Ecclesiastici status habita ratione, conjici jusserat. Tria hæc gravi animo tulit *Paulus* V. Pontifex Maximus, quibus immunitas Ecclesiasticæ libertatis, seu Immunitatis jura, violatos Canones, messi alienæ a Senatu Veneto manum præpostere admotam autumabat. Hinc Senatus Consulta rescindi quantocitius, Clericosque carcere detentos Sacerdotum judicio ac tribunali permitti ac reddi jussit, quod ni facerent, Ecclesiasticum fulmen, & Interdictum citra ullam cunctationem ferendum comminatus est. Verum, obsistente Senatu, promulgatum, & ad solita Urbis compita affixum est *Pauli* V. Pontificis Maximi in Venetos Edictum, quo declarabatur, ni leges a Senatu abrogarentur, Clericique Ecclesiastico judicio subjicerentur, post elapsos quatuor ac viginti dies, Ducem ac Senatum excommunicatione quidem, aliis vero tribus transactis diebus, totam Rempublicam Venetam Interdicto Ecclesiastico ligatum iri. Non paruit Senatus, imo vetuit, ne intentatum fulmen ex juris formulis innotesceret, neve Pontificium Edictum a civibus exciperetur. Episcopos, ac Monasteriorum Præfectos ad se vocarunt Decem-Virum Magistri, & interminata capitis pœna vetuerunt, ne quid novi in Religionis cultu molirentur, sed suo quisque muneri, uti olim assueverat, nulla Interdicti ratione habita, religiosius incumberet. Huic Senatus Mandato se obtemperare haud posse significarunt Patres Societatis Jesu, & ea de causa cum Patribus Theatinis, & Capuccinis, eorum exemplum secutis, annuente Senatu, Venetiis excesserunt. Interea Pontificem inter & Venetos enata dissidia incrudescebant, Principibusque in partes venientibus, ac jam arma parantibus, sinistrum aliquid portendebant. Rebus pene desperatis præsentissimam opem tulit *Henricus* IV. Galliarum Rex, qui per suos Administros Cardinalem *Franciscum De Jocusa* apud Senatum Venetum, & *Cardinalem Perronium* apud Summum Pontificem, pacem anno 1607. *Paulum* V. inter & Rempublicam Venetam feliciter sanxit. Noluerunt tamen Veneti Senatores revocare in Urbem Patres Socier. Jesu, causa Interdicti ejectos, quamvis *Paulus* V. id vehementer exoptaret. Sed quod a Senatu Veneto obtinere haud potuit *Paulus* V. tandem *Alexander* VII. impetravit anno 1657. quo Patres Societatis Jesu, ab omnibus Venetæ Ditionibus extorres, recepti sunt, & sublatum prius illud Decretum, quo Veneti Senatores statuerant, ut Patres Societatis Jesu deinceps in Venetis Ditionibus non exciperentur, nisi prius Senatus consultum intercederet, universorumque ejusdem Senatorii Ordinis consensus, nullo dissentiente ac discrepante suffragio.

D. A-

D. Alia, quæso, percense egregia facinora, quæ toto sui Pontificatus tempore gessit *Paulus* V. Pontifex Maximus.

M. Præscriptos mihi brevitatis limites omni procul dubio transilirem, si omnes res a *Paulo* V. Pontifice Maximo præclare gestas hic describendas suscipere vellem. Votis tuis tamen utcumque faciam satis, summatim perstringendo res præcipuas, quas Summus ille Pontifex tum ad Catholicam Religionem propagandam, & promovendam fidelium pietatem; tum ad ornandam Urbem, & procurandam civium salutem gessit. Et primo quidem a cultu divino Pontificatum auspicatus, orationis perpetuæ coram Sanctissimo Sacramento usum in quadraginta horas distributum, a *Clemente* VIII. jam introductum, Constitutione perpetua stabilivit *Paulus* V. Pontifex Maximus, utque ea devotio nunquam intermitteretur, sed continue succedentibus diebus, mensibus & annis perennaret, Urbis Templa assignavit, legesque præscripsit, quæ fovendæ pietati fidelium utilissimæ etiamnum inviolate observantur. Sacro-sanctam B. Principis Apostolorum Basilicam, quam *Julius* II. Pontifex Maximus inchoaverat, aliique Pontifices Maximi, præsertim *Gregorius* XIII. & *Sixtus* V. prosecuti fuerant, ut universum Constantinianæ Basilicæ ambitum, Religione Venerabilem, includeret, Chorum, Sacrarium, ac Porticum ad benedicendum populo exædificaret, grandi accessione adjuncta, opus amplissimum ac magnificentissimum absolvit. Confessionem Principis Apostolorum in eadem Basilica Vaticanæ clathris ferreis clausit, atque Lampadarum argentearum magna copia illustravit, ac condecoravit. Corpora Sanctorum *Gregorii Magni*, Papæ, SS. *Simeonis*, & *Thaddæi* Apostolorum, & SS. *Leonum* Pontificum I. II. III. & IV. *S. Petronillæ*, *S. Joannis Chrysostomi*, *S. Bonifacii* Papæ, *SS. Processi & Martiniani*, Arcis munitissimis conclusa, in Aris peculiaribus novæ Basilicæ Vaticanæ recondidit. Sacrum Sudarium vultus Redemptoris insigne, Lanceam, quæ latus Christi Domini aperuit, & Calvariam S. *Andreæ* Apostoli in locum eminentissimum, ex quo statis diebus populi venerationi exhiberentur, in eadem Basilica Vaticana extulit. Nec Vaticanam tantum Basilicam, sed & Liberianam quoque seu *S. Mariæ Majoris*, Ecclesiam auxit, exornavit, instauravit, stabilivitque *Paulus* V. Pontifex Maximus. Sacellum Burghesianum Beatissimæ Mariæ Virginis in eadem Ecclesia Liberiana, sive amplitudinem ædificii, sive elegantiam operis, sive opulentiam, venustatemque considerès, longe pulcherrimum, a fundamentis extruxit; in illud vetustissimam S. *Lucæ* Evangelistæ, ut ajunt, manu depictam Deiparæ effigiem transtulit, variis monilibus, torquibus aureis, gemmis, unionibus, lapidibus pretiosis, Jaspide, Topazio, Granata, Rubino, Smaragdo, Chrysolyto, Amethysto, & aliis id genus quam magnificentissime ornatam, eidemque Sacello sacram addidit supellectilem, Crucem videlicet magnam, Candelabra, Lampades, Calices, Fercula, aliaque innumera pene vasa sacra, auro gemmisque distincta: Organum affabre elaboratum & eximio artificio insigne: Collegium insuper Sacerdotum, qui rem divinam in eodem Sacello quotidie facerent, instituit; Musicos, qui singulis diebus Sabbati Litanias B. Virginis ibidem concinerent, conduxit: Ministros reliquos assignavit, & redditus annuos locupletes singulis in perpetuum addixit, edito ea de re Diplomate Pontificio. Hæc sunt pietatis Monumenta, quæ in Deum, & B. *Mariam* Virginem, ad perpetuam temporum memoriam Romæ erexit *Paulus* V. Pontif. Max., qui etiam ad promovendum Sanctorum cultum non minorem adhibuit operam. At enim, SS. Virginibus & Martyribus *Agneti*, & *Emerentianæ* Aram ex pretiosissimis lapidibus in earum Templo extra Urbem erexit, earumque Sacra pignora in Arca argentea pretii quinque millium aureorum recondidit, & arcam sub Ara collocavit. Publicos honores viris pietate claris decrevit. *Carolum Borromæum* S. R. E. Cardinalem, Archiepiscopum Mediolanensem, & *Franciscam* Romanam, oblatarum Turris Speculorum Fundatricem, Sanctorum Fastis adscripsit. *Ignatium de Loyola* Societatis Jesu Conditorem, *Franciscum Xaverium*, *Philippum Nerium*, Congregationis Oratorii Romani Fundatorem, *Theresiam* Virginem, Discalceatorum Carmelitarum patentem, *Ludovicum Bertrandum* Ordinis Prædicator. *Thomam de Villanova* Ordinis Eremitarum *S. Augustini*, Archiepiscopum Valentinum, *Isidorum Agricolam* Hispanum, *Joachimum* Senensem, Beatorum Catalogo accensuit, ac plures alios, quos hic recensere longum esset, Beatorum albo jam ab Ecclesia adscriptos, ampliori cultu affecit. *Paulus* V. Pontif. Max. Quantum vero ad procurandam exterarum nationum salutem solicitus esset Summus ille Pontifex, manifesto probant non solum tot insignes Viri, quos Evangelicæ Doctrinæ Magistros ad Indos, Persas, Sinas, Æthiopes, Japonios, Babylonios, ad Conganum Regnum, & ad alias exteras ac barbaras regiones direxit, sed etiam honorarię illæ Legationes, quas Congi, Persidis, Japoniotumque Reges, necnon Patriarcha Babylonius ad eum miserunt. Sic *Paulum* V. in excitanda Fidelium pietate, & propaganda ubique Christiana Religione ardentissimo zelo incumbentem, voluit Deus Optimus Max. ingenti cumulare lætitia, insignem Catholicis Germaniæ die 8. mensis Nov. an. 1620. concedendo Victoriam, qua hæretici a Cæsareo exercitu omnino profligati fuerunt, & cujus beneficio Bohemia subjugata est, Austria coercita, Moravia reducta, Silesia repressa, Hungaria recuperata, universa Germania facta sui juris, Religio Catholica ex captivitate in libertatem asserta, ac præcipue Pragæ, ubi non solum restituta est avita & Catholica Fides, verum etiam cuncti pseudo-Ministri Hæreseos, frementibus licet Germaniæ Protestantibus, pulsi sunt. Hanc insignem Victoriam acceptam retulerunt Catholici patrocinio Beatissimæ Virginis, cujus imaginem *P. Dominicus a Jesu Maria*, Hispanus Carmelita Discalceatus, inter rudera cujusdam domus dirutę invenerat, cuique oculos suffoderant hæretici. Hanc ergo Mariæ Virginis pictam imaginem in procinctu prælii Catholicis militibus ostentans *P. Dominicus a Jesu Maria*, eis sic animos addidit, & arden-

ardentissima oratione illos ad ultionem injuriæ factæ Virgini Deiparæ tam fortiter incitavit, ut victoriam retulerint, ac Hæreticos internecione deleverint. Hinc illa Imago deinceps dicta est *Imago Virginis de Victoria*, quæ postea ab eodem Patre *Dominico a Jesu Maria* Romam delata, publica solemni supplicatione habita, magnoque triumpho in Ecclesia Paulina Patrum Carmelitarum Discalcearorum in monte Quirinali collocata est, ubi etiamnum visitur ac colitur. Si plura de hac celeberrima Victoria a Catholicis in Germania de Hæreticis reportata, ope illius *Imaginis Virginis de Victoria*, scire aveas, legesis historicam narrationem, quam de hac miraculosa Imagine scripsit, & Romæ anno 1705. vulgari Italico Idiomate in publicam lucem emisit P. *Blasius a Purificatione*, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Historiographus.

D. Quæ suo in Pontificatu in rem Ecclesiæ gessit *Paulus* V. hactenus breviter complexus es, quibus nunc alia addere debes, quæ idem Summus Pontifex ad ornatum Urbis, ad rectam politici Status Ecclesiastici regiminis institutionem, ad conciliandā populo, cui imperabat, commoda, sapientissime peregit.

M. Innumera pene extant in Urbe & in Italia Munificentiæ *Pauli* V. monumenta, quorum aliquot hic referemus. In primis, Vaticanum Romanorum Pontificum Palatium multis in locis instauravit, Hortorum adjacentium amœnitatem perenni salubris aquæ ex agro Braccianensi deductæ copia revocavit. Secretariam Vaticanam angustam ampliavit. Vaticanam Bibliothecam, multis in illius usum extructis conclavibus, additisque illustrium Virorum imaginibus eleganter depictis exornavit, locupletavit, eique Archivium Apostolicum adjunxit, in quo omnia secretiora Sedis Apostolicæ monimenta, ante hac dispersa, collegit ac conclusit. Alteri Romanorum Pontificum Palatio, dicto *Quirinali*, complura ædificia addidit, & viam, quæ ad illud ducit, mollito clivo dilatavit. *Datariæ* Pontificiæ proprias Ædes extruxit. Vias, quæ in Urbe erant distortæ, obstructæ, vel angustæ, direxit, aperuit, dilatavit. Aquam in Agro Braccianensi saluberrimis Fontibus collectam veteribus aquæ Alsietinæ ductibus restitutis, novisque additis, ab milliario XXXV. perduxit in Urbem. Ærario Pontificio acervum novies centenum aureorum millium reposuit. Annonæ copiam summo studio curavit. Horrea dilatando, fontes quotidianis usibus deducendo, & ad ubertatem in Ecclesiastica ditione retinendam instituendo Prælatorum, & aliorum præstantium virorum Cœtum, quibus Annonæ invigilandi curam demandavit. Romanum *Sapientiæ* Archigymnasium, magnis accessionibus ædificiorum factis, amplificavit. Cœnobium Pœnitentium mulierum in via rursus. incendio pene consumptum, restituit, & via aperta a vicinis ædificiis sejunxit. Puellis nubilibus, quibus inopia rei familiaris ad necessitatem adactis, dos ad matrimonium non suppetebat, & quarum subinde pudicitia periclitari poterat, pecunias abunde subministravit, earumque angustias nunc panibus, nunc frumento, rebusque aliis sublevavit. Peregrinis Romam adventantibus, præsertim Scotis, Anglis, Hibernis, & aliis, qui ab hæreticis exagitati solum mutare & Romam venire cogebantur, amplissimas eleemosynas suppeditavit, & in pauperes omnes ita se munificum præbuit, ut, quoties in publicum prodiret, singulis obviis egenis stipem summa liberalitate erogaret. Seminaria ad conversionem Hæreticorum Romæ instituit *Paulus* V. &, ad facilius omnium gentium procurandam salutem, voluit ut juvenes in Academiis linguas Hebraicam, Græcam, Latinam, & Arabicam edocerentur. Hæc sunt in summa Argumenta *Pauli* V. Pontificis Maximi beneficentiæ, quæ se totam ad alienas utilitates ita porrexit, atque explicuit semper, ut nullus in Urbe, etsi amplissima, fuerit locus, quo non ille curarum ac cogitationum partem derivaverit, & in quo impressa non reliquerit suæ munificentiæ vestigia. Jam vero cetera, quæ extra Urbem *Paulus* V. erexit magnifica Monumenta, quia hic recensere nimis longum esset, breviter dicam, hunc Summum Pontificem *Rodulpho* Imperatori, adversus Christiani nominis hostes Bellum in Hungaria gerenti, auxiliaribus copiis suppetias tulisse; Urbem Ferrariam, Ditionis Ecclesiasticæ nobile propugnaculum, extructa validissima Arce, munivisse; Portum Fanensem aperuisse, purgavisse, eaque ratione annonam Piceno, Umbriæ, Æmiliæque cumulasse; Portum, Arcem, Oppidum ad Centumcellas restaurasse, navigantiumque securitati consuluisse, erecta Pharo, & ignibus pervigilibus, seu nocturnis facibus in portu ardere jussis. Consulto prætermitto quamplurima beneficia & Privilegia, quæ *Paulus* V. Religiosis Ordinibus indulsit, novosque aut Clericorum, aut Regularium Ordines, quos Pontificia Auctoritate approbavit, quia de his in Sexto Colloquio, ubi de Disciplina Monastica agendum erit, iterum redibit sermo. At, prætermittere haud possum singulare beneficium, quod contulit Summus hic Pontifex Monachis Camaldulensibus Congregationis Montis Coronæ, quibus ad fundandam Eremum dono dedit solum supra Tusculanos colles, Sacramque Ædem Deo Optimo Maximo in honorem *S. Romualdi*, Camaldulensium Eremitarum Parentis, extruxit. Dum sic *Paulus* V. suas omnes curas in Urbis salute defigeret, & de omnium totius Orbis Christianorum commodis cogitaret, morbo correptus est, & Sacramentis Ecclesiæ munitus, jamque æternæ felicitatis, ad quam jugiter anhelaverat, candidatus, inter proferenda hæc Apostoli *Pauli* verba: *Cupio dissolvi & esse cum Christo*, e vita discessit, & in Cælum, ut speramus, evolavit die 28. mensis Januarii anni MCXXI. ætatis LXX. Sedis anno XV. mense IX. Ejus Corpus nunc jacet in Sacello, quod, ut antea diximus, ab eodem Summo Pontifice in Exquiliis, seu in Liberiana Ecclesia, in honorem Virginis *Mariæ* a fundamentis erectum est, & cujus cura ac plenum dominium pertinet ad Excellentissimam Familiam Burghesianam, cui me tot nominibus hic lubens obstrictum ac devinctum esse profiteor, ut omnis mea ratio, actio, cogi-

cogitatio, nihil aliud deinceps esse debeat, quam constans, sincera, ac perpetua recordatio hujus beneficii, quo, me, licet immeritum dignatus est Excellentissimus pluribus maximisque in rebus probatissimus, & omnium existimatione ornatissimus Princeps *Marcus Antonius Burghesius*, dum filium suum secundogenitum Principem *Franciscum Burghesium*, meæ curæ, fideique concredidit, Philosophicis, sacrisque excolendum Disciplinis, in quarum indefesso studio per octo circiter annorum curriculum tantos progressus hactenus fecit lectissimus ille & ad litteras natus juvenis Princeps, ut citra ullum assentationis, a qua semper vehementer abhorrui, periculum, dicere possum, me nullum inter juvenes litterarum cultores, adhuc vidisse, qui eo amabilissimo adolescente Principe, multarum rerum peritia, optimarum Disciplinarum studio, vitæ innocentia, & ullo laudis genere sit præstaotior. Hoc unum mihi superest optandum, ut, quo pede cœpit, pergat studiosissimus ille juvenis Princeps, dignusque evadat nepos *Pauli* V. Pontificis Maximi, cujus jam pietatem, ac doctrinam æmulatur.

D. Beneficiorum *Pauli* V. Pootificis Maximi memoriam perpetuo fovebunt, non tam hæc multa ejus monumenta, non tam structæ saxo marmoreque effigies, non tam vestigia ipsius munificentiæ in Italia passim impressa, sed præsertim Romæ, ubi quacumque iogredimur, in ejus munera ponimus pedem, non tam hæc, inquam, memoriam illius prædicabunt, quam ejus virtutum in nostris animis infixa recordatio. Quandiu stabit Catholica Religio (stabit autem semper) longe lateque *Pauli* V. per Christianum Orbem vagabitur nomen, in Burghesianæ vero Familiæ ædibus tanquam in proprio domicilio, certaque ac stabili Sede consistet. Sed dicas, quæso, quem in Sede Pontificia *Paulus* V. successorem habuerit.

M. Novendialibus Justis *Pauli* V. Pontificis Maximi, ut moris est, absolutis die VIII. mensis Febr. anni MDCXXI. Cardinales delecturi *Pauli* V. & Petri Apostolorum Principis Successorem Vaticana Comitia ingressi sunt numero quinquaginta duo, & quinto Idus Februarii ejusdem anni elegerunt in Pontificem Romanum *Alexandrum Ludovisium*, *Pompeii*, & *Camillæ Blanchinæ* filium, e nobili familia Bononiensi oriundum, Archiepiscopum illius Civitatis, & Cardinalem Presbyterum tituli *S. Mariæ* Transpontinæ, annos natum sexagiota septem, qui variis antea Magistraribus, & Legationibus pro Sede Apostolica egregie ac feliciter functus, comitate, candore, pietate, ac beneficentia sibi omnium amorem conciliaverat. Ad Pontificatus apicem evectus *Alexander Ludovisius* nomen sumpsit *Gregorii* XV. & signum, seu Symbolum ex his Regii Vatis verbis: *Perfice gressus meos in semitis tuis*. Pontificatum exorsus est *Gregorius* XV. a Jubilæo universali, quod ad divinum auxilium pro salutari Ecclesiæ Catholicæ regimine implorandum indixit, & statim *Pauli* V. Pontificis Maximi, decessoris sui, vestigia premens, ad sublevandas miserias pauperum, & ad omnia Christianæ Reipublicæ obeunda munia sic animum curasque partitus est, ut si quis multitudinem, magnitudinemque rerum a *Gregorio* XV. gestarum consideret, eas a Pontifice, non per spatium duorum annorum & quinque mensium, quibus sedit *Gregorius Decimus Quintus*, sed vix per totidem lustra peragi potuisse sibi persuaderet. Et primo quidem, ut de Urbana administratione aliquid dicamus, Romam, summa caritate annonæ, morbisque graviter laborantem, *Gregorius* XV. Pontifex Maximus, magna frumenti aliunde asportati copia recreavit, pauperes veste, cibo, domicilio fovit ac sustentavit, aquas e Vaticano in Urbis Leoninæ commodum dispersit, & infirmorum valetudini, novo aperto Xenodochio, consuluit. Dein, suas curas ac cogitationes ad omnes Christiani Orbis partes diffundens, multa cœpit animo volvere, in quibus nescias, fuitne aggrediendo promptior, an prosequendo constantior, an perficiendo felicior? Oborta erat gravis procella in *Valle-Telina*, sita in confinibus Italiæ & Germaniæ, in qua cum dominarentur Hæretici Calvinistæ, & Catholicos in ea degentes opprimerent, facta conspiratione Catholici mense Julio omnes Calvinistas tam incolas, quam exteros, occiderunt, & favore atque auxilio Ducis *Feriæ*, Gubernatoris Mediolanensis, pulsis Grisonibus hæteticis, universam Vallem occcuparunt, eamque dominio Regis Hispaoiæ vindicarunt. Id ægre tulit Galliarum Rex *Ludovicus* XIII. qui protinus ad Regem Hispaniæ Legationem misit, ut eum compelleret ad restituendam *Vallem Telinam* Rhætis, seu Grisonibus, ejus legitimis possessoribus. Promisit Rex Hispaniæ, sed verbis tenus, se Grisonibus restituturum Vallem-Telinam, quam tamen sibi conservare pro viribus adnitebatur, licet Rex Galliæ, & alii Principes, ac præcipue Respublica Veneta, & Dux Sabaudiæ palam significarent, se velle ut libera permaneret. Hanc controversiam, quæ facile in fœdum Bellum erumpere potuisset, intercedente *Gregorio* XV. ad Religionem Catholicam in hac *Valle-Telina* conservandam, composuerunt tandem Reges Galliæ, & Hispaoiæ, ultroque consenserunt, ut illius Vallis Arces, munitiones ac propugnacula Summo Pontifici in depositum consignarentur, donec jus plene discussum ac eliquatum fuisset. Sic *Gregorius* XV. Pontifex Maximus *Vallem-Telinam* in sui clientelam recipiendo, impendens Bellum avertit, & præsenti tunc malo opportune consuluit. Post reportatam a Catholicis, ope hujus miraculosæ Imaginis *Mariæ* Virginis, cujus sub Pontificatu *Pauli* V. meminimus, celebrem de Hæreticis in Bohemia Victoriam, *Maximilianus*, Dux Bavariæ, qui commisso prælio Hæreticos funditus profligaverat, donatus est Augustalis Septem-Viratus dignitate, qua merito spoliatus fuerat Rheni Palatinus *Fridericus*, qui sicut in superiori Colloquio observavimus, instigante *Elizabetha*, ambitiosa conjuge sua, rebellionis vexillum contra Imperatorem *Ferdinandum* II. erexerat, Hæreticis aperte favebat, & Regnorum Bohemiæ, ac Hungariæ coronam, sibi ab eis in

in tumultuario Confessu delatam, inique occupaverat, ac injuria vindicabat. Ea Augustalis Septem-Viratus dignitate auctus *Maximilianus* Dux Bavariæ, insignem Victoriam, quam paulo ante de Hæreticis in Bohemia reportarat, Deo & Virgini Dei-paræ acceptam referens, Romam ad *Gregorium* XV. Pontificem Maximum Vexilla, quæ in prælio ceperat, velut trophæa misit, eaque ab eodem Summo Pontifice facta Romæ publica supplicatione, & populi confluentis frequentia, delata sunt ad Carmelitarum Discalceatorum Ecclesiam, quam nunc *S. Mariæ a Victoria* appellant. Eidem etiam *Gregorio* XV. Pontifici Maximo dono dedit *Maximilianus*, Dux Bavariæ, Bibliothecam Palatinam pluribus Hebræorum, Chaldæorum, Arabum, Græcorum, Latinorum, Germanorum, & Italorum manuscriptis Codicibus, aliisque libris typis editis locupletissimam, quæ a *Leone Allatio*, linguarum exoticarum peritissimo Theologo, jussu ejusdem Pontificis, Romam deducta, addita est Bibliothecæ Vaticanæ, quæ vere dici potest totius Religionis Catholicæ Armamentarium, ac Turris inexpugnabilis, ex qua ad propugnandam veritatem contra Fidei Catholicæ hostes, *mille clypei pendent, omnis armatura fortium*. Sedente *Gregorio* XV. duo insignes Viri, Calviniana Hæresi infecti, Catholicam Fidem amplexi sunt. Primus fuit Dux clarissimus *Lesdiguerius*, fortitudine ac bellicis artibus in Galliis celebris, qui *Gregorio* XV. (antequam ad Pontificatum esset evectus, & adhuc esset apud Ducem Sabaudiæ Nuncius Apostolicus a *Paulo* V. missus) promiserat, se Hæresim Calvinianam ejuraturum, si aliquando contingeret, ut ex Nuncio Apostolico crearetur Romanus Pontifex. Promissis stetit Dux *Lesdiguerius*, & electo in Romanum Pontificem *Gregorio* XV. cui fidem suam obstrinxerat, ejurata Calviniana Hæresi Catholicæ Religioni nomen dedit, tanta Regis Christianissimi *Ludovici* XIII. gratulatione, ut eum *Comitem Stabuli*, seu Regiorum exercituum perpetuum Prætorem, instituerit. Ea erat singularis & Sanctissimi illius Pontificis, & Regis Christianissimi animi contentio, qua toti in Religionis causam incumbebant, ut omnis prope delectationis immemores, una Fidei Catholicæ amplificatione delectari viderentur, summaque lætitia perfunderentur, cum felicior aliquis de Religione nuncius perferebatur, vel alicujus e primaria nobilitate Viri felix & exoptatus ad Ecclesiam reditus nunciabatur. Alter, qui, sedente *Gregorio* XV. ejurata Hæresi ad Ecclesiæ Catholicæ sinum sese recepit, fuit *Marcus Antonius de Dominis*, Dalmata, Archiepiscopus Spalatensis, de quo plura dicemus in proximo Colloquio, ubi hæreticos referemus, qui Sæculum XVII. suis erroribus conspurcarunt. Hic obiter tantum observabo, hunc *Marcum Antonium de Dominis*, qui impiarum opinionum peste contaminatus, Religionis Catholicæ desertor in Angliam concesserat, & postea *Gregorii* XV. Pontificis Maximi studio, Hæresim erroresque suos Romæ detestatus fuerat, tandem sub *Urbano* VIII. instar canis ad vomitum redeuntis, venenum, quod evomuerat, resorbuisse, & a limpidissimo veritatis fonte ad fæculentissimum impietatis cænum esse reversum. Quo factum est, ut post ejus obitum manu carnificis in Floræ area ipsius cadaver fuerit igne exustum. Ad promovendam conversionem hæreticorum longe plus proficiebat *Gregorii* XV. Pontificis Maximi pietas, quam omnia militum arma, sacrorum Oratorum argumenta, & Virorum eruditorum Scripta præstare potuissent. Videbant quippe hæretici Summum Pontificem, Christianæ pietatis exemplar, qui, dum pedibus suis omnes totius Orbis Catholicos advolutos cerneret, ipse supplex & religiosæ venerationis plenus ad aras accederet, & in templo sacras inter cæremonias modestissimus esset. Mirabantur tantam majestatis, tantum humanitatis, sibi magis, quam aliis imperantem, sic deditum gravissimis Ecclesiæ negotiis, ut in pia precatione temporis multum collocaret, qui se idcirco in *S. Petri* Apostolorum Principis Sede constitutum esse putaret, ut regnare Deum, ut florere virtutem, ut vitia juberet exulare. Eo, inquam, eximiæ pietatis *Gregorii* XV. Pontificis Maximi exemplo permoti hæretici, ad sanam mentem facile reducebantur, eosque reductos omni benevolentiæ ac voluntatis significatione peramanter atque humaniter Summus Pontifex complectebatur; adeo ut, qui, posito errore, ad eum adibant, non Principem, sed amicum fidelem, & parentem optimum salutare se, & alloqui existimarent, palamque prædicarent, unum hunc Pontificem esse, qui hæreticorum animos humanitate ac clementia expugnare nosset. Nec fuit *Gregorii* XV. sterilis clementia, cum vel ad Hæreticorum, & Schismaticorum in universo Orbe conversioni ac saluti consulendum, vel ad Neophytorum, seu eorum, qui recens Catholicam Fidem amplexi erant, egestati subveniendum instituerit, & annuis reditibus dotaverit Romæ Congregationem *de Propaganda Fide*, eique præfecerit Cardinales ac Prælatos, in quibus sita erant omnia, quæ ad rem tanti momenti peragendam desiderari poterant, & in eos, quos in partem tanti operis, & gloriam asciverat, derivata est eadem pro conversione hæreticorum, Fideique Catholicæ propagatione pietas ac vigilantia. Idem Religionis ardor afflavit submissos a Summo illo Pontifice in varias Orbis Nationes populorum Pastores, Doctores, ac Missionarios, quorum alii pietate, & doctrina conspicui palam in Concionibus, alii privatim in Colloquiis, alii erudienda plebe, alii Græcis Schismaticis ad Romanæ Ecclesiæ gremium revocandis, plurimi, editis in vulgus luculentis lucubrationibus præclaram Catholicæ Fidei propagandæ operam navarunt, & multos in nationibus sibi creditis de erroribus triumphos egerunt. Huic Congregationi *de Propaganda Fide*, ex qua Sanctissimum prodiit agmen Heroum Christianorum, qui labores, pericula, mortemque lacessere parati, novos populos Romanæ Ecclesiæ subjecerunt, additi sunt progressu temporis, piorum Virorum liberalitate, plurimi reditus, postquam

quam omnibus perspectus ac exploratus fuit uberrimus fructus, quem ex Missionibus, ab ejusmodi Congregatione in diversis mundi partibus pro Infidelium, Hæreticorum, ac Schismaticorum conversione factis, collegit, & etiamnum percipit Sancta, Catholica, Romana Ecclesia.

D. Delibastine tes præcipuas, quas *Gregorius XV.* in suo Pontificatu gessit?

M. Quatuor adhuc supersunt observatione digna, quæ *Gregorius XV.* in suo Pontificatu egit, quæque hic silentio prætermittere haud debemus. Et primo quidem, sub initium Pontificatus sui conscripsit ipse ac publicavit Salutarem constitutionem de electione Romani Pontificis facienda per secreta suffragia, diu expetitam ab omnibus, tentatam a multis, a nemine perfectam, in qua ad eligendum Romanum Pontificem sapientissime modum præscripsit, quo Cardinales suæ spontis & arbitrii in posterum in re tanta decernere possent. In hanc *Gregorii XV.* de electione Romani Pontificis Constitutionem scripsit Italico idiomate Notas, seu Explicationes *Hieronymus Ghettus*, Ordinis Eremitarum *S. Augustini* Præpositus Generalis. Secundo, *Gregorius XV.* Lutetiam, urbem Galliarum Regni primariam a Metropoli Senonensi, instante Rege Christianissimo *Ludovico VIII.* ob Urbis splendorem distractam, in novam Metropolim erexit, eique Suffraganeas assignavit Ecclesias Carnotensem, Aurelianensem, & Meldensem, quæ prius Metropoli Senonensi suberant. Tertio, *Gregorius XV.* una & eadem die, seu quarto Idus Martii ann. 1622. in Sanctorum numerum retulit *Isidorum*, agrorum cultorem, Hispanum Matritensem, *Ignatium Loyolam* Societatis Jesu Institutorem, *Franciscum Xaverium* ejusdem Societatis, *Theresiam* Virginem, Carmelitarum Discalceatorum Fundatricem, *Philippum Nerium*, Congr. Oratorii in Italia Auctorem. *Petrum* vero *de Alcantara*, Ordinis Minorum strictioris Ordinis Discalceatorum, Beatorum Catalogo adscripsit, & festivitatem *S. Annæ*, & *S. Joachimi*, Parentum Virginis Deiparæ, sub duplici Officio, tanquam de præcepto, celebrandam instituit. Denique, *Gregorius XV.* de Patribus Societatis Jesu, apud quos Romæ in Collegiis Germanico, & Romano adolescentiam suam traduxerat, optime meritus est, suæque erga eos benevolentiæ ac munificentiæ exemplum reliquit nepoti suo *Ludovico Ludovisio* Cardinali, qui Templum augustum Romæ *S. Ignatio*, Societatis Jesu Conditori erexit, ut liquet ex hac Epigraphe, quæ in foribus istius magnifici Templi Collegii Romani legitur.

LUDOVICUS CARD. LUDOVISIUS S. R. E.
VICECANCELLARIUS
IN HONOREM S. IGNATII
SOCIETATIS JESU FUNDATORIS
QUEM GREGORIUS XV. PONT. MAX.
PATRUUS
INTER SANCTOS RETULERAT
TEMPLUM HOC A FUNDAMENTIS EXTRUXIT
NICOLAUS PLUMBINI ET VENUSIÆ
PRINCEPS FRATER.
APERIENDUM CURAVIT AUSPICIIS
INNOCENTII X. PONT. MAX.
ANNUM JUBILÆI MDCL.
SANCTISSIME CELEBRANTIS.

Brevis fuit *Gregorii XV.* Pontificatus, sedit quippe duntaxat annos duos, menses quinque & dies viginti novem, obiitque Romæ in Palatio Quirinali die Sabbati octava mensis Julii anni MDCXXIII. Ejus Corpus, quod in Basilica Vaticana temporario in tumulo fuerat repositum, deinde translatum est ad Collegii Romani Societatis Jesu Ecclesiam; quam, ut mox dixi, *Ludovicus* Cardinalis *Ludovisius*, hujus Summi Pontificis nepos magnificentissimo opere, ac regio plane sumptu extrui curavit. Plura Volumina scripsit *Gregorius XV.* Pontifex Maximus, & optimarum disciplinarum studiis, atque Academicis Virorum eruditorum, de rebus sacris præcipue differentium, exercitationibus impense delectabatur. Ejusdem Pontificis *decisiones Rotæ*, quas vocant, Romæ edidit, ac doctis Notis illustravit *Oliverius Beltraminus* peritus Juris-consultus.

D. Vacavitne diu post obitum *Gregorii XV.* Pontificia Sedes?

M. Cardinales, Legi latæ a *Gregorio XV.* de eligendo Pontifice Romano obsecuturi, in Conclave Vaticanum undecimo ab ejus obitu die ingressi sunt, & die VI. mensis Augusti, Transfigurationi Christi Domini Sacra, elegerunt in Romanum Pontificem *Maphæum Barberinum*, ex nobili & antiqua Familia Florentina oriundum, *Antonii*, & *Camillæ Barbadoræ* filium, qui eximia doctrina, plurium munerum exercitio, sagaci illustrium ad Reges Legationum functione, morum probitate, & continuis laboribus ab ineunte ætate pro Sede Apostolica exantlatis laboribus, viam sibi stravit ad Purpuram, qua a *Paulo* V. decoratus est, ac tandem Pontificatum, pietatis in Deum, munificentiæ in pauperes, aliarumque virtutum tam excelso munere dignarum, solida, quam sibi conciliavit, omnium existimatione, adeptus est, annos natus quinquaginta quinque. Sumpsit in Pontificatu nomen *Urbani* VIII. & Symbolum ex Psalmo XXV. *In Domino sperans, non infirmabor*. Ejus coronatio dilata est usque ad diem XXIX. mensis Septembris ejusdem Anni MDCXXIII. quod post electionem suam, ob sævientis Caniculæ ardorem, febri correptus ægrotasset nonnihil. Ex triplici potissimum capite *Urbanus* VIII. jure optimo laudari debet. Primo ex pietate, per quam Summus ille Pontifex omnibus prodesse voluit. Secundo ex eruditione singu-

singulari, qua exornatus, præclaram universæ Ecclesiæ navavit operam. Postremo, ex laboribus & continuis occupationibus, in quibus eluxit tum ejus pietas, cum doctrina, tum in procurandis subditorum commodis jugis, & indefessa solitudo. Eximiæ suæ pietatis ac modestiæ haud vulgare specimen dedit *Urbanus* VIII. statim ac in Romanum Pontificem fuit electus. Prostratus siquidem humi ante altare ferventi orationi lacrymas jungens, Deum obnixe rogavit, ut, si minus Ecclesiæ regendæ idoneum fore illum prævideret, vivum e Conclavi exire non pateretur, cumque non posset impositum sibi onus detrectare, voluntati Dei morem gessit, eique soli suæ Electionis gloriam adscripsit, hoc procusis ac publicatis nummis inciso Lemmate: *Facit mirabilia magna solus*. In Pontificatus sui exordio quadraginta Horarum preces in Basilicis Lateranensi, Vaticana, S. *Mariæ Majoris*, & in duabus aliis cujuslibet Regionis Romæ Ecclesiis, quartis ac sextis feriis, Sabbatisque duarum hebdomadarum ad divinam opem implorandam habendas, indixit. Beatos Servos Dei *Andream Avellinum* Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum Sacerdotem, *Felicem de Cantalicio* Capuccinum, *Mariam Magdalenam* Florentinam, e Nobili Pazziorum Familia ortam, *Cajetanum Tienæum*, Congregationis Clericorum Theatinorum unum ex Fundatoribus, & *Franciscum Borgiam*, Gandiæ Ducem, Societatis Jesu olim Præpositum Generalem, Beatorum Catalogo accensuit. Sanctorum itidem Fastis adscripsit Beatum *Corsinum*, Florentinum, Ordinis Carmelitarum, Beatam *Elisabetham*, Lusitaniæ Reginam, & Beatum *Rocchum*. Nec solum ad suam, & omnium Fidelium pietatem excitandam *Urbanus* VIII. Viris sanctitate conspicuis sacros decrevit honores, sed etiam ad augendum Sanctorum cultum, nova Templa erexit, aut jam erecta instauravit, decoravit, consecravit. Sacram Ædem S. *Bibianæ* restituit, & in ea ejusdem Sanctæ, & *Demetriæ* ac *Dafrosæ* corpora collocavit. Vaticanam Basilicam, in amplissimi Templi formam, religiosa multorum Pontificum magnificentia redactam, solemni ritu consecravit; Sepulcrum Apostolicum ærea mole ornavit, Odeum, Aras, & Sacella Statuis marmoreis, ac monumentis ditavit, totamque insignem illam Basilicam Vaticanam multiplicibus operibus augustiorem reddidit, præsertim eo nobili Mausolæo, in quo celebris Comitissæ *Mathildis*, virilis animi fœminæ, quæ patrimonium suum, Liguriæque Provincias, Sedi Apostolicæ insigni liberalitate dono dedit, Corpus, ex Mantuano Sancti *Benedicti* Cœnobio, Romam translatum recondi voluit. Alia Sanctorum Templa, vetustate collabentia, a fundamentis excitavit, aut in elegantiorem formam restituit *Urbanus* VIII. sicut indicant sacræ illæ Inscriptiones, quæ in ejusdem Pontificis Maximi laudem compositæ in variis Urbis Romæ Ecclesiis ac Cœnobiis leguntur, eruntque perpetua eximiæ ipsius pietatis monumenta. Charitatis igne succensus idem Pontifex, Jubilæum universale anno MDCXXV. celebravit, & ut aliis exemplo præiret, statutas Ecclesias sæpe lustravit, Xenodochium Sanctissimæ Trinitatis invisit, peregrinorum pedes abluit, mensam sacravit. cælestes, terrenasque opes impertiit, Episcopis & Sacerdotibus, Romam Religionis ergo adeuntibus, quibus ad honestam & congruam vitæ sustentationem opes non suppetebant, Hospitium assignavit, in quo percommode habitarent & alerentur. Denique, pietatem *Urbani* VIII. prædicat etiamnum Romæ Templum dictum *Pantheon*, quod binis ad Campani æris usum turribus exornavit; Mulierum, quæ e cœno impudicitiæ emergentes, ad meliorem frugem atque ad Pœnitentiam sese recipiunt, mutans domus, quam stabilivit; Templumque ac Cœnobium PP. Cappucinorum quod a fundamentis in honorem Deiparæ Virginis excitavit Summus ille Pontifex. Iam vero, quam exquisita ac perpolita eruditione præditus esset *Urbanus* VIII. manifesto probant Opera, quæ elegantissime concinnavit, & in quibus palam ostendit, se in jure tam Civili, quam Canonico, in Sacrarum Linguarum peritia, in Theologiæ studio, in lectione & doctrina Sanctorum Patrum, cum Græcorum, tum Latinorum, apprime versatum fuisse, sed potissimum Poeseos laude floruisse, quam in Hymnis, & Odis, in diebus festis Christi Domini, Beatæ Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum concinnandis applicuit, ac consecravit. Ea singulari doctrina cum eximia pietate conjuncta exornatus *Urbanus octavus*, multa tum ad publicam universæ Ecclesiæ utilitatem, tum ad procuranda subditorum suorum commoda excelso animo aggressus est, ac felicissimo exitu perfecit, quæ hic breviter percensebo. Et primo quidem, *Urbanus* VIII. ad tollendos quosdam abusus, qui in cultum, & in usum Imaginum irrepserant, districte inhibuit Constitutione (quæ incipit *Cælestis Hierusalem*, data an. MDCXXX. & Bullario Romano inserta est) ne aliquis cultus deferatur his, qui Beatorum, aut Sanctorum Catalogo ab Ecclesia necdum sunt adscripti, & altera Constitutione, quæ incipit: *Sacrosancta Synodus Tridentina*, declarat, *nemini licere ullo loco, vel Ecclesia, ullam solitam imaginem ponere, vel ponendam curare, nisi ab Episcopo approbata fuerit*. Ibidem etiam vetat, ne quis Imagines Sanctorum sculpere, aut pingere, vel sculpi, aut pingi faciat, aut ante hac sculptas, aut pictas, aut alias quomodolibet effictas teneat, seu publico aspectui exponat, aut vestiat cum alio habitu, & forma, quam in Apostolica & Catholica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis. Præcipit insuper, *ut Imagines aliter pictæ, vel sculptæ, ab Ecclesiis, & aliis locis quibuslibet amoveantur, & deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum & formam in Ecclesia Catholica, & Apostolica ab antiquo tempore consuetam, ut veneratio, & cultus sic dictis Imaginibus augeatur, & quæ oculis Fidelium*

delium subjiciuntur, non inordinata, nec insulita appareant, sed devotionem pariant & pietatem. Alium non minus gravem abusum, in dierum Festorum de præcepto, ut ajunt, observationem inductum, extirpavit *Urbanus VIII.* Pontifex Maximus, dum illorum multitudinem abolevit, eo præsertim nomine, quod ut ipsemet ait in Constitutione super hac re anno MDCXLII. data, & quæ extat in Bullario Romano, *Clamor pauperum frequens ad ipsum ascendisset, eamdem multitudinem, ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem, sibi valde damnosam conquerentium, &, quod summopere dolendum est, magno animi sui mœrore didicisset, tanta sæpe sæpius malignatum inimicum in sancta, ut ipsa multitudine non ad ædificationem, & ad laudandum in Ecclesiis Deum populi utantur, sed ad otia, vanitates & vitia frequenter abuti non formident; ita ut quæ ad glorificandum divinum Nomen sunt primitus instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offensionem, gravemque jacturam converterit animarum.* Hoc Sanctissimo *Urbani Octavi* pro Festorum Sanctificatione Statutum, cum, hac nostra tempestate, non ea, qua par erat, diligentia, ac pietate executioni mandaretur, Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium, jubente Summo Pontifice *Clemente XI.* qui nuperrime Clavum universæ Ecclesiæ sapientissime rexit, Epistolam Encyclicam, vulgari Italico idiomate exaratam, ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos Italiæ die XVI. mensis Martii anno 1703. scripsit, ex qua pauca latine reddita, quæ Festorum Sanctificationem spectant, hic referam, ut intelligas, quibus pietatis operibus Christiani in diebus Festis incumbere debeant. Hæc autem sunt illius Epistolæ Encyclicæ verba. *Secundo vult* (seu Summus Pontifex Clemens XI.) *ut Dominatio tua dierum Festorum Sanctificationi diligenter invigilet, sæpius monens populum, tuæ curæ a Deo creditum, quam gravis Divinæ Majestati irrogetur injuria, dum sacri dies, illius honori speciali cultu dicati, in operibus, non solum servilibus, sed quod pejus est, peccati labe sordidis, insumuntur. Satagat igitur sedulo, ut populus attente perpendat, opera servilia diebus festivis prohiberi, non ut otio indulgeatur; sed ut diuturnius tempus & commodum suppetat Ecclesias frequentandi, Divina officia, & Verbum Dei audiendi, animas orationibus, sanctis Sacramentis, aliorumque piorum operum exercitatione reficiendi, ac demum unico, maximique momenti, salutis scilicet æternæ negotio impensius consulendi... Hinc facile negotio perspicitur, quam præposterus, iniquus ac incongruus sit, hic nimium frequens! eorum abusus, qui dies Festos negotiationibus, ludis, aleis, crapulis, profanis amoribus, aliisque mundanis vanitatibus transigere non verentur. Quo fit, ut abominabiles in conspectu Dei evadant dies Festi, juxta tremendum Prophetæ dictum:* Odi, & projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum. *Quinimmo, juste ob id genus prophanationis divina provocatur ira ad Bellorum, inundationum, terræmotuum, pestilentiarumque publica flagella vibranda, dicente Domino apud Prophetam Ezechielem* cap. 20. v. 13. *Sabbata mea violaverunt vehementer; dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos, & consumerem eos.*

D. Placet mihi admodum hoc salubertimum *Urbani* VIII. pro Festorum sanctificatione Statutum, quod a *Clemente* Pontifice Maximo, ad promovendum gregis sui spirituale bonum jugiter intento, paucis ab hinc annis renovatum est. Sed, ne a nostri Colloquii argumento longius discedamus, perge, quæso, ea narrare, quæ ad publicam universæ Ecclesiæ, suorumque subditorum utilitatem præclare in suo Pontificatu gessit *Urbanus* VIII.

M. His, quæ hactenus adduxi, clarissimis *Urbani* VIII. Pontificis Maximi Gestis alia mox addere non pigebit, quæ non sunt minoris pretii ac momenti. Breviarium Romanum repurgavit Summus ille Pontifex, Sacros Hymnos, & Pontificale Romanum itidem emendavit, Martyrologium Romanum accurate recognitum atque pulchre castigatum, publici juris fecit. Sacram Supellectilem ad Maronitarum Patriarcham misit. Protonotarium Apostolicum ad res gestas Martyrum conscribendas instituit. A Congi Regibus solemne Christianæ obedientiæ Sacramentum excepit, eique Imperator Æthiopiæ, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sinum cum suis, post ejuratos *Dioscori Eutychetis*, aliosque ab Ecclesia proscriptos errores, teversus, supplicem se subjecit, suamque obedientiam his verbis declaravit: *Nos ipsos, & universum Imperium nostrum, ante Sanctissimi D. N. Urbani Divina providentia Papæ VIII. pedes, Romanæ Ecclesiæ perpetuo subjicimus.* Rupellam, urbem & Arcem in Gallia munitissimam atque Hæreticorum Calvinistarum Sedem, postquam Christianissimus Rex *Ludovicus* XIII. in suam potestatem redegisset, illico *Urbanus* VIII. tam celebrem victoriam ei gratulatus est, Deoque acturus gratias ad Sacram *S. Ludovici* nationis Gallicæ, Ædem publica ac frequenti supplicatione se contulit. Collegium Pontificium Fuldense, pro juvenibus nationis Germanicæ pietate & litteris imbuendis, testituit; eidemque nationi providere volens, Collegia Viennense, & Pragense instituit. Archi-Gymnasium Romanum, quod *Sapientiam* vocant, ornatius atque augustius reddidit, & Collegium, dictum *Urbanum de* propaganda Fide, Romæ a fundamentis extruxit. A justitiæ proposito dimoveri nescius *Urbanus* VIII. Pontifex Maximus *Carolum*, Ducem Lotharingiæ, excommunicationis majoris fulmine perculit, quod relicta propria, & legitima uxore *Nicolea*, Ducissa Lotharingiæ, ad secundas nuptias convolasset cum *Beatrice a Sancta Cruce*, causatus, se nullum in primis nuptiis præbuisse assensum, licet ipse a Sede Apostolica ad primum contrahendum matrimonium dispensationem obtinuisset, & simul cum *Nicolea*, conjuge legitima, palam, & per multorum annorum intervallum vixisset. Sedente *Urbano* VIII. Pontifice Maximo, prodiit in lucem liber editus a *Cornelio Jansenio*, Iprensi Episcopo. Hic liber, qui inscribitur, *Augustinus*, & de Auxiliis Divinæ Gratiæ tractat, graves in Belgio, & in Galliis Controversias excitavit, ad quas

com-

componendas *Urbanus* VIII. prædictum *Cornelii Jansenii* librum proscripsit in Bulla, seu Constitutione data anno 1651. quæ incipit: *In eminenti*. Sed quia nonnulli in Belgio hanc Bullam, seu Constitutionem, vel suppositiriam, vel subreptitiam, & malis quorundam artibus extortam dictitabant, misit idem Summus Pontifex ad suum in Belgio Internuncium solemnem Formulam, cui Constitutioni Pontificiæ refragantes subscribere obstringerentur, his conceptis verbis expressam: *Nos infrascripti ad requisitionem R. D. Pro-Nuncii Apostolici in Belgio declaramus, nos Bullam Sanctissimi D. N. Urbani VIII. qua confirmantur Constitutiones B. Pii Papæ V. & Gregorii XIII. ac probibetur Augustinus Cornelii Jansenii, olim Iprensis Episcopi, in quo multæ ex propositionibus a Sede Apostolica damnatis continentur, & contra easdem damnationes defenduntur, tanquam Romæ legitime affixam, & publicatam, reverenter recipere, ideoque in omnibus, & per omnia parituros*. Sed de Controversiis, quæ, occasione libri *Cornelii Jansenii*, Episcopi Iprensis, in Belgio & in Galliis graves tumultus excitarunt, commodius ac copiosius in proximo Colloquio differemus, ubi data opera agemus de erroribus, Hæresibus, & Controversiis, quæ Sæculo XVII. Ecclesiam exagitarunt. Hæc sunt in summa, quæ *Urbanus* VIII. ad publicam universæ Ecclesiæ utilitatem suo in pontificatu excelsa mente suscepit, & infracta animi prosecutione, felicique exitu confecit. Jam vero, aliæ quæ idem Summus Pontifex, quem communis Italiæ, & Orbis boni incredibile desiderium tenebat, ad Urbis ornamentum, & augenda suorum subditorum commoda peregit, sat superque indicant, & omni tuba vocalius clamant hæ, quæ passim in viis Urbis Romæ, & in aliis Italiæ civitatibus extant ad perennem memoriam insculptæ Inscriptiones, quas hic describere cum nimis longum esset, breviter dicam, *Urbanum* VIII. Pontificem Maximum, Pacem Italiæ procurasse; Urbem Romam ut a pestilentia, quæ Panormi in Sicilia grassabatur, immunem redderet, magnis sumptibus non pepercisse: eamdem Urbem, ut publicæ securitati prospiceret, mænibus cinxisse, propugnaculis muniisse; Molem Imperatoris *Hadriani*, dictam olim *Æliam*, nunc vero *Arcem S. Angeli*, novis munitionibus adjectis, contra hostium assultus firmiorem constituisse; nova horrea, ut uberius Annonæ consuleret, extrui jussisse; Quirinali Palatio ædificia addidisse, fontes ad radices montis Picii, & in Vaticano excitasse; Bibliothecam Vaticanam MSS. Codicibus Græcis locupletasse, ejusque partem ornasse; Fontem lustralem *Constantini Magni* Imperatoris, vulgo Baptisterium Lateranense, auro, picturis decorasse, ejusque solum diversi generis marmoribus stravisse; denique, ne immensum diffundar, hoc unum addam, *Urbanum* VIII. non solum in Urbe Roma, sed in aliis Italiæ civitatibus æterna reliquisse suæ munificentiæ monumenta, eumque in agro Bononiensi Arcem munitissimam, quam *Urbanam* vocant, ad Pontificiam Ditionem defendendam, condidisse: Ariminensem etiam Arcem *Sigismundam* olim, nunc *Urbanam* dictam; Anconitanam quoque & Urbevetanam Arces instaurasse; Centum cellarum Portum refecisse, auxisse, tutumque reddidisse, & in tota, qua late patet, Ditione Pontificia, populorum commodis vere paterna dominatione, vigilique cura jugiter prospexisse. Obiit *Urbanus* VIII. post expletos in Pontificatu unum & viginti annos, octo diebus exceptis, die 29. mensis Julii an. 1644. ætatis suę 77. & in Basilica Vaticana sepultus est, ac repositus in tumulo, quem sibi vivens, Statuis & columnis ornatissimum, *Bernino* auctore, extruxerat.

D. Quem in Sede Pontificia successorem habuit *Urbanus Octavus*, de universa Ecclesia tam benemeritus?

M. Post obitum *Urbani* VIII. eique Novendialia, ut moris, persoluta, *Joannes Baptista Pamphilius*, Cardinalis Tituli S. *Eusebii*, Patria Romanus, quondam Auditor Rotę, & Nuncius Apostolicus in Hispania, concordi Cardinalium studio ad Summi Pontificatus apicem provectus est die xv. mensis Septembris anni 1644. annos natus duos supra septuaginta, sumptoque *Innocentii* X. nomine, coronatus est die XXIX. ejusdem mensis Archangelo *Michaeli* Sacra. Multis, iisque clarissimis *Innocentius* X. in Pontificatu præfulsit virtutibus, præcipue Religionis propagandę zelo, pietate, constantia, prudentia, & erga pauperes populumque ardentissima charitate, ut liquido probant complura, quę ipse dedit virtutum illarum specimina, quę hic breviter referam, exordium ducendo ab his, quę ad conservandam illibatam, ac promovendam ubique Fidem Catholicam peregit Pontifex ille Maximus. In primis, evellendis erroribus jugiter intentus *Innocentius* X. libellum quemdam Anonymum, cui titulus erat: *De magnitudine Ecclesiæ Romanæ*, & *SS. Petri & Pauli Pontificatu*, diris devovit, eo præsertim nomine, quod hujusce male consarcinati libelli Auctor omnimodam ęqualitatem inter Sanctum *Petrum & S. Paulum*, sine subordinatione & subjectione *S. Pauli* ad *S. Petrum* in potestate suprema & regimine universalis Ecclesię constitueret. Hanc de Bicipiti Ecclesia doctrinam *Innocentius* X. hereticam declaravit, eamque hortante eodem Pontifice, doctissimis lucubrationibus profligarunt *Joann. Augustinus de Bellis*, Clericus Regularis, *Theophilus Raynaldus*, Societatis Jesu, *Isacus Habertus*, Episcopus Vabrensis in Gallia, *Petrus de Marca*, Archiepiscopus tum temporis Tholosanus, postea Parisiensis, & alii. Ad compescendos graves tumultus, qui occasione libri, cui titulus est, *Augustinus Cornelii Jansenii Iprensis*, in Gallia & in Belgio exorti fuerant, *Innocentius* X. quinque famosas propositiones ex eo libro excerptas damnavit Constitutione Pontificia data Romę pridie Kalendas Junii anno 1653. ut operosius ostendemus in proximo Colloquio, referendo errores, Hæreses & Controversias, quæ Sæculo XVII. originem habuerunt. Hic tantummodo velim diligenter observes, Hæreticos nostri temporis, præsertim *Leidekerium* in Thesibus, Pseudo-Ministrum *Jurium* in judicio de severioribus & laxioribus methodis, & in libro cui titulus est *L' esprit de monsieur Arnauld*, seu *Domini Arnaldi Ingenium*; necnon *Samuelem Basnagium* libro XXVII. *Histo-*

rie

riæ Ecclesiasticæ Cap. VIII. impudentissime asserere, *Innocentium* X. & alios, qui ei successerunt, Pontifices Romanos, Sanctum *Augustinum* per latus *Cornelii Jansenii*, Episcopi Iprensis, petere voluisse, & divinam Aquilini illius Præceptoris in materia de Gratia & libero Arbitrio doctrinam, tot Conciliorum Decretis, tot Romanorum Pontificum sanctionibus, tot Sanctorum Patrum elogiis consecratam, fuisse a nuperis Pontificibus Romanis explosam, sugillatam, proscriptam, atque illius loco suffectum esse purum putumque Pelagianismum. Hanc teterrimam Hæreticorum calumniam falsi convincunt tum illud vivæ vocis oraculum, Urbi & Orbi notissimum, quo *Innocentius* X. qui in librum *Jansenii* tulit Sententiam, contestatus est, doctrinam *S. Augustini* de gratia se ipsa efficaci, & prædestinatione gratuita, pro qua in Congregationibus *de Auxiliis divinæ Gratiæ* tanta cum gloria certavit Schola Thomistica, a confixis in libro *Jansenii* quinque famosis propositionibus longe lateque distare: tum etiam ejusdem *Innocentii X.* successorum Pontificia Decreta, quorum primum dedit *Alexander VII.* Pontifex Maximus ad Facultatem Lovaniensem die VII. mensis Augusti anni 1660. & in eo Doctores ejusdem Facultatis adhortatur, *ut præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaque Dogmata semper sequantur, ac impense revereri velint*. Hoc autem Pontificium Oraculum *Alexandri VII.* qui immediatus *Innocentii X.* successor fuit, quique etiam quinque ex libro *Jansenii* depromptas propositiones damnavit, eo gravius haberi debet, quod ea tempestate istæ de doctrina *Jansenii* in Galliis & in Belgio Controversiæ ebullirent, ac plurimi essent, qui dictitarent, Constitutionibus ac Censuris ab *Innocentio X.* Pontifice Maximo in librum *Jansenii* latis, doctrinæ & auctoritati Sanctorum *Augustini*, *& Thomæ* non nihil fuisse detractum. Sed horum, utriusque Sanctissimi Præceptoris doctrinæ auctoritatem elevare ac labefactare molientium, infrunita ora obturavit *Alexander* VII. eisque ad eamdem calumniam aut struendam, aut refricandam, laudato illo ad Academiam Lovaniensem *Brevi*, ut ajunt, Apostolico, omnem omnino aditum præclusit. Aliud haud dissimile Diploma Pontificium ad ejusdem Facultatis Lovaniensis Doctores die VI. mensis Februarii anni 1694. dedit *Innocentius* XII. in quo hæc habet: („ Apostolica vos primum Auctoritate monentes, ut sublatis contentionibus, sapientiæ, quæ desursum atque pacifica est, vacetis; profitentes, sicut asseritis, doctrinam præclarissimorum Doctorum Augustini & Thomæ, quorum ille tantæ scientiæ fuit, ut inter Magistros optimos, etiam a nostris Prædecessoribus, haberetur, & cujus doctrinam, secundum eorumdem Prædecessorum Statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia: Alter vero mira eruditione eamdem Dei Ecclesiam clarificat, & sancta operatione fœcundat. Hos dum Universitas vestra doctrinæ Duces secuta fuerit, secure pugnabit contra hostes Orthodoxæ Fidei in Ecclesiæ gloriam & ædificationem.„)

Gravef. Hist. Tom. VIII.

Denique, ut ceteros Sæculi XVII. Romanos Pontifices in doctrinæ *S. Augustini* commendationem conspirantes silentio prætermittam, *Clemens* XI. qui nuperrime feliciter rexit Ecclesiam, & Apostolica solicitudine doctrinæ non minus quam morum invigilavit puritati, in Decreto dato die 28. Januarii an. 1704. contra infamem libellum, typis clandestinis editum, & doctrinam *S. Augustini* conviciis, contumeliis & calumniis denigrantem, omnia encomia, quibus alii Summi Pontifices doctrinam *S. Augustini* celebrarunt, compendio complexus est, dum *Romanorum Pontificum prædecessorum suorum, qui* (inquit) *ejusdem S. Doctoris præcelsam doctrinam magno semper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt, laudabilibus vestigiis inhærere volens*, prædictum libellum damnavit *ad minus tanquam impium*, *blasphemum*, *necnon fulgentissimo Ecclesiæ Catholicæ lumini S. Augustino, quin immo ipsimet Ecclesiæ, atque Apostolicæ Sedi injuriosum*, & ut *flammis* aboleretur, jussit. Quam pœnam juræ optimo merebatur Opus istud tenebrarum, non alia luce dignum, quam quæ illi a Summo Pontifice *Clemente XI.* decreta est, accenso scilicet ad infamiam rogo, nec alia, qua versaretur, manu dignum, nisi ferali & carnificina, qua flammis ultricibus, ad perenne Auctoris & aliorum, qui illud in vulgus temere sparserant, dedecus, plaudentibus omnibus bonis, addictum est. Hanc brevem digressionem non inutilem tibi fore arbitror, sed potius apprime necessariam ad retundendam audaciam nostri temporis hæreticorum, quos non pudet asserere, doctrinam *S. Augustini* de Gratia se ipsa efficaci, & Prædestinatione gratuita ab *Innocentio X.* Pontif. Maximo, aliisque ejus successoribus damnatam fuisse, & invectum in Ecclesiam Romanam Pelagianismum; cum tamen certissime constet, *Innocentium X.* aliosque, qui ei successerunt, Romanos Pontifices, avitæ doctrinæ *S. Augustini* retinendæ tenacissimos, proscripsisse duntaxat sinistras interpretationes, quibus *Cornelius Jansenius* in suo libro *S. Augustinum*, obtorto, ut ajunt, collo, pertraxit in suos errores, quos doctrinæ *S. Augustini* e diametro oppositos, jure merito proscripserunt Summi Pontifices, & in quos omni procul dubio non impegisset *Jansenius*, si *S. Augustinum*, abdicatis omnibus præjudiciis, legisset, illustratus puro lumine Angelico, seu doctrina imbutus *S. Thomæ Aquinatis*, Doctoris Angelici, quem ipsemet *Jansenius*, volens nolens, Tomo 2. sui Operis, lib. Proœmialis cap. 22. fidissimum fuisse *S. Augustini* interpretem fatetur his verbis: *Quidquid vere Theologiæ in Scholastica S. Thomæ continetur, usque ad ipsorum Articulorum fundamenta, ex Augustino ita mutuatum est, ut quemadmodum novum Testamentum nihil est aliud, nisi vetus revelatum, & Augustini doctrina de gratia Dei, nihil præter Fidei principia in suas deducta conclusiones; ita S. Thomæ Summa, ubi Theologiam tradit, pro magna parte nihil sit aliud, nisi AUGUSTINUS CONTRACTUS, certaque proportione naturalibus principiis alligatus*. Visne igitur in tot tantisque tumultibus & Controversiis de Gratia & libero Arbitrio, quibus etiamnum perstrepit universus Orbis, veram ac genuinam

Sancti *Augustini* mentem assequi? Vis solem illum citra occæcationis periculum fixis adspicere obtutibus? ad *Thomam Aquinatem*, Scholæ Angelum, accede, alterum equidem Ecclesiæ Solem, sed tuarum virium imbecillitati magis attemperatum, & juxta saluberrimum Summorum Pontificum Consilium, ab eo securus disce Sancti *Augustini*, Aquilini Doctoris, de Gratia & libero Arbitrio sententiam, & nullam habeto societatem cum quibusdam Novatoribus, qui doctrinam suam Vaticanis fulminibus obtritam cum sentiant, fremunt, indignantur, & phreneticorum in morem clamitant, per *Jansenii* latus *Augustinum* peti, divinam illius doctrinam de gratia & libero Arbitrio damnari; unum sibi *Augustinum* judicem deposcere, litemque omnem dirimendam esse unius arbitrio *Augustini*, a cujus tamen doctrina, quam Angelici Doctoris lumine destituti præpostere intelligunt, cum tota aberrent via, in varios abeunt errores, sive dum de rebus Dogmaticis, sive dum de Mystica, aut Morali Theologia scribunt.

D. Monitis tuis lubentissime parebo, & doctrinæ Sanctorum *Augustini*, & *Thomæ*, de Gratia & libero Arbitrio, velut Sacræ Anchoræ, indivulse adhærebo, atque erga utrumque Sanctum Doctorem perinde affectus ego, ac Sanctus *Bernardus* in Epistola LXXVII. ad *Hugonem de Sancto Victore* doctrinæ SS. *Augustini*, & *Ambrosii* se addictissimum esse profitetur his verbis: *Ab his duabus Columnis, crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor*. Sed tandem, ab isto diverticulo, in quod, occasione damnationis quinque Propositionum *Cornelii Jansenii*, Episcopi Iprensis, ab *Innocentio* X. Pontifice Maximo prolatæ, defleximus, in viam redeamus, & cetera, si placet, quæ in suo Pontificatu præclare gessit, *Innocentius* X. accurate describe.

M. Zelo Catholicæ Religionis amplificandæ & conservandæ accensus *Innocentius* X. Pontifex Maximus, Turcas, Christiani nominis hostes, acerrime insectatus est, & ad eorum infringendas vires, Venetis, & Equitibus Melitensibus, qui cum illis Bellum gerebant, suas opes, copias, triremes Pontificias, aliaque id genus militaria subsidia suppeditavit, & *Uladislao*, Poloniæ Regi bellum in Turcas meditanti, triginta millia aureorum ad instruendum bellicum Apparatum subministravit, regiumque animum ad tam illustre opus aggrediendum promissis majoribus erexit. Pacem ab Urbe, ubi inita est, *Monasteriensem* dictam a *Philippo* II. cum Batavis, & Belgis hæreticis compositam, & a *Ferdinando* Imperatore cum Germaniæ & Sueciæ Principibus itidem heterodoxis sancitam, *Innocentius* X. Pontificio promulgato edicto reprobavit tanquam Sedi Apostolicæ injuriam, & Religioni Catholicæ perniciosam, eamque nullam & invalidam declaravit, eo quod inter prædictæ illius pacis conditiones, ad quas Principes Catholici solius vi necessitatis, metu majoris mali, & suarum virium tot annorum bellis exhaustarum necessitate adacti fuerant, multa essent, quæ sacra jura gravissime violabant, & Religioni Catholicæ erant maxime infesta. Eximiæ, qua præditus erat, pietatis, complura, ac publica *Innocentius* X. dedit argumenta. Et primo quidem tempore Jubilæi, quod Anno MDCL. celebratum est, postquam providisset vigilantissimus ille Pontifex, ut ingens frumenti, & vini copia Romam adveheretur, ad alendos innumeros pene exteros, qui eo sacro anno cælestibus ditandi thesauris ad Urbem confluere solent; postquam etiam pro Episcopis & Sacerdotibus non Italis hospitium aperiendum curasset, & aliud Italis Sacerdotibus pariter adscripsisset, voluit omnibus suo exemplo pietatis operibus præire, sæpius Sanctissima templa visitando, precibus Deo persolvendis assidue vacando, pauperibus per vias eleemosynas larga manu erogando, Xenodochium Sanctissimæ Trinitatis aliquando invisendo, ubi pauperibus, quorum pedes ante abluebat, ad mensam tanta modestia & charitate administrabat, ut his pietatis exemplis permoti omnes Principes Romani, ad alendos peregrinos vel domos suas commodarent, vel pecunias abunde sufficerent, vel ipsimet pauperibus ad mensam accumbentibus adeo alacres & expediti famularentur, ut prisca pietas, mundo senescente, Romæ revivifcere videretur. Secundo enituit ejusdem Pontificis *Innocentii* X. pietas, sive dum ad sustinendas Catholicorum in Hibernia vires contra Hæreticos Anglos, misit *Joannem Baptistam Rinucinum*, Archiepiscopum Firmanum, ut illorum inopiam auro & argento sublevaret, eosque ad Bellum contra Hæreticos Anglos gerendam animaret; sive etiam, dum ad Catholicam Angliæ Reginam, *Henriettam Borboniam* transmisit per Equitem Dominum *Dighi*, Anglum Catholicum, plura aureorum millia, ut iis ad suum subsidium, & Catholicorum in Angliæ Regno levamen uteretur. Conversionem Hæreticorum ad Fidem Catholicam tam curæ ac cordi habebat Summus ille Pontifex, ut una Fidei amplificatione delectaretur. Hinc illa lætitia, qua perfusus ac delibutus incedebat, cum felicior aliquis de Religione nuncius perferebatur. Hinc illæ lacrymæ, quas præ gaudio non tenuit, dum multorum Germaniæ Principum, & e primaria nobilitate Virorum felicem & exoptatum ad Ecclesiam reditum audivit, atque ex eis aliquos verbis blandissimis excepit ad suos pedes, sacrisque muneribus donavit, sicut testatur ejus vitæ auctor, apud nostrum *Alphonsum Ciaconium* Tomo IV. *de Vitis Romanorum Pontificum*. His præclare pro Christiani nominis gloria gestis pauca alia addam, quæ *Innocentii* X. cultum in Deum & in Sanctos æternum prædicabunt. Templum Vaticanum, seu Basilicam Principis Apostolorum, & Basilicam Lateranensem instauravit, & exornavit summus ille Pontifex. Magnificum & augustissimum Templum in honorem S. *Agnetis* Virginis & Martiris in Agonali Foro extrui jussit, ibidemque Fontes duos ab utroque Agonalis Fori capite surgentes expolivit, & aquis locu-

locupletavit, atque in medio ejusdem Fori elegantissimum alterum Fontem, & omnium tum Veterum, tum recentium magnitudinem, & venustatem superantem, largo, varioque aquarum labentium cursu divitem, Simulacris, Symbolis, Inscriptionibus, & Pyramide exornatum, ac exquisita arte a *Laurentio* Equite *Bernino*, Architectorum illius Sæculi Principe, perfectum, immensa auri effusione erexit. Quod si his omnibus ea addideris, quæ *Innocentius* X. ad augenda pubblica commoda, ad Capitolii ædificium absolvendum, ad mœnia Urbis Romæ, quæ jam *Urbanus* VIII. incœperat, perficienda, ad populi levamen, pauperumque subsidium, eo præsertim tempore, quo populus Romanus propter eluvionem Tyberis ingentibus calamitatibus, & frumenti penuria, & caritate laborabat; si hæc, inquam, & alia id genus, quæ omni præconio digna *Innocentius* X. suo in Pontificatu gessit, his omnibus, quæ hactenus dixi, addideris, ultro fateberis, *Innocentium* X. Pontificem Maximum, pietate, Catholicæ Religionis propagandæ zelo, prudentia, justitia, magnificentia, & in sublevandis populi ac pauperum miseriis summa vigilantia, aliisque egregiis virtutibus præditum fuisse. Obiit ille Pontifex Romæ in Quirinali Palatio die VII. Januar. ann. 1655. ætatis suæ anno LXXXIII. cum Pontificatum gessisset annos decem, menses tres, dies viginti tres.

D. Quis ad occupandum Thronum Apostolicum, seu ad regendam universam Ecclesiam electus est, & in locum *Innocentii* X. Pontificis Maximi suffectus?

M. Mortuo *Innocentio* X. eique Novendialibus Exequiis, juxta morem, persolutis, Cardinales in Conclave ingressi, *Vincentium Maculanum*, ab *Urbano* VIII. Cardinalem Tituli *S. Clementis* creatum, Ordinis Prædicatorum, in Romanum Pontificem, ob eximiam ejus pietatem summa cum ingenii dexteritate & eruditione conjunctam, eligendi consilium inierunt, sicut testantur *Ferdinandus Ughellus in Italia Sacra*, & *Alphonsus Ciaconius* in hujus Cardinalis Vita, Tomo IV. *de Vitis Romanorum Pontificum*. At, cum Cardinalis *Vincentius Maculanus* hanc supremam sibi oblatam dignitatem inaudita animi magnitudine, & pervicacissima modestia suscipere detrectaret, tandem Cardinales, ne diutius, quam par esset, electio Pontificis protraheretur, oculos conjecerunt in *Fabium Chisium*, Cardinalem tituli *S. Mariæ de Populo*, eumque Pontificem Maximum renunciarunt die 7. mensis Aprilis an. MDCLV. dictum in Pontificatu *Alexandrum* VII. Maximam tantæ dignitatis recte administrandæ spem statim concitavit Summus ille Pontifex, qui dum adhuc Cardinalis esset, in summa apud omnes, ob res præclare ubique gestas, existimatione, & Principibus, apud quos Legationes magna cum laude obierat, gratissimus erat. Illustriora tantum *Alexandri* VII. Pontificatus Acta, hic, ne longior sim, describam, eaque ad tria capita, videlicet ad Religionis negotia, quæ pie gessit, ad Urbis ornatum, quem perfecit, & ad singulare studium erga Viros Litteratos, quos Summus ille Pontifex immensis beneficiis cumulavit, paucis verbis revocabo. In primis ad illibatam Fidem Catholicam conservandam, nova Constitutione *Alexander* VII. proscripsit quinque famosas propositiones ex libro *Jansenii* excerptas, Fideique formulam conscripsit, quam hi, qui ad Episcopatum, vel ad aliquam Ecclesiasticam dignitatem deinceps promoveri debebant, profiteri tenerentur. Secundo, *Christinam*, Svecorum Reginam, ejurata Hæresi Lutherana, & jure Suetici Regni in *Carolum Gustavum* translato, Catholicam Fidem amplexam, ad Urbem invitavit, misso ad eam *Luca Holstenio*, Viro doctissimo, & Bibliothecæ Vaticanæ Custode, eamque Romam adventantem Regio plane honore & apparatu, præmissis quatuor Nunciis Apostolicis, & duobus Legatis a Latere, excepit in Ædibus Vaticanis. Per plures annos Romæ inter religiosissimæ pietatis exercitia vixit *Christina* Suecorum Regina, cui *Alexandra* nomen imposuit *Alexander* VII. dum eam Sacro Confirmationis oleo inunxit, ibidemque annos nata sexaginta tres obiit, sedente *Innocentio* XI. an. MDCLXXXIX. & sepulta est in Basilica Vaticana, ubi legitur hæc Inscriptio: *Christina Alexandra, Gothorum, Suecorum, Wandalorum Regina, Hæresi abjurata, terrenoque Regno ob cæleste abdicato, moritur Romæ anno 1689. die. 19. Aprilis, orta anno 1626. die 18. Decembris.* Nec solum *Christinam*, Suecorum Reginam, ab hæresi ad Catholicam Fidem conversam, opibus, & consiliis juvit *Alexander Septimus*, sed etiam profusa liberalitate aliis Principibus Christianis contra Orthodoxæ Fidei hostes pugnantibus, pecuniam, copias, & Classes subministravit, præsertim *Carolo Emmanueli*, Duci Sabaudiæ, adversus hæreticos in alpinarum Vallium accolas bellum gerenti, Regi Poloniæ, armis hæreticorum Suecorum pene oppresso, Regi Hungariæ, Turcarum impetus ægre sustinenti, Catholicis Helvetiorum Pagis, quos vocant *Cantones*, qui ab aliis hæreticis Helvetiorum Pagis continuo vexabantur, necnon Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, quam diuturno cum Turcis Bello implicatam, tantæque illius sustinendæ moli imparem, ingentibus copiis cum Classibus & pecuniis missis, erexit afflictam, & ad instaurandum adversus Barbaros bellum animavit. Quæ opportuna Pontificis liberalitas in causa fuit, cur eadem Respublica Veneta votis *Alexandri Septimi*, de se tam bene meriti, maxima obsequii significatione subscripserit, & in Statum Venetum revocaverit, atque in pristinum locum anno MDCLVII. restituerit Jesuitas, qui, sicut superius observavimus, ab exorto inter *Paulum* V. Pontificem Maximum, & Rempublicam Venetam memorabili illo dissidio, quo *Paulus* V. violatæ immunitatis Ecclesiasticæ nomine, eidem Reipublicæ Sacris interdixit, a tota Venetorum Ditione erant proscripti ac extorres, alteque sedebat animo Senatoribus eos nunquam recipere, ac severo jam promulgato Edicto ab omni spe re-

ditus excludere, sed hoc Decretum, magna licet suffragiorum consensione editum, Respublica Veneta, Votis *Alexandri VII.* Pontificis Maximi annuens, refixit, & (quod superiores Pontifices magno sæpe conatu, sed frustra semper, tentaverant) excepit in tota Ditione Veneta Jesuitas tam splendide, ut jam de exilio conqueri minime possint. Hæc sunt majoris momenti negotia, quæ pro tuenda & amplificanda Catholica Religione suo in Pontificatu gessit *Alexander VII.* Jam vero, quæ ad Urbis Romæ ornatum, ad restaurandas Ecclesias, ad publicam populi salutem, pacem & annonæ abundantiam attinent, innumera ab eo Pontifice collata extant beneficia, quorum nonnulla hic inferere sufficiet. Urbi, magna annonæ penuria laboranti, succurrit ingenti frumenti copia a Batavis usque immani pretio convecta, & pestem in eadem Romana Urbe grassantem profligavit divinis & humanis imploratis præsidiis, Urbemque servavit levissimo accepto damno. *Pantheon*, clarissimum veteris Romæ Templum, insigni porticu & raræ magnitudinis Columnis antea semisepultis, nunc in lucem productis, exornavit, deterso a sordibus, & a tabernis rerum venalium Foro illi adjuncto. *S. Petri* Cathedram, a duobus Græcæ, & totidem Latinæ Ecclesiæ Doctoribus fultam, opus ex ære, molis magnitudine mirandum, in apside Templi Vaticani constituit. Centumcellarum portum, temporis & maris injuriis labefactatum, instauravit, atque constabilivit. Sacras Ædes *Beatæ Mariæ de Populo*, *B. Mariæ de Pace*, aliasque complures exornavit, & ad excitandam erga Sanctos Fidelium pietatem, *B. Thomam de Villanova*, Hispanum, Archiepiscopum Valentinum, Ordinis Eremitarum *Sancti Augustini*, & *Beatum Franciscum Salesium* Episcopum Genevensem in Sanctorum Canonem retulit. Denique, quanto affectu *Alexander VII.* Pontifex Maximus Viros sui temporis litteratos complecteretur, probant illi frequentes ac jucundissimi congressus, quos habebat cum clarissimis & in omni tum sacra, tum prophana antiquitate apprime doctis hominibus, *Luca Holstenio*, *Leone Allatio*, *Sfortia Pallavicino*, *Joanne Bona*, & aliis, quorum consuetudine, & familiaribus colloquiis impense delectabatur, de re litteraria sermonem cum ipsis conferens, sed potissimum de Sacra, & Ecclesiastica Historia, Veterisque Ecclesiæ] Disciplina, quam paulatim instaurare, si per temporum difficultatem licuisset, maximopere cupiebat, bonisque litteris, quas a Veteris Latii gloria excidisse intelligebat, pristinum restituere splendorem. Hæc serio meditans Summus ille Pontifex, eaque executioni mandare volens, Archigymnasium Romanum a *Leone X.* institutum, toto ambitu perfecit, ejus Bibliothecam omnis generis libris luculenter instructam, amplissima aula, ac thecis magnifice instructis, publicæ commoditati aperuit, eique addidit impressorum librorum Bibliothecam Urbinatium Ducum, quæ Urbaniæ inter tineas, & blattas sordida jacebat. Bibliothecæ etiam Vaticanæ aliam celeberrimam adjunxit eorumdem Urbinatium Ducum Bibliothecam, magna omnis generis manuscriptorum copia refertissimam, in quorum manuscriptorum Codicum lectione ita versatus erat Summus Pontifex, ut nulli essent tam barbaro & exoleto charactere exarati, quos statim non penetraret, non assequeretur, & ex his plura ad illustrandam obscuriorum temporum eruditionem magna cum voluptate colligeret. Decreverat idem Romanus Pontifex (sicut testatur ejus Vitæ Scriptor apud nostrum *Alphonsum Ciaconium* Tomo IV. *De Vitis Romanorum Pontificum*) Romæ instituere Collegium Virorum omnigenæ litteraturæ eruditione præstantium, quique fama & ingenio clari ex omnibus Christiani Orbis Provinciis seligerentur, & in tutandis Fidei Dogmatibus, retundendisque calamo Sedis Apostolicæ hostibus, operam, studiumque collocarent. Sed, ne huic præclarissimo operi manum admoveret Pontifex, impedivit exortum Romæ anno 1662. intempestivum dissidium, cujus originem ac finem hic paucis aperire non abs re erit. Turmæ Corsicæ, ad custodiam Summi Pontificis tum temporis destinatæ, obsesso Palatio Farnesio, in quo Dux *Crequius*, Regis Galliæ *Ludovici XIV.* Legatus, diversabatur, plura contra jus gentium hostiliter fecerunt, in Legati uxoris currum catapultas disploserunt, unum ex ejus Ephebis, seu pueris honorariis, occiderunt, fenestras Palatii turpiter fregerunt, & alias id genus contumelias personæ Legati irrogarunt. Huic injuriæ Legato Regis Christianissimi illatæ, quæ funesta mala & incommoda secum trahere poterat, factum est satis. Summus quippe Pontifex *Alexander Septimus* die XII. mensis Februarii anni MDCLXIV. Pisis cum Rege Christianissimo pactum pepigit, eique pollicitus est primo, Cardinalem Patronum in Gallias a se missum iri, qui Corsarum militum crimen a Pontifice amoliretur, palamque declararet, neque Pontificem, neque ex ejus Familia quemquam audacis hujus facinoris participem fuisse. Secundo, Gentem Corsicam incapacem fore renunciandam, quæ Summo Pontifici inserviret. Denique, pyramidi ex regione stationis militum Corsarum extollendæ proscriptionis ipsorum Decretum incisum iri. His pactis conditionibus acquievit Rex Christianissimus *Ludovicus* XIV. easque summa Fide executioni mandavit *Alexander* VII. Pontifex Maximus. At postea, seu anno MDCLXVII. flagitante *Clemente* IX. successore *Alexandri Septimi*, permisit Rex Galliæ *Ludovicus* XIV. ut hæc Pyramis, Genti Corsicæ infamis, subverteretur ac solo æquaretur. Sic *Alexander* VII. grave periculum, quod ex eo dissidio timebatur, prudentissime avertit, & in illa Gallici motus procella ostendit animum vere magnum, & erectum, qui nulla fortunæ injuria, nullis tempestatum fluctibus debilitari poterat, nedum frangi. Obiit Optimus ille Pontifex die vigesima secunda mensis Maji anni MDCLXVII. ejusque in

in Pontificatu praeclare gesta elegantissima funebri oratione in ejus Exequiis habita laudavit *Augustinus Favoritus*, politioris litteraturae eximius, inter ceteros sui Seculi, cultor.

D. *Clementem Nonum* in Sede Pontificia *Alexander Septimo* successisse mox obiter insinuasti, sed nunc de ejus patria, genere, dotibus, quibus potissimum in Pontificatu excelluit, & de rebus ab ipso in universae regimine Ecclesiae praeclare, laudabiliterque gestis, necesse est ut continenti ordine paululum differamus.

M. Post solemnes *Alexandro Septimo* persolutas Exequias, Cardinalibus comitia Vaticana ingressis non diu de novo eligendo Romano Pontifice deliberandum fuit. Adeo enim spectata in pluribus arduis negotiis virtute, & regia animi celsitudine sibi Sacri Collegii voluntates, & Regum gratiam conciliaverat *Julius Rospigliosius*, patria Pistoriensis, ex nobilissima Rospigliosiorum ejusdem Urbis Familia oriundus, & Cardinalis Presbyter *S. Sixti* ab *Alexandro Septimo* creatus, ut die vigesima mensis Junii anni MDCLXVII. unanimi suffragiorum consensione electus fuerit Pontifex Maximus, qui die XXVI. ejusdem mensis in Basilica Vaticana coronatus voluit appellari *Clementis* nomine, quod placidis ejus moribus, & exprimendae nativae mitissimi ejus ingenii indoli perquam apposite congruebat. In Sede Sancti Petri constitutus *Clemens* IX. pietatis operibus se suosque mores Fidelibus probavit; eorum Confessiones publice aliquando in Basilica Vaticana sedens in Tribunali Poenitentiae excipiebat, Nosocomia saepissime invisebat, aegrotis plerumque ministrabat, duodecim pauperes ex his, qui Religionis ergo Romam peregrini accedebant, singulis diebus in Palatio Apostolico reficiebat, eisque tanta cum pietate, eoque Christianae humilitatis studio inserviebat, ut nonnulli haeretici, Pontificiae hujus charitatis, quam nonnisi e vera Christi disciplina prodire posse intelligebant, testes oculati, Haeresim ejurarint, deposuerintque errorem, quem cum lacte suxerant, sibi propinatum a parentibus, atque nefariae Sectae Magistris, qui Romanum Pontificem, ceu Virum superbia & arrogantia turgidum, tetris coloribus depingere solent, quo Sedi Apostolicae apud Sectae suae homines odium conflare possint, & solo prolato Pontificis Romani nomine, magnus statim occupet puerorum mentes ac pectora terror. Tot inter curas, quibus suo in Pontificatu *Clemens IX.* implicitus fuit, in hanc unam praesertim incubuit, ut revocatis ad pacem Christianorum Principum animis, Turcarum potentiam, quae de funestis eorumdem Principium bellis quotidie crescebat, & vires acquirebat eundo, elideret, ac si fieri posset, omnino profligaret. Bello Cretensi attritis Venetorum opibus, & Turcis elatis Victoriis jam pene totam Cretam Insulam invadentibus, necessarium esse duxit Summus Pontifex, omnes Christianos Europae Principes ad Sacrum Bellum solicitare, ut ejus vocibus, quasi classico quodam excitati, periclitanti Insulae Cretae suppetias ferrent, arma contra Turcas stringerent, atque commune periculum Christianorum cervicibus impendens feliciter propulsarent. Magnae quidem in executione suscepti hujusce negotii difficultates superandae occurrebant, praesertim cum Rex Christianissimus *Ludovicus* XIV. cujus praecipue ope omnis tuendae Insulae Cretae spes nitebatur, Bellum tum temporibus in Belgio cum Hispaniarum Rege eo felici armorum exitu ageret, ut vix credi posset, eum ad pacis studia adductum iri, victriciaque sua arma in his rerum circumstantiis conversurum, cum evidenti periculo prodendae salutis plurimorum Gallicae suae gentis, vel saltem evertendi commercia, quae Galli Mercatores, magno cum Gallici Regni compendio, in Turcarum Ditione instituerant. Hanc tamen difficultatem facili negotio perrupit ac superavit *Clemens* IX. Pontifex Maximus, missoque *Jacobo Rospigliosio* Cardinali, Nepote suo, ad *Ludovicum* XIV. Galliarum Regem, ita ad componendam pacem ejus animum flexit, ut Christianissimus ille Rex, non tam in medio Belli quam victoriarum suarum cursu, actutum Summo Pontifici per Litteras significarit, se ejus officiis, vehementi desiderio, atque ferventibus adhortationibus obsecutum arma inbibuisse, ut de ineunda pace agi posset. Quin etiam, dum alii Principes Christiani copias undique magnis sumptibus conscriberent, & militaria subsidia ad defensionem Urbis Candiae in Insula Creta a Turcis obsessae certatim suppeditarent, ostendit Rex *Ludovicus* XIV. nihil suo altius infixum esse animo, quam ut Christiana Religio ubique floreret ac coleretur. Confestim siquidem jussit Duci *Navalaeo*, Franciae Marescallo, ut septem hominum millia in Candiam duceret, & Duci *Belfortio*, rei maritimae Franciae Praefecto, ut his auxiliaribus militibus ferret subsidium. Galli feliciter Candiam appulsi, & in eam a Turcis obsessam ingressi, strenue pro ejus liberatione pugnarunt, factaque in Barbatos eruptione, decertante Duce *Belfortio* in prima militum acie, quos Galli, *les Enfants perdus*, seu filios perditos, vocant; duo propugnacula, & aggeres, quos Turcae ad sui tuitionem excitaverant, magnis animis occuparunt, ac solo aequarunt. At dum acrius insistunt, contigit inopinato casu, ut cadus pulveris tormentarii accensus longe lateque omnia vastaverit, quod quidem Gallos tanto terrore perculit, ut solum suffossis cuniculis penitus excussum iri putantes, pedem retraxerint, qua in fuga ingentem cladem a Turcis acceperunt, & in ea occisus est fortissimus Heros Dux *Belfortius*, Mars Gallicus, Turcarum terror, moderatione, sapientia, firmitate animi, pietatis, & Catholicae Religionis studio, aliisque egregiis dotibus instructus. Tandem Candiae Civitas, post quinquaginta duas hostium impressiones fractas ac propulsatas, post trium annorum, mensium trium & sex dierum obsidionem, sese Turcis, cum summo moerore *Clementis* IX. Pontificis Maximi, qui ad praedictam Urbem a Barbarorum obsidione liberandam nihil intentatum relique-rat,

rar, constitutis hinc inde, Venetos videlicet inter & Turcas, æquis ac honestis pacis conditionibus, deditione permisit. Hanc inclytam Regis Christianissimi, Gallorumque militum in oppugnando communi Christianæ Religionis hoste virtutem non absque mercede reliquit *Clemens* IX. Pontifex Maximus. Galliarum quippe Regnum ut sibi arctius devinceret, altissima, diuque exoptata pace illud beavit, dum quatuor Ecclesiæ Gallicanæ Episcopos, Alectensem, Apamiensem, Andegavensem, & Bellovacensem, qui Formulæ, aliquot jam abhinc annis ab *Alexandro* VII. in Causa *Jansenii* æditæ, subscribere detrectabant, indeque per totum Regnum gravissima dissidia ferebant, auctoritate sua flexit, ad Sedis Apostolicæ obsequium libenter traduxit, sicque pacem in Ecclesiam Gallicanam postliminio revocavit. Qua de re *Cæsar d'Estrees*, Episcopus Laudunensis, Gratulatorias Litteras die 22. mensis Septembris anni 1668. ad Summum Pontificem scripsit, in quibus hæc habet: *Firmata armis, opibusque Candia, pacata Europa, restitutis apud Lusitanos Episcopis, aut propemodum restituendis, nihil usquam majus adjici poterat, aut splendidius, quam Ecclesiæ Gallicanæ tranquillitas...... Absolvis tandem magnum illud opus, Beatissime Pater, nova, necnon sincera subscriptione aliis Episcopis consentiunt illustrissimi Alectensis, Apamiensis, Andegavensis, & Bellovacensis, a quibus in subscribenda Fidei formula aliquatenus recesserant..... Verum, de eventu tam fausto atque felici gratulationem, non tam illorum quatuor Episcoporum pietati atque obsequio, aut laboribus utcumque nostris, quibus negotium illud adjuvimus, Illustrissimus Episcopus Catalaunensis & ego, quam Beatitudinis vestræ summæ prudentiæ, atque eximiæ benignitati, deberi existimavimus. Sed animos omnium spectatissimæ, atque suavissimæ virtutis tuæ ita devinciunt, ut durum, ac difficile nihil appareat, quod Beatitudini vestræ gratum, acceptumque futurum est, &c.*

Multa hic de industria silentio prætermitto, quæ *Clemens* IX. Pontifex Maximus tum Romæ, tum foris præclare gessit, quia accuratiorem historiam stylumque desiderant. Addam dumtaxat, optimum illum Pontificem albo Beatorum adscripsisse *Rosam*, spectatæ Sanctimoniæ Ordinis Sancti *Dominici* Virginem Limensem, & in Sanctorum numerum retulisse *Petrum de Alcantara* Ordinis Minorum *S. Francisci*, & *Magdalenam de Pazzis* Florentinam, Ordinis Carmelitarum, eximia pietate, abstinentia, & miraculorum gloria præfulgentes. Obiit *Clemens* IX. die nona Decembris anni MDCLXIX. eumque *Augustinus Favoritus* laudavit in funere, quod Sacrum Cardinalium Collegium per novem dies, ut moris est, celebravit in Basilica Vaticana. Noluerat quidem *Clemens Nonus*, dum viveret, humanæ gloriæ contemptor, ut sibi mortuo ullum honorificum erigeretur monumentum, at *Clemens* X. ejus in Pontificatu Successor publico voto consulere, & eximias Decessoris sui dotes æternæ posterorum memoriæ consecrare volens, excitavit in Basilica Liberiana, seu *S. Mariæ Majoris*, magnificum sepulchrum cum Statua *Clementis Noni*, & Inscriptione, quæ Sanctissimi illius Pontificis ardentem Fidei zelum, egregiam erga omnes beneficentiam, & charitatem, quam de re Christiana optime merendo, multis ac luculentis argumentis testatam reliquit, æternum commendabit.

D. Quo propius ad ætatem nostram in describendis præclaris Romanorum Pontificum Gestis accedimus, eo clarius detego malas artes hujus temporis Hæreticorum, qui in Roman. Pontifices mucronem linguæ acuentes, immani odio perciti, convicia jaciunt, ac Petram illam, super quam Christi Ecclesia est ædificata, contumeliis feriunt, similes Vespæ, quæ (ut nuperrime legebam apud S. *Epiphanium* in lib. de *Hæresibus*, Hæresi quadragesima quarta): *Si quis virga perscrutetur ipsius latebras, aut nidum destruat, aut favum ligno pungat; exit indignata ipsa horrenda quidem, verum debilis Vespa, & si invenerit petram, aut lignum, præ ira, qua excanduit, cum stridore instat, & impetit, ac ferit: petram quidem nihil lædit, nec lignum, immo nec hominem etiamsi momorderit, nisi quod modicum dolorem inducit: verum, aculeum amittit, & sic perit: petra vero nulla injuria afficitur.* Sic hæretici nostri temporis ægre admodum ferentes, quod Romani Pontifices nidos errorum, quos disseminant, dissuerint, everterint, destruxerint, in furorem acti e latebris suis, Vesparum instar, erumpunt, excandescunt, strident, impetunt, Summos Pontifices contumeliis pungunt, ac linguæ aculeo Petram illam, supra quam Christus fundavit Ecclesiam suam, nullis ventorum turbinibus, nullis undarum insultibus cessuram furient; sed cum huic Petræ nihil suis aculeis nocere possint, sibi ad illam genium frangunt, & æternam mortem accersunt. Sed missis Hæreticis, Sedis Apostolicæ infensissimis hostibus, prosequamur, si placet, Historiam aliorum Romanorum Pontificum, qui Sæculo Ecclesiæ decimo septimo Sedem Romanam tenuerunt.

M. Post ventilata per menses fere quinque post obitum *Clementis* IX. Conclavi Vaticano de eligendo Romano Pontifice consilia, tandem a Purpuratis Patribus in Summum Pontificem die XXIX. mensis Aprilis an. MDCLXX. electus est *Æmilius Alterius* ex illustrissima *Alteriorum* Romana Familia oriundus, qui, licet per multa Curiæ officia diuturno tempore & summa cum laude exercitus, præ singulari tamen, ac rara modestia, eligentium plausibus, & totius populi acclamationibus quasi indignatus, supremam hanc sibi oblatam dignitatem tam obstinato animo suscipere detrectavit, ut precibus, monitis, & totius Sacri Cardinalium Collegii adhortationibus, & tantum non increpationibus, vix denique victum se dederit, cesseritque, postquam excusationibus infirmæ valetudinis, & ætatis octogenariæ planctu frustra Pontificatum a se amoliri tentasset. *Clemens* X. dici voluit, & coronatus est die XI. mensis Maji ejusdem anni MDCLXX. Quinque Beatorum Apotheosi, quos solemni ritu Sanctorum numero adscripsit, Pontificatum suum auspicari voluit *Clemens* X. Hi autem fuere B. *Cajetanus*,

nus, Clericorum Fundator, *Philippus Benitius*, Ordinis Servorum Beatæ Virginis, *Franciscus Borgia*, Societatis Jesu, *Ludovicus Bertrandus*, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & *Rosa* Limensis, Sacra Tertii Ordinis *S. Dominici* Virgo. *Pium* V. Pontificem Maximum, & *Margaritam*, Reginam Scotiæ, Beatorum Catalogo accensuit. Jubilæum anno 1675. celebravit, eo majori populorum ex omnibus Provinciis, Deo hac in peregrinatione litandi causa, Romani sese conferentium, pietate & veneratione, quod hæc sacra peragi nonnisi recurrente anno vigesimo quinto soleant. Auxit eodem anno idem Pontifex pietatem fidelium, dum sacros honores decrevit ac deferendos sanxit novendecim Martyribus, ex passionis loco dictis *Gorcomiensibus*, qui e variis Cleri tum Sæcularis, tum Regularis Ordinibus Sæculo decimo sexto pro asserenda reali Corporis Christi in Eucharistia præsentia, ac Romani Pontificis Primatu ab hæreticis Calvinianis in Belgio captis, & crudelissimis vexati suppliciis mortem gloriose oppetierunt. Ætate quantumvis gravis esset *Clemens* X. Pontifex Maximus, omnibus tamen suppetias laturus promptissime accurrebat. Omnia prævidebat prudens, providebat justus, opes profundebat liberalis erga omnes, exceptis tamen suis nepotibus, quorum familiam bonis Ecclesiæ locupletare noluit. Polonis, quos Turcæ ad graves angustias redigebant, eorumque Provincias misere depopulabantur, amplissima subsidia suppeditavit. Basilicam Liberianam seu Ecclesiam *S. Mariæ Majoris* perfecit. Denique, *Ludovicam* pronepotem suam in matrimonio collocavit cum *Dominico Ursino*, Gravinæ Duce, & fratre germano Eminentissimi *Vincentii Mariæ Ursini*, Ordinis FF. Prædicatorum Cardinalis, & Archiepiscopi Beneventani, qui, solo impulsus Religionis amore, Ducatum, qui jure primogenituræ ad ipsum pertinebat, abdicavit, fratrique suo cessit: & sicut, dum esset in Familiæ Dominicanæ Claustris, a quibus ægerrime avulsus est, Regularibus fuit norma vivendi, ita nunc Archiepiscopali dignitate decoratus, Clerum Sæcularem exempli lege, frequenti Synodorum celebratione reformat, & pabulo sacræ doctrinæ, qua mire fulget, gregem sibi a Deo creditum qua concionibus, qua libris editis ad pietatem & eruditionem informat, omnique officiorum ac beneficiorum genere sibi arctissime devincit. Sub Pontificatu *Clementis* X. hoc est die XXVII. mensis Septembris an. 1672. *Josephus Borri*, Medicus Italus, qui se *Christum*, seu Messiam esse insulse prædicans, aliosque per Italiam, Germaniam, & Bataviam disseminans absurdissimos errores, scabiem suam nonnullis affricuerat; captus in Germania, ac jussu *Leopoldi* Imperatoris *Clementi X.* Pontifici Maximo traditus, solemni execratione deliria sua in Ecclesia *S. Mariæ* super Minervam, apud FF. Prædicatores ejuravit, & ad sanam mentem resipuit, sicut fidem facit *Dominicus Bernini*, testis oculatus, qui sinceram ejus conversionem ex colloquiis, quæ cum ipso habuit, perspectam se habuisse asserit Tomo VI. *Historiæ* suæ *Heresum* in Pontificatu *Clementis* X. pag. mihi 681. Tot rebus in rem Ecclesiæ summa cum laude gestis toto Orbe clarissimus *Clemens* X. Pontifex Maximus, obiit die XXII. mensis Julii an. 1676. ætatis suæ LXXXVI. Pontificatus anno septimo. Laudatus est in funere ab Abbate *Malagonello*, & sepultus in Basilica Vaticana. In locum extincti *Clementis* X. Cardinales die XXI. mensis Septembris, *S. Matthæo* Evangelistæ sacra, communibus suffragiis, ac nemine discrepante, suffecerunt *Benedictum Odescbalchum*, qui *Innocentius Undecimus* dici voluit, ut gratus memoriam renovaret *Innocentii* X. a quo fuerat in sacrum Cardinalium Collegium cooptatus.

D. Ad solum *Innocentii* XI. nomen cor meum præ gaudio subsaltare sentio. Sic enim a teneris annis Summum hunc Pontificem ea veneratione prosecutus sum, ut amplissimis monumentis vellem ejus consecrare memoriam. In describendis itaque eximiis illius dotibus, quæ omnium sermone celebrantur, paululum hic immorati debemus.

M. *Innocentius* XI. dictus antea *Benedictus Odescalchus*, natione Lombardus, patria Novocomensis fuit. Omnium Cardinalium Votis, ut mox diximus, electus in Pontificem, solus ipse ambiguus hæsit, & coram Deo provolutus, lacrymisque perfusus, eum obnixe rogavit, ut huic electioni non consentiret. Agnoscens tandem, se in his turbulentissimis Ecclesiæ temporibus ad id muneris divino consilio esse vocatum, acquievit, & Pontificatum summa cum omnium gratulatione suscepit. Emicabant in ejus vultu, totoque corporis habitu innata, non adscitia modestia; ingenita, non affectata gravitas; castigata, non fluxa humanitas; temperata, non exasperata majestas; non fucata, sed gratia condita morum suavitas, cum inflexibili tamen vitia puniendi, & unicuique jus reddendi voluntate conjuncta. Infinitus profecto essem, si omnia, quæ *Innocentius* XI. præclare in suo Pontificatu gessit, in præsentia percensere vellem. Nonnulla ex innumeris delibabo, ex quibus liquido constabit, Summum hunc Pontificem paucos ex tot suis in Sede Romana Decessoribus nactum esse pares, sive morum pietate & innocentia, sive constanti & invicto Ecclesiasticæ disciplinæ zelo, sive denique rerum omnium Sæcularium contemptu, quo Ecclesiæ opes non ad suos affines & consanguineos ditandos, sed ad juvandos Catholicos Principes, qui contra Turcas Bellum gerebant, liberaliter profudit. In primis, *Innocentius* XI. sub initium Pontificatus sui Cardinalem *Cibo*, eximiæ virtutis, & maximæ in tractandis rebus peritiæ Virum, primum in agendis negotiis Administrum sibi ascivit, omnesque suas curas ac cogitationes contulit ad tollendos serpentes abusus, ad restaurandam Ecclesiæ disciplinam, & illibatam conservandam Doctrinæ Moralis Christianæ puritatem. Aulam reformavit, antiquum ritum in sacris peragendis restituit, Prophanatores Templi severis legibus coercuit, eosque exilio mulctavit. Feminis districte prohibuit, ne pectore nudo, expansisve mammillis Ecclesiam ingrederentur. Monastici Instituti vindex & amator;

tor; Regulares, ad laxiorem disciplinam prolapsos, revocavit ad severiorem legum observationem. Canones Concilii Oecumenici Tridentini de vita & honestate Clericorum, de collatione Beneficiorum, & de aliis id genus, Disciplinam Ecclesiasticam spectantibus, executioni mandari jussit, eorumque observationi sedulo invigilavit. Doctrinam Christianam edixit juvenes edoceri, & Concionatoribus mandavit, ut ex Suggestu relictis illis, ingeniosis quidem, sed sterilibus & plane infructuosis cooceptibus, populum Romanum ad promptam morum emendationem, ad sinceram & non fucatam cordis conversionem, ad jugem mandatorum Dei observationem, ad constantem & ex contrito corde profectam peccatorum penitentiam agendam totis ingenii & eloquentiæ viribus excitarent. Tam pium, quod in animo *Innocentii* XI. Pontificis Maximi alte insidebat, propositum priscam restituendi pietatem, animos Episcoporum Galliæ in eam spem erexit, fore ut Summus ille Pontifex, nonnullos errores, a quibusdam Scriptoribus per Gallias sparsos, qui Moralis Christianæ Doctrinæ integritatem corrumpebant, auctoritate Apostolica proscriberet. Eam ob rem, ad *Innocentium* X. Pontificem Maximum Epistolam, aureis certe Ecclesiæ Sæculis dignam, direxerunt, cujus utpote prolixioris, præcipua duntaxat Capita hic describam.

Beatissime Pater, etsi hæc Epistola exponendis Sanctitati Vestræ gravissimis Ecclesiæ vulneribus instituta, in tristi & luctuosissimo argumento versabitur, par est tamen, ut in ejus limine debita Deo optimo Maximo gratiarum actione fungamur, & nobismetipsis gratulemur, quod Sanctitate Vestra in Apostolica Sede constituta, jam habemus, apud quem questus & gemitus nostros libere nec inaniter effundere possumus. Hac fiducia freti, Beatissime Pater, de Gallicanæ Ecclesiæ morbis cum ipsa agere decrevimus, quorum summam, ne multis moremur, ita breviter complecti licet. Cum duabus potissimum rebus contineatur Christianorum salus, Fidei dogmatum sinceritate, & integritate morum; varie jam inde ab Ecclesiæ primordiis, utraque tum dæmonum fraude, tum hominum improbitate tentata est, nunquam tamen acrius, vel astutius, quam novissimis istis, miserrimisque temporibus. Nunc vero, Beatissime Pater, terrior multo ac perniciosior lues Ecclesiam invasit. Augescenti enim in dies improborum multitudini adjunxit se certorum Scriptorum, ut mitissime loquamur, improvida temeritas, quibus id demum videtur fuisse propositum, fovere hominum cupiditates, extinguere conscientiæ morsus, deferendi peccati stimulos evellere, iter ad vitia sternere, eadem peccatis, quæ virtutibus, tenebris, quæ luci, falsitati, quæ veritati, jura tribuere, sceleribus denique formidinem, pudorem, & infamiam, ipsum sceleris nomen detrahere. Nec veremur, Beatissime Pater, ne nos in hoc studio efferri, ac veritatis metas prætergredi judicet Sanctitas Vestra, postquam perspexerit, quæ, & quanta sit earum opinionum corruptela, quæ tanquam puræ, ac securæ ab istis Auctoribus traduntur, & Christianis invehuntur. Cohorrescet, sat scimus, ad infandarum dogmatum inauditam absurditatem Apostolica vestra pietas, & talia Catholicis, iisque Litteratis, in mentem venire potuisse, vix ipsa prima fronte credet. Recensent deinde Galliarum Episcopi nonnulla opinionum monstra, quæ ex vaga in doctrina morum probabilia consectandi libertate erumpebant, quibus in medium adductis, subdunt: *Ergo cum tantam perniciem, tantumque dedecus tacite ferre nec Belgica, nec Gallicana Ecclesia posset, de Casuistarum licentia comprimenda aliquot abhinc annis serio excogitare Episcopi cœperunt... Nec piis ipsorum conatibus Romanæ Ecclesiæ defuit auxilium. Nam Alexander VII. Pontifex Maximus delatam ad se Casuistarum Apologiam proscripsit, & quadraginta quinque propositiones ex variis Casuistis excerptas duabus Constitutionibus confixit. Verum, si libere apud amantissimum Patrem simpliciter loquendum est, non desunt illis Scriptoribus Artes, quibus ipsam Summi Pontificis Censuram eludant. Quamobrem, post Episcoporum judicia, & Apostolicas Alexandri VII. Constitutiones, nihil quidquam de confidentia remiserunt, imo decreta sua eo audacius serere perstiterunt, quo elanguisse jam putant Episcoporum zelum, seque ad e in posterum omni jam periculo defunctos. Hujus ergo mali tam contumacis natura nos adduxit, Beatissime Pater, ut frustra huic propulsando impensis huc usque curis ac laboribus nostris, ad Sanctitatis Vestræ præsidium confugeremus, hac spe freti, fore ut supremæ suæ auctoritatis eminentia nostros conatus adjuvet, sparsamque per universam Ecclesiam pestem ea potestate recidat, qua universam Ecclesiam moderatur, ac regit.* Has Galliæ Episcoporum Litteras grato animo excepit *Innocentius* XI. restaurandæ morum disciplinæ cupidissimus, & ut eorum Votis annueret, post maturum ac diuturnum examen, die 2. mensis Martii anni 1677. damnavit tanquam scandalosas & in praxi perniciosas sexaginta quinque propositiones ex variis laxioris doctrinæ moralis Casuistarum libris depromptas, quas opportunius referemus in Colloquio proximo, ubi copiose agemus de erroribus, & Hæresibus, quæ Sæculo decimo septimo grave Ecclesiæ negotium exhibuerunt. Sedente *Innocentio* XI. nonnulla contigerunt, quæ summam huic Pontifici lætitiam attulerunt, & versa vice quidam acciderunt inopinati casus, ex quibus magnum & acerbissimum idem Sanctissimus Pontifex percepit dolorem. Primo quidem, animum *Innocentii* XI. increbibili pene gaudio cumulavit Hæreticorum Anglorum ad Ecclesiam Romanam reditus, prooovente Religiosissimo Angliæ Rege *Jacobo* II. qui die 14. mensis Aprilis anni 1687. edixit, ut in toto Angliæ Regno Catholica Religio libera esset, sustulitque funestum illud Reginæ *Elisabethæ* Edictum, quo tenebantur omnes Angeli Romanam ejurare Religionem. Id ubi rescivit *Innocentius* XI. quasi votorum suorum summam consecutus, Legatum Apostolicum *Ferdinandum de Abdua* in Angliam misit, quem Rex *Jacobus* II. perbonorifice excepit, ac immenso gaudio perfusus, sic eum affatus est: *Hoc nobis felix accedit ad gloriam, ut Christi Vicarius Innocentius XI. Pontifex Romanus nos Jacobum Britanniæ Regem, Ecclesiæ filium habeat, & habiturus*

sit

fit obsequentem etiam cum Regni & Vitæ discrimine, &c. At, proh dolor! conceptum illud de conversione Anglorum gaudium non multo post acerbissimus luctus excepit. E Regno quippe a suis perduellibus subditis, sicut jam in primo Colloquio observavimus, *Jacobus* II. Rex Angliæ ejectus, in Gallias, post varia Vitæ discrimina, pervenit, eumque ejectum hospitio regali perliberaliter excepit Rex Christianissimus *Ludovicus* XIV. Regni in parte locavit, confirmavit diffidentem, erexit afflictum; cum illo vires, arma, thesauros, classem communicavit, nullumque non movit lapidem, ut illum in paternum solium restitueret. Hanc Regis Christianissimi pietatem ac liberalitatem *Innocentius* XI. Pontifex Maximus non solum ei gratulatus est in Litteris, quas ad ipsum scripsit die 1. mensis Februarii anni 1689. sed etiam maximis laudibus extulit coram Cardinalibus in Consistorio habito die 7. ejusdem mensis & anni. Lubens hic prætermitto relatam jam in superiori Colloquio celebrem illam Victoriam, quam Christiani, precipus & opibus *Innocentii* XI. adjuti, de Turcis Viennam in Austria obsidentibus reportarunt, in cujus perenne monumentum Summus ille Pontifex, plenus gaudio, Festum Nominis *B. Mariæ* Virginis Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem Virginis Dei-paræ quotannis celebrandum instituit. At silentio prætermittere haud possum publica illa, quæ dedit idem Summus Pontifex, lætitiæ signa, dum compertum ac exploratum habere cœpit, Regem Christianissimum *Ludovicum* XIV. religiosissimorum Imperatorum *Constantini Magni*, *Theodosii* & *Caroli Magni* vestigiis insistentem, Hæreticorum Calvinistarum Templa in Galliis evertisse, eos procul a suo Regno eliminasse, omniaque infausta Edicta, quæ nefarii & perduelles illi hæretici ab aliis, qui præcesserant, Regibus Christianissimis, inter bellorum æstus & pericula extorserant, penitus abrogasse; tunc, inquam, gaudio triumphans *Innocentius* XI. nec illud amplius in sinu suo continere valens, ad eundem Regem Christianissimum die XV. mensis Novemb. an. MDCLXXXV. scripsit his verbis: *Cum præ cæteris illustribus documentis, quæ ingenitam Majestatis tuæ pietatem abunde declarant, maxime excellat eximius ille, Regeque Christianissimo dignus plane zelus, quo strenue incensus, fallentes istius Regni hæreticas Constitutiones penitus abrogasti, Fideique Orthodoxæ propagationi sapientissimis editis Decretis, egregie consuluisti, officii esse nostri duximus splendido ac mansuro hoc Litterarum nostrarum testimonio inclytam animi tui Religionem effuse commendare, cumque rebus hucusque a te præclare gestis insigni hujusmodi facto immortalium cumulum laudum adjecisti, impense tibi gratulari. Recensebit profecto suis in Fastis Catholica Ecclesia tam grande tuæ erga ipsam devotionis opus, nomenque tuum non interituris præconiis prosequetur, &c.* Sic vero *Ludovici* XIV. honori consulebat *Innocentius* XI. Pontifex Maximus, quem si, ut par erat, audisset Rex Christianissimus, non eorum Consilia sequutus fuisset, qui ei auctores fuerunt, ut prætensum *Jus Regaliæ* in eas Galliarum Regni Ecclesias, quæ ab illa servitute hactenus fuerant immunes, extenderet, refragantibus licet Episcopis illarum Ecclesiarum, doctrina & pietate conspicuis, quos proinde *Innocentius* XI. Pontifex Maximus sæpius Litteris suis amantissime solatus est, eisque ad jura Ecclesiarum suarum strenue tutanda animos fecit. Huic justo dolori Pontificis ex ea juris Regaliæ ad omnes Galliarum Regni Ecclesias extensione concepto incrementum addidit *Henricus Carolus*, Marchio *Lavardinus* Regis *Ludovici* XIV. Orator, qui Kalendis mensis Decembris an. MDCLXXXVII. Romam castrensi more ingressus est, stipatus fere ducentis armatis absque promiscua Tibicinum, Epheborum, Familiarium, Equorum, Rhedarum, Curruum, & impedimentorum multitudine, quæ exercitum pene referret, & triumphantis pompam Populo Romano exhibere velle videretur. Huic tanto, & inaudito *Lavardini* apparatui occasionem dederunt duo Edicta ab *Innocentio* XI. publicata, quorum primo aboleverat azyla, seu eam districtuum immunitatem, vulgus vocat *Franchigias quarteriorum*, in quibus Romæ Oratores Regum jus azyli prætendebant omnibus, qui circum eorum Palatia, vel in eos, quos volebant immunes districtus confugiebant, sacrum, & inviolabile esse debere. Altero solemni Decreto vetuerat Romanus Pontifex, ne exterorum Principum Insignia præ januis figerentur, eo quod hæc contra publicæ Justitiæ Ministros quorumvis criminum vindictam arcerent. Hæc duo Pontificis Decreta concoquere haud potuit *Lavardinus*, abolitum Azylorum jus evocare voluit, sed frustra; nunquam enim Summus Pontifex *Innocentius* XI. propositi tenax, ullo Colloquio eum dignari voluit. Quo factum est, ut illum, aperti dissidii occasionem imprudenter subministrantem, Christianissimus Rex in Gallias revocaverit. Eodem anno, quo Marchio *Lavardinus* Romam ingressus est, seu anno millesimo sexcentesimo octogesimo septimo, *Innocentius* XI. die XXVIII. mensis Augusti damnavit errores & Scripta *Michaelis Molinos*, Sacerdotis Hispani, qui ficta pietatis larva abusus, sub altioris, magisque decoctæ devotionis prætextu, multos propinata *Orationis*, quam *Quietis* vocabat, methodo, vana spe impeccabilitatis, etiam in spurcissimis actionibus, lactabat, & ad inanem perfectionis fastum misere seducebat. De his *Michaelis Molinos* erroribus commodius agemus in proximo Colloquio, hic tantum breviter observabo, hanc per silentem istius propudiosissimi *Michaelis Molinos* doctrinam, non solum in Italia fuisse disseminatam, sed etiam serpsisse in Gallia, ubi impigronacta est patronos, præsertim *Guioneam* mulierem, cujus Scripta annis 1694. & 1695. censorio stigmate confixerunt quatuor Illustrissimi Galliarum Antistites, *Franciscus Harlæus* Parisiensis Archiepiscopus, *Antonius de Noailles* tunc Catalaunensis Episcopus, nunc Parisiensis Archiepiscopus, & S. R. E. Cardinalis, *Jacobus Begninus Bossuetus* Meldensis, & *Paulus Godets Desmarets* Carnutensis Episcopi. Prodiit paulo post, anno scilicet 1697. libellus a *Francisco de Solignac Fenelon* Archiepiscopo & Duce Cameracensi editus, cui titulus

tulus est, *Explication des Maximes des Saincts sur la vie interieure*, seu *Placita Sanctorum circa Vitam interiorem explicita*. Sed hic libellus cum multas complecteretur propositiones, quæ Fideles sensim in errores *Michaelis Molinos*, jam ab Ecclesia damnatos, inducere poterant, post diuturnum examen habitum Romæ, fuit tandem die 12. mensis Martii ann. 1699. ab *Innocentio* XII. Pontifice Maximo proscriptus una cum viginti tribus propositionibus ex eo exceptis, quas opportunius referemus in sequenti Colloquio, ubi de Hæresibus seu erroribus Sæculo XVII. enatis sermonem sumus habituri. Plura non dicam de *Innocentii* XI. qui præclaras optimorum Pontificum dotes in se uno collegerat, sive spectes morum pietatem & innocentiam, sive constantem & invictum postules Ecclesiasticæ Disciplinæ zelum; sive denique generosum requiras rerum mundanarum contemptum, quo divitiarum & gloriæ adeo temperans fuit, ut neglectis iis qua carnis & mundi erant, Nepotes, consanguineos, & affines suos opibus Ecclesiæ, donec vixit, nunquam ditarit, sed jusserit, ut viverent sua forte contenti, nec sibi quidquam e Principatu arrogarent; in Principes vero Catholicos, qui ad Fidei Catholicæ defensionem Bellum contra Turcas gerebant, tam larga manu opes Ecclesiæ profuderit, ut ejus liberalitati ac precibus jure optimo tribuantur illæ Victoriæ, quibus suo tempore nunquam majori gloria, & Fidei Catholicæ propagatione Christiani de Barbaris triumpharunt. Obiit Romæ, summo totius Orbis Christiani luctu *Innocentius XI.* Pontifex Maximus, pridie Idus Mensis Augusti ann. 1689. Pontificatus sui anno 13. ejusque memoria semper in benedictione erit, maxime cum ejus vitæ rationis Causa nunc in Sacra Cardinalium Congregatione Rituum informetur, quo in Sanctorum Tabulas referatur.

D. Ex hac narratione, quam descripsisti, tot Heroicarum virtutum, quibus *Innocentius* XI. optimorum Ecclesiæ Catholicæ Pontificum nulli secundus, præditus fuit, in eam facile adducor spem, fore ut sanctissimus ille Pontifex e tenebris ac vinculis corporis in lucem libertatemque productus, promissam piis omnibus possideat hæreditatem, ita ut ejus mors non luctu & lamentationibus, sed cultu potius & gratulationibus digna esse videatur. Age ergo nunc, & alios percense Romanos Pontifices, qui Sæculo XVII. Catholicæ Ecclesiæ præfuerunt. Nec enim dubito, quin demortuo *Innocentio* XI. suffectus fuerit alius Pontifex, voluntate, prudentia, doctrina, usu rerum, & auctoritate aptissimus ad confirmanda ea, quæ a Sanctissimo Decessore suo fuerant in rem Ecclesiæ sapientissime instituta, vel ad perficienda pulcherrima ac præstantissima opera, quæ heu nimium præpropera morte abreptus, inchoata ac imperfecta reliquit.

M. In locum demortui *Innocentii XI.* Cardinales in Conclave ingressi, concordibus Votis Idibus Octobris anni 1689. subrogarunt *Petrum Ottobonum* Venetum, Presbyterum Cardinalem Tituli S. Salvatoris in lauro, qui nomen *Alexandri VIII.* assumpsit, magna omnibus concepta spe, illum iisdem prudentiæ, sapientiæ & fortitudinis legibus universam Ecclesiam recturum, quarum per tot annos in variis Curiæ dignitatibus, & officiis egregia specimina præbuerat, præsertim dum esset Episcopus Brixiæ, ubi, post magnam adhibitam solicitudinem, feliciter detexit execrabilem Sectam Hæreticorum, qui *Pelagiani* dicebantur a quodam *Jacopo Philippo a Sancta Pelagia*, Viro Laico Mediolanensi, Auctore illius nefandæ sectæ, ex erroribus Gnosticorum, Donatistarum, Hussitarum, Flagellantium, Lutheranorum, & Quietistarum, seu discipulorum *Michaelis Molinos* conflatæ. Hanc, inquam, propudiosissimam Sectam, cujus abominanda flagitia hic referre non permittit pudor, occulte in multis suæ Diœceseos locis grassantem, non solum detexit sed omnino extinxit Petrus *Ottobonus*, dum solum esset Brixiæ Episcopus. Ad Summum Pontificatum provectus, dictusque *Alexander* VIII. omnes suas curas ad divinum cultum propagandum, & ad profligandos gliscentes errores convertit. Ægre tamen sub initium Pontificatus sui, hoc est, anno 1689. vidit, evanuisse omnino Siamensium ad Fidem Catholicam conversionis conceptam spem, ob Regis Siamensis, qui erga Catholicam Religionem optime affectus erat, mortem, quæ eodem anno contigit. Mortuo quippe Siamensi Rege, summus copiarum Regni Præfectus jussit, ut *Constantius Falconius*, natione Gallus, penes quem integra fere sub defuncto Siamensi Rege manserat regni administrandi, rerumque gerendarum potestas, occideretur, una cum præcipuis Siamensis demortui Regis familiaribus. Ejecit etiam ex aliquot Arcibus præsidiarios milites Gallos, quorum fidei idem Rex earum custodiam crediderat, eosque & Europæos omnes e Siamensi Regno proscripsit, & relicta Asia in Europam secedere coegit. Indoluit *Alexander* VIII. Pontifex Maximus Siamenses populos egregiis aliunde dotibus instructos, eo inopinato casu Fidei Catholicæ lumine fuisse privatos, & in eorum Regno inique trucidatum fuisse *Constantium Falconium*, quem ut mox dixi, demortuus Siamensis Rex publicæ rei administrandæ in suo Regno præfecerat, præclaris dotibus præditum, moderatione, sapientia, firmitate animi, pietatis etiam, & Catholicæ religionis admirabili studio, quique summum ad honoris culmen idcirco se provectum existimabat, ut Fidei, quam profitebatur, honorem aliquando conciliaret, & ea, qua valebat apud Siamensem Regem suum, auctoritate utebatur, non tam ut privatis familiæ suæ commodis, quam ut ejusdem Regis saluti æternæ consuleret. Dolorem, quem ex gravi illa jactura conceperat *Alexander VIII.* Pontifex Maximus, auxit in Europa quorumdam hominum in spargendis erroribus audaciam, ad quam compescendam dum Decreta edidit idem Pontifex, quorum primum datum est die 24. mensis Augusti anni 1690. his verbis conceptum: *Sanctissimus Dominus Noster Alexan-*

xander Papa VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit duas theses, seu propositiones, unam denuo, & in majorem fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere. Et cum sui Pastoralis officii munus sit oves sibi creditas a noxiis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum thesium, seu propositionum examen pluribus in sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus inquisitoribus sedulo commisit, qui pluries, & mature discussis infrascriptis Thesibus, seu propositionibus, super unaquaque ipsarum suffragia Sanctitati suæ sigillatim exposuerunt. Primo: Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali, Formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hic homo non tenetur amare Deum neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis. Secundo: peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. *Quibus peractis, Sanctissimus, omnibus plene, & mature consideratis, primam thesim, seu propositionem, declaravit Hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicut damnat & prohibet sub censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Secundam thesim, seu propositionem, declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat & prohibet, &c.* Alterum Decretum quo *Alexander* VIII. Pontifex Maximus, die xx. mensis Decembris ejusdem anni MDCXC. confixit propositiones xxxi. hic, ne longior sim, non inferam, sed illud in proximo Colloquio, ubi de hæresibus, & erroribus Sæculo Ecclesiæ decimo septimo sparsis acturi sumus, opportunius referam. Eodem anno 1690. Kalendis mensis Novembris idem Summus Pontifex *Alexander VIII.* solemni ritu in Basilica Vaticana Sanctorum Fastis adscripsit *Laurentium Justinianum* Venetiarum Patriarcham, *Joannem a S. Facundo* Ordinis Eremitarum S. Augustini, *Joannem Capistranum*, & *Paschalem Baylon*, Ordinis *S. Francisci*, & *Joannem de Deo*, Fratrum Xenodochiis inservientium Fundatorem. Denique, *Alexander VIII.* propediem moriturus, Bullam die XXX. mensis Januarii anni MDCXCI. publicavit jam die IV. mensis Augusti anni MDCXC. formatam & subscriptam, qua assertas a Clero Gallicano in comitiis anni 1682. quatuor propositiones de Auctoritate seu Pontificia, seu Ecclesiastica, Actaque ab eodem Clero circa *Regaliæ*, quam vocant, extensionem, & a quocumque alio attentata contra locorum, ac personarum Ecclesiasticarum, aut Regularium immunitates & privilegia Pontificia auctoritate, irrita, invalida, inania, omni effectu vacua, ac nullius valoris, aut roboris fuisse, aut fore unquam declaravit, inhærendo maxime, ut ait, his, quæ jam statuta fuerant a Decessore suo *Innocentio* XI. sub quo cum summo ejusdem Pontificis dolore, hæc a Clero Gallicano in prædictis comitiis acta fuerant. Brevissimus fuit Pontificatus *Alexandri VIII.* quippe qui sedit anno duntaxat uno, mensibus tribus, diebus viginti quatuor, & obiit Kalendis mensis Februarii anni 1691. natus annos LXXXI.

D. Pervenisti tandem, ut puto, ad finem successionis Chronologicæ Summorum Pontificum, qui Sæculo XVII. Sedem Romanam tenuerunt.

M. Superest adhuc unus Summus Pontifex, qui ab obitu *Alexandri* VIII. hoc est, ab anno 1691. usque ad finem sæculi XVII. seu ad annum usque millesimum septingentesimum, Sedem Romanam tenuit, atque universam Ecclesiam gubernavit. Is autem fuit *Antonius Pignatellus* Neapolitanus, qui post longam quinque mensium & duodecim dierum ab obitu *Alexandri VIII.* Cardinalium Consultationem, tandem die XIII. mensis Julii anni 1691. Romanus Pontifex fuit electus, dictusque *Innocentius* XII. Spem, quam de se ipso excitaverat, dum apud Imperatorem & Reges Apostolici Nuncii officiis fungeretur, cumulatissime implevit summæ potestatis particeps, ac Christi in terris Vicarius effectus. In hac siquidem prima totius Orbis Christiani Sede locatus Pontifex *Innocentius* XII. tot ac tanta pietatis præbuit argumenta, ut omnes Christianæ plebes sibi gratularentur, totoque Orbe percelebris illa audiretur Vox: *Domus Romani Pontificis, domus est egenorum*. Et sane, tot inter præclaras virtutes, quibus fulgebat Summus ille Pontifex, principem locum obtinuit incredibilis illa beneficentia, & eximia charitas, qua vehementer accensus, se totum in alienis procurandis utilitatibus impendebat, & pauperum sublevandis miseriis curas omnes ac cogitationes suas jugiter defigebat. Amplissimis proventibus e sua nobilissima *Pignatelli* Familia prorsus abdicatis, propriisque nepotibus abnegatis, debitum parentibus amoris affectum in pauperes totum transtulit, eos plurimorum largitione munerum, erectione, seu fundatione Xenodochiorum confovebat, & stata singulis hebdomadibus die eorum querelas ac preces publice exaudiebat, ea pietate, patientia & benignitate, ut nullus unquam verius idem, quod olim justus Job, dicere potuerit: *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor: Benedictio perituri super me veniebat, & cor Viduæ consolatus sum ——— Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Præter hanc immensam erga pauperes charitatem erat adhuc in hoc Summo Pontifice *Innocentio* XII. maximus justitiæ amor, in qua colenda, servandaque ceteris omnibus optabat

bat excellere. Hinc longa experientia edoctus, cum probe sciret fundamentum ac caput justitiæ esse, ut in tuendis legibus gravitas ac constantia, in coercendis etiam improbis severitas adhibeatur, ita ut nullus contra jus & æquitatem ambitionis sit ac potentiæ locus, pecuniæque nullus; & atrocitatis interim absit & crudelitatis opinio: hæc, inquam, cum probe sciret *Innocentius XII.* Pontifex Maximus, singulari Decreto vetuit, ne deinceps Romæ venalia forent Judicum Tribunalia & officia, sed gratis tribuerenrur probis hominibus, qui (juxta præceptum Domini Deuteronomii c. 16. v. 18. & 19.) *judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent, nec munera accipiant, quæ excæcant oculos sapientum, & mutant Verba justorum.* Sicut exercendæ justitiæ, ita & pacis tam in Statu Politico, quam Ecclesiastico conciliandæ studiosissimus fuit *Innocentius* XII. Pontifex Maximus, & ad eam firmandam plura adhibuit studia pietatis, quæ hic referre non abs re erit. Primo, dum tota arderet bello Europa, duo universalia Jubilæa promulgavit, strenuamque adhibuit curam, ut ab irato Numine tam diri flagelli telum extorqueret. Secundo, ad Imperatorem, ad Reges & Principes Christianos littera eloquentia, gravitate, consilio & prudentia refertas dedit, quibus eorum animos delinire, precibus frangere, auctoritate componere summopere studuit. Tertio, cum pax in Ecclesia Gallicana haud parum esset turbata, eo quod in generalibus comitiis Cleri Gallicani anni MDCLXXXII. quatuor propositiones, quæ Pontificiam auctoritatem spectabant, decretæ ac constitutæ fuissent, eamque ob rem *Innocentius Undecimus & Alexander* VIII. recusassent præficere Ecclesiis eos, qui a Rege Christianissimo *Ludovico* XIV. ad Episcopales Infulas erant nominati, sicque multæ in Galliis Ecclesiæ vacarent, suisque viduatæ essent Pastoribus; tandem *Innocentius* XII. diu optatam pacem Ecclesiæ Gallicanæ restituit, præfecitque eos, quos ad Episcopatus idem Rex Christianissimus nominaverat, postquam tamen illi Episcopi a Rege Christianissimo nominati ad ipsum Summum Pontificem Litteras scripsissent, in quibus (sicut declaravit *Innocentius* XII. in Cardinalium Consistorio, quod habuit die XXVI. mensis Octobris anni 1693.) significarunt, *se de gestis hujusmodi vehementer quidem, & super omne id, quod dici potest, ex corde dolere, ac quæcumque in præfatis comitiis, sive circa Ecclesiasticam potestatem, & Pontificiam auctoritatem decreta, sive in præjudicium jurium earumdem Ecclesiarum deliberata, pro non decretis, nec deliberatis habere & habenda esse, serio insuper spondentes, se ita in posterum gesturos, ut nihil penitus de vera eorum erga Sanctam Sedem obedientia ac debito pro juribus ipsarum Ecclesiarum defendendis zelo desiderandum superfit.* Testatus est etiam *Innocentius XII.* Pontifex Maximus in eodem Consistorio, *Regem Christianissimum Ludovicum XIV. certiorem eum suis Litteris reddidisse, se nuperrime Regium illud Edictum, quo in his comitiis Cleri Gallicani edita de potestate Ecclesiastica Declaratio firmabatur, ita haberi jussisse, ut neminem ad illius observantiam teneri perspectum sit ac exploratum.* Post restitutam Ecclesiæ Gallicanæ pacem, composuit itidem summus Pontifex *Innocentius XII.* orta dissidia inter Belgii Theologos, quorum nonnulli alios incusabant tamquam errorum *Jansenii* Sectatores, quamvis sese ab illis prorsus abhorrere palam profiterentur. Ad extinguenda itaque hæc Theologorum jampridem inter sese excitata dissidia, Diploma direxit Summus Pontifex ad Archiepiscopum Mechlinensem, & Episcopos Antuerpiensem, Brugensem, Gandavensem, & Ruremundensem, eisque jussit primo, ut præter Formularium juramenti, ad damnandas quinque propositiones *Jansenii* præstandum, juxta Constitutiones *Innocentii X. & Alexandri VII. quicquam aliud vel minimum declarationis, interpretationis, aut explicationis verbo vel scripto non exigant.* Secundo, *ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatione, & invidioso nomine Jansenismi traduci, aut nuncupari sinant, nisi prius suspectum esse legitime constiterit, aliquam ex his propositionibus docuisse, aut tenuisse; nec quemquam sub hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, Beneficiis, gradibus ac concionibus habendis, vel alia quacumque functione Ecclesiastica permittant, nisi servato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit.* Hoc Diploma dedit Summus Pontifex *Innocentius XII.* die sexta mensis Februarii anni 1694. illudque confirmavit altero Diplomate dato die vigesima quarta mensis Novembris anni MDCXCVI. & extant in ejusdem Pontificiis Bullario. Alteri Controversiæ in Belgio, & in Gallia enatæ occasionem dedit libellus a *Francisco de Solignac Fenelon* Archiepiscopo Cameracensi editus, cujus, ut superius jam observavimus, hic titulus erat: *Explication des Maximes des Saints sur la Vie Interieure*, seu *Placita Sanctorum circa Vitam interiorem explicita*, Quam quidem Controversiam *Innocentius* XII. Pontifex Maximus diremit speciali edita Constitutione data die XII. mensis Martii anni 1699. in qua viginti tres propositiones damnavit, huicque damnationi promptissimo obsequio & exoculata obedientia subscripsit prædictus *Franciscus de Solignac Fenelon*, Archiepiscopus Cameracensis, ut videre est in Mandato, quod die IX. mensis Aprilis ejusdem anni 1699. ad Sæcularem, & Regularem Clerum direxit, & in tota sua Diœcesi publicari jussit. Mitto, ne longior sim, varia ornamenta, ædificia, Nosocomia, quibus *Innocentius* XII. Romam decoravit, præsidia, munitiones, atque subsidia, quibus portum Centum cellarum, & Dominii Pontificii Urbes instruxit. Mitto etiam sanctissimas, & aureis Ecclesiæ Sæculis dignas Constitutiones, quas ad restaurandam Ecclesiæ Disciplinam promulgavit, quæque ejus speciali Bullario sunt inserta. At sine aliqua singulari laude prætermittere non possum ardens illud desiderium, quo flagrabat Summus ille Pontifex, Regularis observationem Disciplinæ, quam ipse, indignus licet, profiteor, instaurandi, omnique adhibita diligentia efficiendi, ut primævus Vitæ Regularis

ris splendor refloresceret in Ecclesia. Hinc non solum *Innocentius* XII. speciali Decreto jussit Regularibus, ut exactam Vitam Communem in Conventibus agerent, sed etiam voluit, ut quædam a Sacra Congregatione super Disciplina Regulari ab ipso deputata publicarentur Decreta die 18. mensis Julii anni 1695. edita, quæ extant in Bullario *Innocentii* XII. & sub quorum finem hæc Sacra Congregatio nomine ejusdem Pontificis singulos Vitæ Regularis cultores hortatur, *ut omni mora postposita, ad tenorem Regulæ, quam amplexi sunt, exactam Vitam communem instituant, & componant, Decretisque Apostolicis pro æterna illorum salute editis sincere ac fideliter pareant; nec ab eorum observantia inanibus interpretationibus, & fallaciis, aut relaxationum prætextibus, ad excusandas excusationes in peccatis, abduci se sinant, sed professionis suæ memores, qua se totos Dei obsequio manciparunt, susceptum perfectionis iter, arduum quidem, sed Divinæ Charitatis dulcedine perfusum, abjectis rerum terrenarum curis, alacriter prosequantur. Nimis enim turpe esset, eos ad Secularia desideria, quibus, semel aspirante Domino, renunciarunt, animum revocare, & obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint, se ad peculiarem Salvatoris nostri sequelam vocatos, qui, cum dives esset, propter nos egenus factus est. Veterumque illorum Fidelium gloriosos imitatores, ac veluti hæredes esse, quorum erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse aicebat, sed erant illis omnia communia, dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat; ideoque in Regularis Vitæ, ac præcipue sanctæ paupertatis, quæ est parens quædam generatioque Virtutum, proposito perseverent, omnem solicitudinem suam projicientes in eum, cujus oculi in pauperes respiciunt, qui non derelinquit sperantes in se, sed dives in misericordia, centuplum, & Vitam æternam propter nomen suum relinquentibus omnia, repromisit.* Hanc brevem adhortationem hic inferere necessarium esse duxi, ut inde perspectum habeas, *Innocentium Duodecimum*, Pontificem Maximum, præcipuam curam impendisse in restituenda Disciplina Regulari, quam, heu nimium! in nonnullis Monasteriis fuisse collapsam lugebat. Obiit integerrimus ille Pontifex die XXVI. mensis Septembris anni 1700. postquam sedisset annos novem, menses duos, & dies quindecim. In ejus locum die 23. mensis Novembris *S. Clementi* Pontifici Sacra, ejusdem anni MDCC. suffectus est *Joannes Franciscus Albanus*, Urbinas, qui *Clementis* XI. nomen assumpsit, & nuperrime Pontificiam dignitatem obtinuit, atque universam Christi Ecclesiam sapientissime rexit.

M. Non opus est, ut singulari elogio prosequaris præclaras *Clementis* XI. Pontificis Maximi dotes, quas ipse a testibus oculatis, Virisque probatissimæ fidei accepi, vel ipse admiratione defixus, propriis oculis inspexi. Audivi, inquam, *Clementem* XI. antequam ad Summum Pontificatum eveheretur, humanioribus litteris Latinis, ac Græcis perpolitum, rerum divinarum scientia ex puris Theologiæ fontibus hausta præditum, atque Canonici civilisque juris dicendi peritia exornatum, in Sabinæ, Centumcellarum seu Urbis Veteris, Reatinæque Præfecturis summa cum laude versatum fuisse, eumque ad aulam revocatum, & a Summis Pontificibus *Innocentio* XI. *Alexandro* VIII. & *Innocentio* XII. Muneri conscribendi Apostolicas Litteras quas *Breves* nuncupant, præfectum, eo difficillimo & amplissimo munere magna cum facundia, gravitate, prudentia, fide, religione, & sapientia esse perfunctum, nec quidquam ardui, & illustris sub his Romanis Pontificibus in Ecclesiæ administratione accidisse, de quo non fuerit ille sententiam rogatus, suffragium non tulerit, ac suis Consiliis sapientissimas Pontificum mentes non juverit. Audivi, *Clementem* XI. omnium Cardinalium consensione in Pontificem Maximum in vivida adhuc & florenti ætate electum, expavisse, & terrore perculsum obriguisse, obstupuisse, precibus & lacrymis supremam illam dignitatem deprecatum fuisse, tantoque, trium dierum spatio cum omni Senatu summa contentione pugnando, dolore esse confectum, ut in morbum inciderit, ac febri laborarit, totisque viribus restiterit Votis omnium, qui eum tantæ substinendæ moli parem conclamabant, donec Doctorum ac spiritualium Virorum, quorum sententiam rogare voluit, adductus Consiliis, tandem aliquando cesserit, ac suum præbuerit assensum. Hæc sunt, quæ crebris sermonibus usurpata audivi, sed majora sunt, quæ vidi. Vidi quippe *Clementem* XI. Pontificem Maximum magna sedulitate curantem sacra, infimæ plebis hominum pedes, ad sacra ista Religionis monumenta adeuntium, abluentem, suis manibus alimenta præbentem, incredibili vi, doctrina, eloquentia docentem populos, & eorum peccata in Sacro Tribunali Pœnitentiæ palam in Ecclesia excipientem; morum licentiam comprimentem, vitia profligantem, virtutes revocantem, & Templorum religionem optimis legibus amplificantem. Vidi summum illum Pontificem, dum Romæ terribilem in modum terra insolitis quateretur motibus, stantem juxta Aram impavidum; Templum, Urbemque precibus suffulcientem, trepidanti plebi animos facientem, Dei misericordiam secum implorare docentem atque pœnitentiam dedicantem in semetipso. Vidi hunc Pontificem eximia charitate præditum, Gentes a Sedis Apostolicæ communione luctuoso dudum schismate distractas, ad Ecclesiæ unitatem; Catholicos Reges ac Principes ad pacem & concordiam per Litteras, Nunciosque adhortantem, urgentem, obsecrantem, Vidi hunc Pontificem in majoribus Ecclesiæ toto orbe diffusæ Caussis & difficilioribus dirimendis negotiis assidue & indefesso studio laborantem, ad medendum malis omnibus, quæ Christianam Rempublicam undique infestabant; ad providendum Urbi, totique Romanæ Ditioni, instar optimi Parentis, potiusquam imperiosi Principis, jugiter excubantem. Vidi sacram illam & augustam cæremoniam, in qua *Clemens* XI. quatuor Bea-

tos,

tos, videlicet *Pium V.* Pontificem Maximum, *Andream Avellinum*, *Felicem de Cantalicio*, & *Catharinam* Bononiensem, Sanctorum Fastis solemni ritu in Basilica Vaticana XI. Kal. Junii an. MDCCXII. adscripsit. Vidi postremo, & perlegi tres celebres Constitutiones, quas edidit *Clemens XI.* Pontifex Maximus, quarum prima, data die V. mensis Julii anni MDCCV. & incipit: *Vineam Domini Sabaoth &c.* præcipit non solum externam, sed etiam internam obedientiam præstandam ab iis, qui in damnatione quinque propositionum *Jansenii* Formulario subscribunt, juxta Decreta Romanorum Pontificum *Innocentii X.* & *Alexandri* VII. Altera data die 19. mensis Martii anni MDCCXV. damnat tanquam superstitiosos & idololatricos ritus, seu cæremonias, quibus Sinenses Cælum, Philosophum *Confucium*, suosque Parentes defunctos colunt. Confirmat etiam Decretum, quo idem Pontifex jam anno MDCCIV. ejusmodi ritus ac cæremonias in cultu Sinensium usurpari solitas damnaverat, & ad illud promulgandum miserat Dominum *Thomam Turnonium* Legatum Apostolicum, & postea Cardinalem, in Sinarum Imperium: declarando insuper Decretum suum non esse conditionatum sed absolutum, approbat Decretum, quod Cardinalis *Thomas de Turnon*, tum in Sinarum Imperio Visitator Apostolicus Generalis, ediderat die XXV. Januarii anni MDCCVII. Rejicit quascumque rationes seu excusationes ad ejusmodi Decretorum executionem allatas, & præscribit formulam juramenti per Missionarios illarum partium præsentes & futuros hac in re præstandi. Denique decernit, causam omnino finitam esse. Tertia Constitutio data die 8. mensis Sept. anni millesimi septingentesimi decimi tertii, quæ incipit *Unigenitus*, proscribit centum & unam propositiones, quarum aliquot ad Gratiam attinentes damnat in sensu *Jansenii*, qui gratiam, *necessitantem*, ut Theologi vocant, invexit, integra, ac prorsus illæsa permanente doctrina de gratia se ipsa efficaci & prædestinatione gratuita, quam Schola Thomistica, Duces Sanctos *Augustinum*, & *Thomam* Angelicum Doctorem, secuta, semper docuit & etiamnum constanter propugnat. Huic doctrinæ de Gratia se ipsa efficaci, sicut & aliis sententiis, quæ in Catholicis Scholis docentur, nullam erroris notam in ea *Constitutione*, quæ incipit *Unigenitus*, se affingere voluisse, diserte declarat idem Pontifex *Clemens* XI. in suis litteris, quas ad *universos Christi Fideles* die prima mensis Septemb. ann. MDCCXVIII. direxit, & quæ sic incipiunt: *Pastoralis Officii*; in his, inquam, Litteris Summus Pontifex *Clemens* XI. loquens de his, qui a suscipienda *Constitutione*, quæ incipit, *Unigenitus*, se retardari affirmabant, eo quod suspicarentur per illam damnari Sententias, atque Doctrinas, quas insignes Catholicorum Scholæ absque ulla censura hactenus tenuerunt, ac tradiderunt, hæc habet: *Ceterum in hoc ipso præpostero judicio consuetum calumniandi morem non derelinqunt; nisi enim excæcaret eos malitia eorum, ac nisi diligerent magis tenebras, quam lucem, ignorare non deberent, Sententias illas ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam & libere in Catholicis Scholis, etiam post editam a nobis memoratam Constitutionem, sub oculis nostris doceri atque defendi, illasque propterea minime per eam fuisse proscriptas.* Plura de *Clementis XI.* Pontificis Maximi rebus præclare gestis non dicam, quia, cum hæc, & bene multa alia ipsius recte facta in maxima ornatissimorum hominum frequentia, & in amplissimæ hujus Urbis aspectu posita, indeque, longe lateque diffusa, ac terrarum orbem pervagata omnibus comperta ac explorata sint, non esse videtur, cur ipse in omnes cunctis pervulgatas actiones studium dicendi conferam, tantique Pontificis eximias dotes meritis laudibus hic prosequar. Sed heu! quam fluxæ & instabiles sunt res humanæ, quam anceps & lubrica earum conditio! *Clementem XI.* Pontificem Maximum amplissimis honorum ornamentis auctum, alacrem & actuosum, jamque valetudinem suam a morbo, quo conflictatus fuerat, confirmasse, non ita pridem gaudebamus, cum ecce inopinata & pene repentina mors eum usura hujus lucis privavit, rapuitque ex hominum conspectu. Ite nunc, ite, & male creduli lenocinantis fortunæ fallacibus blandimentis confidite. Supremum Vitæ diem egit *Clemens XI.* die XIX. mensis Martii Sancto *Josepho* sacra anni labentis MDCCXXI. Eo demortuo, Cardinales numero quinquaginta quinque post persolutas, ut fieri assolet, Novemdiales Exequias, Conclave ingressi, elegerunt in Romanum Pontificem *Michaelem Angelum de Comitibus*, vulgo *de' Conti*, natum Romæ die XV. mensis Maji anni MDCLV. ex antiquissima & illustrissima Principum *de Comitibus* familia, quæ inter plures Romanos Pontifices quos Ecclesiæ dedit, tres potissimum enumerat omni exceptione majores, *Innocentium* III. *Gregorium* IX. & *Alexandrum* IV. quorum primus post habitam celebrem illam visionem, in qua *S. Dominicum* Ordinis Prædicatorum institutorem collabentem Ecclesiam Lateranensem suis humeris sufulcientem conspexit, filios Sanctissimi illius Patriarchæ, quorum doctrinam & pietatem probe noverat, glorioso *Prædicatorum* nomine donavit. Alter, seu *Gregorius* IX. eumdem Patriarcham *Dominicum* Sanctorum Fastis solemni ritu adscripsit. Postremus, seu *Alexander Quartus*, nascentem Prædicatorum Ordinem non solum innumeris gratiis, privilegiis ac beneficiis cumulavit, sed illum etiam Sæculo XIII. a quibusdam æmulis obtrectatoribus, quorum agmen ducebat *Guillelmus a Sancto Amore*, graviter impetitum, auctoritate Apostolica egregie vindicavit. Ex ea itaque clarissima familia originem ducens *Michael Angelus de Comitibus*, vulgo *de' Conti*, creatus fuit a *Clemente* XI. Pontifice Maximo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis eadem die, qua in lucem editus est, seu die XV. mensis Maji anni MDCCVII. Electus conspirantibus omnium Cardinalium Votis Summus Pontifex die VIII. mensis Maji currentis anni MDCCXXI. quam diem Archangelo *Michaeli*, cujus nomine Sanctissimus ille

ille Pontifex in Sacris Undis insignitus, dicavit Ecclesia, ac tandem solemni Pompa in Augustissimo Templo Vaticano die XVIII. ejusdem mensis & anni coronatus, dictusque *Innocentius* XIII. Hujus Summi Pontificis eximias dotes, quæ isto honoris amplissimi fastigio dignissimum illum reddiderunt, præsertim sinceram religionem, pietatem expertem fuci, æqui rectique tenacem integritatem, veritatem in dictis, in omni Vitæ cursu sapientiam, in obeundis apud Reges Legationibus summam prudentiam, in gerendis negotiis cautionem, in ponderandis maturitatem, & raram mansuetudinis cum gravitate societatem, has, inquam, & alias præclarissimas dotes, quas omnes in se uno collegit Sanctissimus Pontifex *Innocentius* XIII. aliis, ne in immensum diffundatur oratio, prædicandas relinquo. Hoc unum instar æterni præconii esse potest, quod in tanto Eminentissimorum Cardinalium numero, qui præesset omnibus, & universæ Ecclesiæ clavum gubernaret, ex omnibus potissimum electus fuerit, & quæ cæteros ornare solet, suprema illa Ecclesiæ dignitas, hanc ipse suis Virtutibus ornet, & in splendoris cumulum attollat. Sed tempus est ut finem imponamus huicce Colloquio nostro, in quo Romanorum Pontificum successionem a *Sancto Petro* incœptam feliciter tandem perduxi usque ad *Innocentium* XIII. qui nunc *Sancti Petri* Sedem tenet. In qua quidem continua successione maxime Dei consilium admiror, quod cæteris Apostolicis & Patriarchalibus Ecclesiis, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, & Constantinopolitana ab Infidelibus occupatis, vel invasis ab pseudo-Pastoribus Hæresi aut Schismate infectis, ac subinde in iis legitimorum Pastorum successionis linea prorsus abrupta, una Romana Ecclesia *Petri* Sedes perpetuam Pontificum seriem, & cum ea veræ doctrinæ successionem unquam interruptam obtinuerit. Quod idcirco factum esse crediderim, ut sola Romana Ecclesia Apostolica, & omnium Ecclesiarum mater haberetur, ad quam omnes Dei promissiones Ecclesiæ factæ spectarent. Hanc siquidem (sicut sæpius me monuisti) perpetuam Romanorum Pontificum in Apostolica Sede successionem Sancti Patres tanti fecerunt, ut ex ea invictum deprompserint argumentum, ad probandum contra Hæreticos, Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, adversus quam conjuratæ portæ Inferi prævalere nunquam poterunt.

Mortuus est Innocentius XIII. die VII. mensis Martii, Sancto Thomæ, Doctori Angelico, sacra, ano. MDCCXXIV. ejusque Novendialibus Justis, ut moris est, absolutis, Cardinales, Vaticanum Conclave ingressi, non tam humano ducti arbitrio, quam divino afflati Numine die XXIX. mensis Maji anni 1724. in Romanum Pontificem elegerunt Cardinalem Fratrem Vincentium Mariam Ursinum, Archiepiscopum Beneventanum, Ordinis Prædicatorum, cujus præclaras dotes, ab ipso ineuntis ætatis ejus principio, hic, ne in immensum diffundar, summatim delibare sufficiat.

Natus est Vincentius Maria Ursinus Gravinæ die II. mensis Februarii anni MDCXLIX. in Sacris undis dictus Petrus Franciscus. Filius est primogenitus Ferdinandi Ursini, Ducis Gravinæ, & ejus lectissimæ conjugis, paris nobilitatis fœminæ, Joannæ de Frangipanis. Non hic certe immorabor in celebranda antiquissima Gentis Ursinæ origine: eamdem quippe illam esse atque Aniciam, nemo, tantisper in Historia versatus, ignorare potest. Familiam vero Aniciam fuisse post hominum memoriam ex omnibus Patriciis clarissimam, in confesso est apud omnes. Missis itaque amplissimis honoribus, quibus ornata Familia Ursina plures fœminas potentissimis Regibus nuptui tradidit, & clarissimas olim duas obtinuit Septem-Virorum Augustalium Sedes, Brandeburgum videlicet, & Saxoniam, in quibus viginti Ursinæ Familiæ Principes, geminato ad Romanum Imperium suffragio, illiusque potiundi jure floruerunt; his, inquam, & aliis id genus prætermissis honoribus, dicam tantum obiter, Familiam Ursinam, semper Heroum feracissimam, bene multos dedisse Ecclesiæ Sacros Antistes, Cardinales amplissimos, sed præcipue Sanctissimos Pontifices, de Christiana Republica optime meritos, Ecclesiasticæ libertatis Assertores acerrimos; Stephanum III. S. Paulum hujus nominis I. Stephanum fratrem, Cælestinum III. & Nicolaum III. per quos Familiæ Ursinæ dignitas ad omnem posteritatis memoriam longe lateque propagata est. Ex hac illustrissima prosapia genus suum ducens Petrus Franciscus Ursinus, nihil secundum Deum in juventute sua prius & antiquius habuit, quam ut germanam æmularetur pietatem Majorum suorum, quos inter, unum & viginti Cælitum Fastis adscriptos referunt Sacri Ecclesiæ Annales. Hinc probus ille ac sapiens juvenis (quem sicut fortuna natu majorem ad amplissimum patrimonium jure hæreditatis obtinendum selegerat, ita in eum natura detulerat elegantem formam, perspicax vividum atque igneum ingenium, indolem ad magna molienda factam, eosque mores, qui omnium amorem in se facile conciliarent) hic, inquam, probus ac sapiens juvenis, vix ex Ephebis egressus, sed litteris humanioribus apprime jam excultus, prudenter veritus, ne opes, deliciæ, fastus, aliæque Principum illecebræ inescarent animum suum, eumque frangerent; relicta paterna domo, & simulato invisendæ Italiæ studio, Venetias se contulit, ubi quod dudum votis omnibus tacitus expetiverat, die II. mensis Augusti ao. MDCLXVII. Ordinis S. Dominici (in quo nonnullos Majores suos, Cardinales videlicet Latinum Ursinum, & Matthæum Ursinum, litteris, & vitæ sanctimonia claruisse noverat) nomen dedit, ideque alio nomine, seu Fratris Vincentii Mariæ, cœpit appellari. Id ægerrime tulerunt illustrissimi parentes, qui in juvene Ursino totam Familiæ suæ spem collocasse non immerito videbantur, &, ut eum a suscepto proposito deterrerent apud *Clementem* IX. Pontificem Maximum conquesti, obtinuerunt, ut, abjecta omni cunctatione, Romam accersiretur. Paruit actutum Religiosus adolescens F. Vin-

Vincentius Maria Ursinus, & ad pedes ejusdem Summi Pontificis pervolutus, causam suam sic coram peroravit, ut tandem Pontifex, tam excelsum Novitii, sæculo nuncium remittentis, & terrena omnia generose despicientis, animum miratus, ejus propositum non tantum palam laudarit & approbarit, verum etiam illud a vehementissimis propinquorum contentionibus egregie vindicarit. Post hanc adeptam victoriam, putabat Fr. Vincentius Maria Ursinus, se deinceps, sub sacris illis, quas induerat, S. Dominici vestibus, tuto latitare posse, totumque nominis sui decus Cœnobiorum latebris penitus obrutum iri. Sed illum fefellit eventus. Nam, post aliquot elapsos annos, ejus cum probitatis, & innocentiæ, tum doctrinæ & eloquentiæ fama ex angusta cella erumpens, sic per ora omnium volitare cœpit, ut *Clemens* X. Pontifex Maximus, Fr. Vincentium Mariam Ursinum, nihil minus cogitantem, in Collegium Purpurator. Patrum die XXII. mensis Februarii anni MDCLXXII. adscripserit. Hunc sibi delatæ tantæ dignitatis nuncium, dum in Conventu Bononiensi Ordinis Prædicatorum degeret, maximo luctu accepit Fr. Vincentius Maria Ursinus; mutatus illico in vultu color, vox interclusa faucibus præ animi dolore, vis lacrymarum, ex ejus oculis manantium, ingens, receptis tandem viribus, scripsit ad Clementem X. Pontificem Maximum litteras, quibus eum etiam atque etiam pertinaci modestia obsecrabat, & obtestabatur, ne gravissimam hanc ipsi, suavissimas vitæ religiosæ delicias degustanti, figeret crucem. Sed tantum absuit, ut hæc Summum Pontificem moverint, quin potius impulerint magis ad mittendum Bononiam cum litteris suis, humanitate & æstimatione de eo plenissimis, supremum totius Ordinis Prædicatorum Generalem Magistrum Reverendissimum P. Thomam de Rocaberti, ex cujus auctoritate, ore, nutuque cum omnino penderet Fr. Vincentius Maria Ursinus, Religiosus, post homines natos obedientissimus, tandem aliquando cessit, & ne violaret religionem Sacramenti, quo Religiosi homines Superiorum suorum dicto audientes esse debent, Mandato Ord: sui Mag. Gen. summa animi demissione obtemperavit.

Hac nova dignitate auctus F. Vincentius Maria Ursinus, nihil plane in severioris vitæ ratione, cui in Monasterio assueverat, immutavit. Eadem ex lana vestis interior, idem habitus plerumque usu tritus & assutus, eadem a vino & lautis epulis abstinentia, eadem, a Festo Exaltationis S. Crucis usque ad Pascha, continua jejunia, easdem vigilias, idem denique singulare perfectæ obedientiæ, suique incredibilis contemptus studium, quod sive ad pedes & oscula manuum Generalis Magistri ordinis sui, catulorum instar provolutus, sive ea in Cœnobio agens, quæ aliquando detrectant infimi homines, non raro prodere gestiebat. Ad Episcopatum Sipontinum a Clemente X. Pontifice Maximo provectus est Cardinalis Vincentius Maria Ursinus anno 1675. Exinde ab Innocentio XI. (cujus memoria semper in benedictione erit) die 17. mensis Januarii anni 1680. ad Ecclesiam Cœsenatensem translatus est, & ab eodem Summo Pontifice die XVIII. mensis Martii anni 1686. ei amplissimæ Ecclesiæ Beneventanæ regimen fuit demandatum. In his porro regendis Ecclesiis, & in procuranda salute animarum, quarum curam ei concrediderat Deus Optimus Maximus, se absolutissimum Pontificem, & veterum exprimentem Antistitum effigiem, semper exhibuit. At enim ut breviter dicam, ubi labor requirebatur, erat patientissimus; ubi cura, diligentissimus; ubi prudentia, sapientissimus; ubi constantia, intrepidus; ubi comitate devincendi erant animi, mansuetissimus, & ad bene de omnibus merendum natus. Gregem suum sæpius invisebat, errantes oves in ovile reducere jugi solicitudine satagebat, lapsos in spem veniæ erigebat, pacem inter dissidentes componebat, eleemosynas in pauperes, quos in pectore suo gestabat, plena manu effundere non prætermittebat, Synodus frequenter cogebat, ut Disciplinam Ecclesiasticam sartam tectam conservaret, morum licentiam comprimeret, grassantia vitia profligaret, & optimis legibus constitueret Sacri Ordinis decus. Templorum religionem amplificavit, Xenodochia, Monasteria, & Collegia fundavit, Seminaria erexit, in quibus Clerici ad Sacrorum normam Canonum vitam suam dirigere, & aureorum Ecclesiæ Sæculorum mores induere possent. Verbo dicam, nullum eorum, quæ Episcopo & plurima & gravissima incumbunt, munus omisit. Et tamen, quod rarum est, tot inter curas Cardinalis Vincentius Maria Ursinus non tantum plura, eaque doctissima lucubravit Opera, quorum amplissimum Catalogum texuit Jacobus Echardus, Ordinis Prædicatorum tom. 2. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad pag. 814. sed etiam priscorum Antistitum vestigiis indefesso zelo insistens, frequenter, & per integrum quandoque Quadragesimalis temporis curriculum, Conciones habebat, mirifica Spiritus Sancti unctione, & cælesti doctrina perfusas, quibus Clerum Populumque suum ad amorem Dei accendebat, & ad vitam secundum Evangelium instituendam incredibili vi, doctrina atque eloquentia flectebat, & in admirationem rapiebat.

Hæc ardua Pastoralis dignitatis officia, quæ per plures annos in tribus Episcopalibus sedibus tanta Charitate, virtutum omnium Regina, exercuit Cardinalis Ursinus, præludia fuerunt ad graviores labores, & ad primam totius Orbis Christiani Sedem, ad quam illum cælitus fuisse destinatum Deus ipse demonstrare voluit evidenti miraculo, quo, dum elapso proxime sæculo Beneventanam Civitatem ingens terræmotus inopinato concussisset, soloque æquasset, hunc Sanctum Cardinalem, collabentis Palatii sui Episcopalis laquearibus, cœmentis ac ruderibus sepultum, sed Sancti Philippi Nerii icone tectum, dignatus est mediis in ruinis sospitem & incolumem servare, ut per eum hominibus salutem, Orbi terrarum felicitatem, & Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine suo, pacem ac sempiternam gloriam conciliaret. Illuxit tandem felix faustaque illa dies, seu vigesima nona mensis Maji anni 1724. qua

Purpu-

Purpurati Patres, post obitum Innocentii XIII. in Conclavi Vaticano conclusi, & in varias partes antehac distracti, quasi de repente Spiritus Sancti gratia, quæ tarda molimina nescit, immutati, concordibus votis ac suffragiis, Cardinalem Ursinum in Pontificem Maximum elegerunt. Renuit quidem, & manibus pedi usque detrectavit Cardinalis Ursinus oblatum sibi a Purpuratis Patribus supremum Pontificatum suscipere. Doluit vicem suam, in lacrymas sese effudit, &, sicut ad sumendam Purpuram nonnisi Clementis X. imperio ægre adduci potuerat, ita, ut summum acciperet Pontificatum, debuerunt Eminentissimi Cardinales precibus & auctoritate certare cum illo, omnesque adhibere machinas, quibus victa pertinax ejus modestia cederet omnium votis. Intonuit tandem aliquando læta illa vox, qua Cardinalis Ursinus, Divinæ voluntati obediens; Pontifex Maximus, ascito sibi Benedicti XIII. nomine, fuit renuntiatus. At, audita semel hac voce, quæ tum, Deum immortalem, publica omnium gestientium lætitia, qui plausus, quæ festivæ acclamationes? quæ occursantium totius Urbis Ordinum pompæ fuerunt celebratæ? Nam quid ego nunc referam, omnem ætatem, sexum, & Ordinem ad piissimi istius Pontificis conspectum effusissimo gaudio correptum, immo magis extra se raptum fuisse? Quid etiam in præsentia commemorem incredibili apparatu instauratos in Augustissima Urbe triumphos, tot festivas faces, tot cera collitas tædas, tot impositos stipitibus ignes, tot ad omnes angulos, ad omnia compita, parata spectaculorum miracula, milleque id genus, quibus Senatus, Populusque Romanus, effervescenti lætitia gestiens, huic Sanctissimi Pontificis electioni gratulatus est, supinis manibus Deo Optimo Maximo immortales gratias agens. Crevit postea omnium lætitia, nec amplius intra præcordiorum sinus continere sese potuerunt exundantium æstus gaudiorum, quando Sanctissimus ille Pont. Bened. XIII. ablegato omni fastu, civium oculis circumspiciendum se præbuit. Tunc enim neminem omnino æque ætatis imbecillitas, neque cura rei familiaris, neque pudor, neque valetudo domui potuit alligare, quominus oculos tam sanctis, tam ferventibus singulorum votis desiderati Pontificis, expleret spectaculo. Procurrebant parvuli, prosiliebant adolescentes, effundebant sese juvenes, prorepebant jam morbum obliti ægroti; plerique per viarum ambages, ad alia atque alia compita transcurrebant, ut Benedictum XIII. Pont. Sanctissimum, videre liceret, lætis gratulationibus, faustis precationibus, aliisque summæ alacritatis indiciis palam significantes, se, quo plus vultum tam Sancti Pontificis, veram spirantem pietatem, eamque aliis instillantem, perspiciebant, eo minus expleri, sed magis ac magis intuendo sitire. Nec Romam tantum, sed & totum, qua late patet, Orbem Christianum electio Benedicti XIII. Pontif. Max. immenso gaudio perfudit, omnesque modo summis lætitiis incessunt, quod videant, aut saltem sciant, Romanæ Ecclesiæ nunc præesse Pontificem, ab omni fastu & elato supercilio abhorrentem, qui infimæ plebis hominum, ad sacra Religionis monumenta adeuntium, pedes abluit, suis manibus alimenta præbet, concussa valetudine miseros ope ac cibo recreat, mortem in tuguriis & Xenodochiis obeuntibus administrat Ecclesiæ Sacramenta; atque, dum hæc scribimus, pro resarcienda Ecclesiæ disciplina, probisque moribus in omnes ordines propagandis, celebrat Romæ hoc anno 1725. Concilium Provinciale Lateranense, in quo Sanctissimas Leges, maturo Patrum Consilio, condit, & alias a Decessoribus suis jam latas sapientissime confirmat. Post expletos a creatione sua annos sex, menses octo, dies viginti tres, vita functus est die vigesima prima Februarii labentis anni 1730. Persolutis novemdialibus, Missaque de S. Spiritu solemniter decantata, die quinta Martii Purpurati Principes Conclave sunt ingressi, & die duodecima Julii unanimi calculo ad Summi Pontificatus apicem sublimarunt Eminentissimum D. *Laurentium Corsinum*, Florentinum, qui *Clementis* XII. sibi nomen adscivit. Ab obitu *Benedicti* XIII. Sedes vacavit Menses quatuor, Dies viginti.

Ad hunc altissimum honoris gradum, & ad augustissimum totius Christianæ Religionis locum singulari animi sui præstantia, rerum eximie gestarum copia, dignitate morum, & incredibili de omnibus bene merendi voluntate Cardinalis *Laurentius Corsinus*, tota qua late patet, plaudente Republica Christiana, meruit pervenire. Plurimis quippe honoribus ante hac auctus, semper visus est splendorem dignitatum summa sua agendi facultate, ac rerum præclare gestarum multitudine, ac gloria superare. Primum inter Prælatos *Romæ* adscriptus, & Cancellarii Prætorio præpositus, sic arduam illam provinciam tanta cum laude & integritate obivit, ut commotam de se expectationem non solum sustinuerit, verum etiam quam amplissime superarit. Dein Ærario præfectus ea reliquit in Urbe munificentiæ suæ monumenta, quibus etiamnum Populus Romanus lenit illorum jucunda recordatione felicissimi temporis desiderium. Postremo, quam honestissimam de virtutibus Cardinalis *Corsini* sententiam ferrent Summi Pontifices, aperte declarant tot meritorum præmia, quibus abunde fuit ab illis decoratus. At enim *Alexander* VIII. æquissimus Cardinalis *Corsini* æstimator, illum inter ceteros ad Imperatorem destinavit Legatum, *Clemens* XI. Cardinalitiis infulis exornavit, & *Benedictus* XIII. (cujus gravissimam jacturam luget adhuc universa Ecclesia) eum supremo Tribunali, *Signaturæ justitiæ* vulgo nuncupato, præposuit. Tot gravissimis occupationibus implicitus Cardinalis *Corsinus* omnes suas curas, cogitationes, & studia, ad utilitatem Ecclesiæ, cui se se totum a teneris annis consecravit, & ad populi tranquillitatem ac felicitatem contulit, cumque nihil egerit nisi in maxima ornatissimorum hominum frequentia, nisi in amplissimo Romanæ civitatis conspectu, profecto non esse videtur, cur ipse impræsentiarum velim in omnes pervulgatas ipsius heroicas actiones studium dicendi conferre. Sat superque suffeciat, si dixerim, illum erga omnes se se beneficentissimum prodidisse, viros litteratos, quos semper impense coluit, suo juvisse auxilio, fovisse patrocinio, multisque cumulasse beneficiis, atque ea quidem tan-

tanta animi benignitate animique propensione, ut a sola ipsius virtute, & ab eximia præstantique indole hæc collata beneficia proficisci nemo non intelligeret, & in cælum laudibus non efferret; Pauperes vero qui rerum penuria laborabant, non tantum officio & benevolentia sustentasse, sed re ipsa sua familiari sæpe illis quam liberalissime suisse opitulatum. Verbo dicam, illum in tot conferendis promiscue beneficiis non vanam gloriam (ut fieri assolet) fuisse aucupatum, sed dumtaxat congenitæ virtutis desiderium explere, insitamque pietatem, effusis opibus, alere voluisse. Hinc quotidiana illa in ejus Palatio virorum nobilium frequentia, litteratorum colloquia, pauperum concursus, & continuum totius civitatis perfugium, præsidium, ac solatium. Hunc igitur Eminentissimum Cardinalem, cujus religionem, pietatem, doctrinam, prudentiam, diuturno rerum usu comparatam, vitæque constantiam, & æqnanimitatem, cum jam pridem compertam, exploratamque haberent Purpurati Principes, conspirantibus votis ac suffragiis suo velut jure postularunt, ut in Sede S. Petri collocatus suas egregias animi opes in publicum Ecclesiæ bonum conferret, Christianorum omnium saluti consuleret, legum susciperet tutelam, Sedis Apostolicæ amplificaret dignitatem, suaque virtute & sapientia communem toti orbi afferret felicitatem. Nihil ergo nobis amplius, tot tantisque cumulatis bonis faciendum superest, nisi ut invicem desideria nostra colligamus, atque Deo Optimo Maximo serenissima vota nuncupemus pro prospera ac diuturna Summi Pontificis nostri *Clementis* XII. incolumitate, a qua totius Reipublicæ Christianæ salus, terrarumque orbis felicitas pendent.

COLLOQUIUM III.

De Hæresibus, Erroribus, & Controversiis, quibus Ecclesia Sæculo XVII. exagitata fuit.

M. UT errorum, seu Hæresum & Controversiarum, quæ Sæculo XVII. enatæ sunt, historiam distincte ordinateque disponam, ab his erroribus initium sumam, quos circa morum disciplinam ex variis recentium Casuistarum libris exceptos proscripsit Ecclesia. Deinde referam errores *Michaelis Molinos*, spurcissimi post homines natos Hæresiarchæ. Tertio, agam de erroribus *Cornelii Jansenii*, Iprensis Episcopi, & de tumultibus, qui occasione Jansenianæ doctrinæ in Belgio & in Gallia excitati sunt. Quarto, inquiram in errores tum *Marci Antonii de Dominis* olim Archiepiscopi Spalatensis, & postea Ecclesiæ Romanæ perfidi desertoris & Apostatæ, tum etiam in alia perniciosa dogmata, quæ eodem Sæculo quidem male feriati homines invehere tentarunt. Postremo aperiam originem, seu causam & progressum duarum celebrium Controversiarum, quæ inter id ætatis Theologos magno animorum ardore ventilatæ, plures hinc inde vulgandi Lucubrationes occasionem præbuerunt.

D. Incipiamus, quæso, ab historica narratione rerum, quæ spectant doctrinam Moralem, & ostende, quo pacto avita ejus integritas Sæculo Decimo septimo variis corruptelis, & erroribus fuerit deformata, & a quibus tandem sublatæ sint ille corruptelæ, proscriptique errores, quos nimia quorumdam modernorum Casuistarum laxitas, & effrænis in doctrina morum opinandi libido invexerant.

M. Sæculo XVII. fungorum instar, pullulare cœperunt nonnulli Casuistæ, qui Sanctorum Patrum, & antiquorum Scriptorum doctrina omnino valere jussa, suæque propriæ innitentes prudentiæ Christianorum mores non ad normam Canonum componebant, sed Sacros Canones ad morum corruptelam turpi accommodatione flectebant, non ad Evangelium opinionem, sed Evangelium ad suarum opinionum præjudicia præpostero ordine metiebantur, non legibus voluntates hominum subjiciebant, sed ad voluntatem & voluptatem detrahebant ac detorquebant leges, inductoque vagæ, & exlegis cujusdam probabilitatis velamine, peccata Usuræ, Simoniæ, furti, duelli, homicidii, honestare, ac omnem in administratione Sacramentorum, præsertim Pœnitentiæ & Eucharistiæ, vim elevare, ac penitus exsufflare totis viribus satagebant. Adeo in dies latius se se in excogitandis novis morum corruptelis diffundebant scribendi licentia, criminibus veniam dandi libido, & impotentis humani ingenii lascivia, ut quotidie prodirent, & hac illac volitarent volumina, egregio quidem Theologiæ Moralis titulo insignita, sed infandis opinionibus laxis tumentia & detestandis erroribus farta. Ex tot libris in animarum perniciem temere sparsis, Rhotomagenses, Parisienses, & aliarum Galliæ Urbium Parochi, doctrina & pietate insignes, multas propositiones collegerunt, easque Clero Gallicano in Comitiis Generalibus anno MDCLVI. congregato discutienda exhibuerunt. Harum propositionum lectio horrore quidem perculit Gallicanos Episcopos, magnusque illos omnes zelus & ardor incessit coercendæ illorum Scriptorum audaciæ, qui tam nefarie sanctissima quæque Evangelii dogmata pervertebant, temporis tamen angustiis, & concludendi diuturnioris Conventus necessitate a ferenda censura præpediti fuerunt. Sed ne hac Censuræ dilatione ingravescerer malum, placuit omnibus Episcopis Cleri Gallicani impensis in lucem edi *S. Caroli Borromæi* Cardinalis & Archiepiscopi Mediolanensis, Institutiones ad Confessarios, ut, donec Episcopi juridicis censuris tanto malo remedium adhibere possent, interim hoc libello, tanquam aliqua mole reprimi posset novarum opinionum torrens, qui Christianam morum doctrinam perditum ibat. Dissoluto Galliæ Episcoporum Conventu, prodiit in lucem sub larvato *Pirotii* nomine male consarcinata *Casuistarum Apologia*, quæ statim, cum laxissimis opinionibus, & ad excusandas excusationes in peccatis, scateret morum corruptelis, non solum ab Ecclesiæ Gallicanæ Episcopis, & a Sacra Facultate Parisiensi confixa est, sed etiam proscripta fuit ab *Alexandro*

xandro VII. Pontifice Maximo, qui die 26. mensis Augusti anni 1659. solemni Diplomate hanc male natam Casuistarum Apologiam damnavit, ac pro damnata & prohibita haberi voluit, districteque vetuit, ne quis, cujuscumque gradus & conditionis existeret, etiam speciali & specialissima nota dignus, prædictum librum apud se retineret, aut legeret. Sic rescissa est laxitatis Hydra, sublatæ penitus illæ serpentes ad Evangelicæ & Ecclesiasticæ disciplinæ eversionem morum corruptelæ, & prærepta Calvinistis & Lutheranis de urpandæ Ecclesiæ Romanæ ansa & materia.

D. Non usque adeo curiosus sum, ut singularum gestiam habere notitiam corruptelarum, & laxarum opinionum, quas in doctrinam Moralem induxerunt sæculi XVII. molles Casuistæ, quorum etiam nomina utinam nescire licuisset; attamen cum mihi in votis maxime sit ab illa pestifera gangrena diligenter cavere, optarem, ut hic exhiberes eas saltem horumce Casuistarum opiniones, quas Romani Pontifices damnarunt, & gladio Apostolico confoderunt.

M. In damnandis quorumdam Casuistarum Sæculi XVII. laxis opinionibus, feliciter tandem Parochorum delationibus, Academiarum toto orbe celeberrimarum, Episcoporumque non semel convenientium judiciis, accessit Auctoritas *Alexandri* VII. Pontificis Maximi, qui pro summa illa, qua in tota Ecclesia potestate pollebat, plures modernorum Casuistarum laxiores opiniones proscripsit duobus Decretis, quorum primum datum est die 24. mensis Septembris anni 1665. Alterum promulgatum fuit die 17. mensis Martii anni 1666. Primi Decreti hic tenor est.

(„ Sanctissimus D. N. audivit, non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones, Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodi, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam rebus ad Conscientiam pertinentibus modus irrepsit alienus ab Evangelica simplicitate Sanctorumque Patrum doctrina, & quam si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ Vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema Veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definiunt, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Pastorali solicitudine in rectam semitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverend. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit: qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, & mature discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim exposuerunt. I. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas Virtutes pertinentium. II. Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. III. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1682. die 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa & tolerata est. IV. Prælati Regulares possunt in foro Conscientiæ absolvere quoscumque Sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa. V. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis. VI. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus. VII. Modus evitandi obligationem denunciandæ solicitationis est, si solicitatus confiteatur cum solicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi. VIII. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII. IX. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. X. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram. XI. Peccata in Confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum Vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere. XII. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate. XIII. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. XIV. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ. XV. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. XVI. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. XVII. Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice & coram gravissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur. XVIII. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet Sententia, si alia via innocens non potest damnum evitare. XIX. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. XX. Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante Sententiam declaratoriam judicis, eo

quod fit pœna. XXI. Habens Capellaniam collativam aut quodvis aliud Beneficium, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet. XXII. Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. XXIII. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; puta, quia non vult subjicere præcepto. XXIV. Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem. XXV. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. XXVI. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda Sententia in favorem unius præ alio. XXVII. Si Liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem. XXVIII. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam. „) Has viginti octo propositiones in hoc primo Decreto tanquam scandalosas damnavit *Alexander* VII. Pontifex Maximus, eisque alias ejusdem furfuris septemdecim adjunxit propositiones in altero Decreto dato 18. mensis Martii anni 1666. quas itidem ut minimum scandalosas proscripsit. Ex quibus propositionibus simul collectis consurgit numerus quadraginta quinque propositionum, quarum posteriores, seu vigesima nona, trigesima, trigesima prima, & trigesima secunda, legem Ecclesiastici jejunii infringunt, & ab ejus observatione dispensant Officiales, iter agentes, & equitantes. Aliæ, seu trigesima tertia, trigesima quarta, & trigesima quinta Beneficiarios liberant ab obligatione recitandi Officium, & a restitutione fructuum, ob omissionem recitationis officii. Aliæ ad libidinem excitant, ut videre est in hac propositione, quæ est ordine quadragesima, & his verbis concepta est: *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur; secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis*; & in ista sequenti, quæ est ordine quadragesima prima: *Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam* & *aliæ epulæ tædio magno Concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur*. Aliæ denique Usuras licitas reddunt, ut liquet ex hac propositione, quæ ordine est quadragesima secunda: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*. Has quadraginta quinque propositiones, seu potius morum corruptelas, quas Sæculi XVII. Casuistæ quaquaversum disseminare, & omnium animis instillare studebant, tanquam scandalosas proscripsit *Alexander VII*. Pontifex Maximus.

D. Ea Censura Pontificia cohibuitne effrænem illam Laxiorum Sæculi XVII. Casuistarum novas, & moribus perniciosas procudendi opiniones pruriginem?

M. Non tam cito hæc Hydra in fœtidis Casuistarum paludibus enata profligari potuit. Suis quippe rediviva cladibus, ac exitiis superba protulit nova errorum monstra, quæ *Alexandri Septimi* Pontificis Maximi successores contriverunt, sed præsertim *Innocentius XI*. cujus memoria semper in benedictione erit. Ille siquidem Pontifex Maximus speciali Decreto dato die 2. Mensis Martii anni 1677. confixit sexaginta quinque Laxiorum Casuistarum propositiones, quarum quinquaginta quatuor priores vel licitum reddunt ac permittunt Sacerdotibus in Sacramentorum administratione, & Judicibus in ferendis circa res civiles & criminales Sententiis, usum sequendi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori; vel a peccato excusant usuras, simonias, furta, homicidia, duella, mollitiem, & fornicationem, juramenta, ingluviem, atque amplissimam, sed horribilem licentiam omnigenis hominibus, Sacerdotibus, Religiosis, Beneficiariis, Nobilibus, Famulis, Mercatoribus, Magistratibus, locupletibus, egenis, fœneratoribus, latronibus, adulteris &c. concedunt vivendi, ut lubet, suæque cupiditati indulgendi citra ullum salutis æternæ periculum. Has quinquaginta quatuor propositiones, ut brevitati consullam, & ne castas aures tuas offendam, hic non describam, sed alias duntaxat sequentes undecim, quæ Sacramentorum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ administrationem spectant, subnectam, ex quibus facile perspectum habere poteris, quo usque tandem progressa fuerit quorumdam Sæculi XVII. Laxiorum Casuistarum in pervertenda doctrina morali audacia. Propositio, quæ ordine est quinquagesima quinta his verbis concepta est: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*. Propositio quinquagesima sexta: *Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis*. Propositio quinquagesima septima: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam*. Quinquagesima octava: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*. Quinquagesima nona: *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis* V. G. *potest contingere in die magna alicujus festivitatis, aut indulgentiæ*. Sexagesima. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi nulla emendationis spes appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dum-*

modo

modo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem. Sexagesima prima: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimo directe & ex proposito quærit, aut ei se ingerit*. Sexagesima secunda: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit*. Sexagesima tertia: *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi*. Sexagesima quarta: *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi*. Sexagesima quinta: *Sufficit mysteria illa semel credidisse*. Has Propositiones numero sexaginta quinque, tanquam ut minimum scandalosas, & in praxi perniciosas proscripsit *Innocentius* XI. Mitto duas ejusdem farinæ propositiones, quas in superiori Colloquio percensui ab *Alexandro* VIII. Pontifice Maximo damnatas, unam nimirum, quæ *peccatum Philosophicum* adstruebat, alteram, quæ homines eximebat ab obligatione amandi Deum sive *in principio*, sivè *in decursu*, sive *in fine Vitæ mortalis*. Mitto denique alias pene innumeras corruptelas, quibus nonnulli molliores Sæculi XVII. Casuistæ Sanctissima quæque Evangelii documenta, Præcepta Decalogi, & Leges Ecclesiasticas perverterunt, eamque morum disciplinam invehere conati sunt, a quibus Ethnici, non omnino corrupti, penitus abhorruissent. Has, inquam, corruptelas consulto missas facio, veritus, ne tu ipse, dum tam prodigiosam cum divinæ, tum humanæ legis dissipationem oculis tuis expanderem, horrore perculsus aures tuas actutum obturares, sicut olim Nicænos Patres, ne impii Hæresiarchæ Arii blasphemias audirent, olim fecisse Ecclesiæ Annales referunt. Sufficiat igitur hæc pauca attigisse, tu vero ex ungue Leonem, & ex frusto pannum conjicito.

D. Lubentissime hic cum *S. Augustino* exclamarem: *Ubi estis fontes lacrymarum? Et quid facimus, quo ibimus, ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?* Absit sane ut unquam velim horumce laxiorum Casuistarum pervolvere libros, aut illos conscientiæ meæ adsciscere arbitros. Quis enim in Cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis denique eos Magistros auscultare & sequi velit, qui in moralibus Consiliis dandis sæpe cæcutiunt, ac sæpe cæcis ducatum præbentes, ambo juxta Christi Domini oraculum, in foveam cadunt? Sed dicas, amabo, quid sibi velint alii Casuistæ, qui vulgo *Rigidiores* vocantur, quique, ut nuperrime audivi, cum sint morosi ac superciliosi morum Censores, & nimium disciplinæ rigorem ubique affectent, jugum Christi plus æquo exasperarunt, & in aliquot circa doctrinam moralem proruperunt errores, qui Sæculo XVII. a Sede Apostolica fuerunt damnati.

M. Fuerunt nonnulli Casuistæ, qui Sæculo XVII. nimio æstu impugnando novas a mollioribus Casuistis inductas corruptelas, in aliud extremum impegerunt, & in Scyllam inciderunt volentes vitare Charybdim. Hi siquidem, sub specioso obtentu veterem Ecclesiæ Disciplinam, & antiquorum Canonum rigorem innovandi, præsentem Ecclesiæ praxim temerario ausu carpere, culpare, ac damnare præsumpserunt, certas Regulas, in disciplina morali observandas, nimium rigorem sapientes præscripserunt, & in errores lapsi sunt, quos ex eorum libris excerptos, & propositionibus XXXI. comprehensos *Alexander* VIII. Pontifex Maximus die 20. mensis Decemb. ann. 1690. proscripsit. Has inter Propositiones sunt undecim, quæ doctrinam moralem spectant, quas hic subjiciam, ut ab illis diligenter cavere possis. Propositio, quæ est ordine prima, hæc est: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis*. Altera propositio, quæ est ordine secunda: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali*. Propositio, quæ est ordine tertia: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. Propositio quæ est ordine decima sexta, sic habet: *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei quodammodo dictante*. Propositio, quæ est ordine decima septima: *Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus*. Propositio, quæ est ordine decima octava: *Consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu*. Propositio, quæ est ordine decima nona: *Homo debet agere tota Vita pœnitentiam pro peccato originali*. Propositio, quæ est vigesima: *Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ*. Propositio, quæ est ordine vigesima prima: *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis*. Propositio, quæ est ordine vigesima secunda: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint*. Denique Propositio, quæ est ordine vigesima tertia: *Similiter arcendi sunt a Sacra Communione hi, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*. Has undecim rigidiorum Casuistarum propositiones, ad doctrinam moralem attinentes, una cum aliis viginti quæ circa varia doctrinæ capita versantur, jure merito confixit *Alexander VIII*. Pontifex Maximus, ac subinde, si saluti tuæ, ut par est, consulere velis, necesse est, ut, juxta Romanorum Pontificum Sanctiones, a doctrina morali Casuistarum, cum Laxiorum, tum Rigidiorum, tibi sedulo caveas, eorumque libros, consilia, colloquia

ac documenta, rejicias, ac velis remisque fugias.

D. Jubes, & jure quidem merito, ut in integrum abstineam a lectione librorum, quos tam molles, quam rigidiores Casuistæ in Doctrina morali scripturierunt. At, necdùm indicasti, quos libros potissimum legere, quosve Magistros, ceu Duces, in disciplina morum sequi ac tuto adire debeam, eisque immobiliter adhærere, in his quæ spectant salutis negotium, in quo nulla est satis magna securitas, ubi tota periclitatur æternitas.

M. Unum instat omnium, sicut sæpius te monui, in doctrina morali sectari debes Magistrum ac Ducem *S. Thomam Aquinatem*, Doctorem Angelicum, quem non solum ad profliganda tot opinionum flagitia, tot errorum monstra, quæ adversus Dei legem, & Christianæ Moralis puritatem olim grassata fuisse vidimus, verum etiam, ad extirpandas novas illas ac peregrinas opiniones, quas induxerunt rigidiores quidam Casuistæ, divinitus provisum fuisse jure affirmare possum. Enim vero, ut obiter dicam, illibata *S. Thomæ Aquinatis* doctrina & Moralis castissima, his opinionum tum Laxiorum, tum Rigidiorum Casuistarum venenis præsentissimum & vere Catholicum remedium est, quam cæteris tutiorem, utpote legi divinæ consentaneam, cupiditati adversam, faventem charitati, & a morum laxitate, non minus quam a Rigorismo alienam, Summi Pontifices commendarunt; de qua subinde non incongrue dici potest, quod a *S. Hilario* lib. 2. *de Trinitate* dictum est de Scriptura Divina: *Magnum est tot in ea una remedia esse, quot morbi sunt, & tot veritatis doctrinas, quot sunt studia falsitatis*. Nec mirum, cum Doctor Angelicus in dirimendis Quæstionibus, quæ mores spectant, non ratiunculis & vanis distinctiunculis indulgeat, sed puram Moralem Christianam ex Divinarum Scripturarum, ex Conciliorum, Sanctorumque Patrum fontibus haustam propinet in Secunda Secundæ suæ Summæ Tripartitæ, & ea quæ ab antiquis didicit, ita docet, ut *cum dicat nove, non dicat nova*. Si vis ergo eos in doctrina Morali declinare scopulos, ad quos Laxiorum, & Rigidiorum Casuistarum allisa navis fracta est, pervolve sæpius, ac diurna, nocturnaque manu versa Secundam Secundæ Summæ Tripartitæ *S. Thomæ Aquinatis*, & a Regulis, quas ad dirigendos mores in ea præscribit Doctor ille Angelicus, ne latum quidem unguem unquam discede, aliosque, quibus aliqua tecum intercedit necessitudo, ad hanc tutissimam salutis ineundam viam adhortare his verbis, quæ leguntur cap. 30. v. 21. *Isaiæ* Prophetæ: *Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram*.

D. Cujas erat ille *Michael de Molinos*, quem spureissimum post homines natos Hæresiarcham appellasti?

M. *Michael de Molinos* natione Hispanus erat, Cæsaraugustanæ Diœcesis in Aragonia Presbyter, maximus hypocrita, in cujus vultu habituque omnis expressa erat priscorum temporum simplicitas, & affabre quodammodo facta modestia, qua in suo incessu sanctitatem integritatemque vitæ mentiens, multorum sub specioso devotionis obtentu sibi conciliavit animos. Et sane, hi, qui *Michaelem Molinosum* ex his, quæ corporis sensibus obvia sunt, videlicet ex ipsius barba, pallore, inflexa cervice, oris, totiusque corporis gravitate æstimabant, illum ut Virum sanctum, & optimum conscientiarum Rectorem prædicabant. At, qui præposterum illum *Silenum* aperuerunt, insignem hypocritam invenerunt, divinarum & humanarum legum contemptorem, alterum *Epicurum*, effræni suæ libidini affatim indulgentem, singulis ad perpetranda omnia flagitiorum genera habenas laxantem; indeque compertum ac exploratum habuerunt, magnifica hæc, quæ foris apparebant, insignia, esse puram putamque comœdiam, quam ille falacissimus Hæresiarcha, ad fucum incautis facilius faciendum, toto ferme vitæ suæ tempore in orbe lusit. Rem ita esse narrat modernus Auctor, qui tum Romæ præsens aderat, videlicet *Joannes Baptista Pacichellus* in Epistola, quam ea de re scripsit, & quæ extat inter ejus Epistolas familiares Tom. I. pag. 220. ubi hæc habet: *Cujusvis infamiam longe superavit damnatissimi nominis Michael Molinos natione Hispanus, patria Aragonius, viginti & duobus annis, quibus Romæ vixit, stabiliendæ Quietistarum hæresi, quam ipse commentus est, sedulam navavit operam, a subornatione sequeris sexus, uti Hæreticis semper solemne fuit, auspicatus. Propriam annihilationem (sic enim loquuntur vulgo) qua media Deo uniri possit anima, & quiescere, minime solicita de his, quæ corpori obveniunt, summopere inculcabat, qua in re nimirum doctrinæ suæ cardinem constituit. Ex hoc principio veluti fonte hauriebat, nullum actum animæ positivum, aut præmio, aut pœna dignum esse, cum nec anima, nec ejus potentiæ annihilatæ cooperentur. Hinc facilis in omne scelus, omnemque voluptatem ruina. Capto Molinos ann.* MDCLXXXVII. *propositionibus, quas se promulgasse fassus est, ad examen a Fidei Inquisitoribus coram Cardinalibus, & Summo Pontifice vocatis, Orationis methodum, quam profitebantur Quietistæ, sic dicti a quiete, ob quod & Sectæ nomen adhæsit, damnavit Sancta Sedes simul cum sexaginta octo numero propositionibus Hæreseos, scandali, & blasphemiæ. Jussu etiam Summi Pontificis Innocentii XI. cuncta ejus Opera flammis adjudicata sunt. Coactus ipse Molinos de pegmate erecto in Templo Dominicanorum Sanctæ Mariæ super Minervam in Urbe, coram Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Senatu, palinodiam canere, ad perpetuos carceres damnatus fuit. Fertur illum serio pœnitere criminum sexagesimum ætatis annum agentem. Nativa, qua pollebat, dicendi facultate, aliisque artibus, ita plurimis imposuit, ut sanctus haberetur, licet vitam fœdissimis sceleribus contaminatam duxerit. Per duodecim integros annos crimina apud Sacerdotem nunquam deposuit, quamvis a faciendo sacro non abstineret. Quatuor millia aureorum, & duodecim millia Epistolarum, quarum ope Sectatores ejus innotuerunt, reperta sunt in illius scriniis, &c.* Ex hac sincera testis oculati narratione facile nunc judicare potes, quis & qualis fuerit

Mi-

Michael de Molinos, infamis Hæresiarcha, qui tandem Romæ in carceribus S. Officii die 28. mensis Novembris anni MDCXCII. excessit e vivis.

D. Etsi facile ex ea narratione intelligam, *Michaelem Molinosum* fuisse Hæresiarcham sceleſtiſſimum; optarem tamen, ut mihi uberiorem traderes præcipuorum ejus errorum notitiam, quo videlicet turpia ipsius doctrinæ consectaria omni execratione prosequi, dirisque devovere possim.

M. Sexaginta octo propositiones *Michaelis Molinosi*, quas Sanctiss. Pontifex *Innocentius* XI. Constit. data die XX. mensis Novembris anni 1687. damnavit tanquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas, eversivas, & seditiosas, hic inserere, ac singillatim perpendere non patitur Colloquiorum nostrorum brevitas, nec itidem expedire videtur, maxime cum inter has propositiones, plures sint adeo obscenæ, & fœtidæ, ut eas oculis tuis expandere vetet pudor. Nihilosecius, ut tibi, ampliorem errorum *Michaelis Molinos* notitiam habere desideranti, utcumque faciam satis, breviter dicam, hujus Hæresiarchæ, & ejus Sectariorum pseudo-Mysticorum, qui vulgo *Quietistæ* appellantur, totius perversæ doctrinæ Summam in hoc volvi, ut vellent & assererent, in vita spirituali, sive mystica, hos solos censendos esse perfectos & vere mysticos, qui per unum actum, & solum, modo non revocatum, Deo semel oblati, & ut ajebant, totaliter uniti, resignati atque relicti, reliquos omnes, ut superfluos suspendunt actus, & velut exanimes permanendo, nihil prorsus operando, neque volendo, neque petendo, nec de acceptis beneficiis Deo gratias agendo, nec ad proprios defectus reflectendo, sed silendo & mere passive se habendo in absoluta permanent indifferentia de omnibus, etiam de pœna, vel de præmio, de Inferno, vel de Paradiso, de æterna damnatione, vel de salute, finendo ut Deus operetur active & suam divinam voluntatem impleat in illis. Hinc (quod dictu horrendum) recentes illi pseudo-mystici, ut videre est in damnatis *Michaelis Molinos* propositionibus 41. 42. 46. 47. 48. nefanda libidinum monstra licita reddebant, suas fœditates & abominationes non solum dæmoni vim inferenti, sed & Deo non modo permittenti, sed volenti tribuere non verebantur, easque subinde peccata esse negabant, sed his porius animam magis purgari, illuminari, roborari, candidiorem evadere, & perfectam acquirere libertatem dictitabant. Hic alias describere turpitudines refugit calamus, horretque etiam animus meminisse tot flagitiorum, in quæ infelices quasdam seductas mulieres traxerunt illi pseudo-mystici, duces vere cæci, qui eis hanc legem, velut totius spiritualis perfectionis proram puppimque, imponebant, ut in omnibus cæcam suis Superioribus & Directoribus obedientiam exhiberent, & ut suas abominationes, quas *violentias* appellabant, in Sacramento pœnitentiæ non confiterentur, quia, inquiebant, *non sunt peccata, nec etiam venialia*.

D. Vah! effrontes ac propudiosos Sectarios, ex porcorum *Epicuri* hara prodeuntes, quorum exectabilis doctrina tendit ad suscitanda insulsa & phanatica *Gnosticorum*, *Carpocratianorum*, & *Enthusiastarum* somnia, dudum ab Ecclesia, sicut jam vidimus in præcedentibus nostris Colloquiis, repressa ac proscripta; ad renovandos impios simul & turpes *Beguardorum*, *& Beguinarum*, atque *Dulcinistarum* errores in Oecumenico Viennensi Concilio damnatos, & ad confixam ac sepultam ab Inferis revocandam insulsam, ac phanaticam *Illuminatorum* Sectam. Unde mirari minime subit, quod ab hac flagitiosa doctrina, statim ac pestiferum ejus venenum retectum ac propalatum fuit, ita abhorruerint Catholicorum omnium animi, ut & populi clamoribus, & docti argumentis, & Episcopi Censuris, tam nefaria dogmata detestati sint. *Neque hoc sane*, ut verbis utar *Vincentii Lirinensis*, *novum, siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisquam floreret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet*. Sed dicas, amabo, an fuerint aliqui, qui data opera impiam illam & obscenam *Michaelis Molinos*, ejusque Sequacium spuriorum Mysticorum doctrinam editis lucubrationibus confutarunt, & quænam sint præcipua argumenta, quibus horribilem illam Sectam profligarunt?

M. Tot inter Viros eruditos, qui in *Michaelis Molinosi*, aliorumque ejus Sequacium spuriorum Mysticorum errores calamum acuerunt, primas tenere debent tres Illustrissimi Galliarum Antistites, *Ludovicus Antonius de Noailles*, Parisiensis Archiepiscopus & S. R. E. Cardinalis, qui *Institutionem Pastoralem* publicavit *de Perfectione Christiana & Vita interiori adversus spuriorum Mysticorum errores*, Jacobus Benignus Bossuet, Meldensis Episcopus, qui Institutionem de *Statibus Orationis*, & alia de eodem argumento luculentissima vulgavit Opera, & *Paulus Godet des Marais*, Carnotensis Episcopus, qui edidit *Institutiones Pastorales contra novæ Mystagogiæ illusiones & errores*. In his, inquam, cedro dignis Operibus, ad Religionis & Fidei, veræque Orationis puritatem vindicandam, singulari zelo, pietate, eruditione, ac perspicuitate editis, tres illi Galliarum illustrissimi Antistites invictis argumentis spuriorum Mysticorum errores confodiunt. Et primo quidem, tum ex Scriptura Sacra, tum ex perpetua Sanctorum Patrum traditione palam evincunt, hominem in Vita præsenti, secundum legem communem, non posse tantum ac talem consequi perfectionis gradum, ut reddatur impeccabilis, & amplius proficere non valeat, ac subinde Scripturæ, & traditioni plane contrarium esse illum, quem *Michael Molinos* aliique ejus Sectarii spurii Mystici comminiscebantur, statum habitualem, continuum & immobilem, ad quem cum semel Viri Spirituales pervenissent, peccare amplius non poterant, & imperturbabili pace fruebantur. Quem capitalem recentium spuriorum Mysticorum errorem jam Concilium Oecumenicum Viennense anno 1311. celebratum damnavit in Hæreticis *Beguardis* idem

figmentum obtrudentibus, & Concilium Tridentinum Sessione VI. Canone XXIII. confixit, Anathemate percellens, eum, qui dixerit, *hominem justum posse in tota vita omnia peccata venialia vitare, nisi ex speciali privilegio*. Secundo, contra spurios recentiores Mysticos demonstrant tres illi Galliarum illustrissimi ac doctissimi Antistites, nullum esse in hac vita perfectionis statum, in quo justi jejunare, carnem macerare & crucifigere, orare, bonaque spiritualia & æterna bona, Dei gratiam, remissionem peccatorum, Virtutes, sanctificationem suam, donum Perseverantiæ, salutem, ac beatitudinem æternam absolute desiderare, & supplices petere a Deo non debeant, sicut & ei de acceptis beneficiis gratias agere, quantumvis in Vita spirituali profecerint, & ad quemvis perfectionis gradum sint provecti. Tertio, probabant iidem illustrissimi Galliarum Antistites contra illos spurios Mysticos, teneri justos spiritualesque Viros, in quocumque perfectionis gradu constituti supponantur, Ecclesiæ præcepta servare, & Pastoribus ac Præpositis obedire, non solum in iis, quæ disciplinam exteriorem spectant, sicut *Michael Molinos* ejusque sectarii pseudo mystici pertendebant, verum etiam in iis, quæ directionem interioris animarum suarum status attinent, sicut definivit Concilium Viennense contra Hæreticos Beguardos asserentes, eos, *qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & spiritu libertatis, non esse humanæ subjectos obedientiæ, nec ad aliqua Ecclesiæ præcepta obligari, quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas*. Quarto, ostendunt illustrissimi illi Galliarum Antistites, hæreticum esse illud spuriorum Mysticorum dogma, quo asserebant, fornicationem, aliosve carnales actus non esse peccata, quia ei, qui gravirer tentatus illos exercet, diabolus vim infert. Hoc, inquam, dogma hæreticum esse ostendunt religiosissimi illi Antistites, tum quia Apostolus *Paulus* illud aperte reprobat, dicens cap. 6. Epistolæ primæ ad Corinthios: *Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles Regnum Dei possidebunt*, & ad Galatas capite quinto: *manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria ... Qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur:* Tum quia etiam, quantumvis gravi tentatione ad fornicationem, aliosve carnales actus instigetur homo, nihilominus lethalia peccata sunt, æternaque damnatione digna, quia diabolus peccatum licet suggerat, & suadeat, ad illud tamen committendum vim non infert, ejusque tentationibus quibuscumque homo resistere potest & tenetur, ut docent Sacri Scriptores, videlicet S. Petrus 1. suæ Epistolæ c. ultimo, ubi hæc habet: *Adversarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide*; & Sanctus *Jacobus* in Epistola sua Canonica capite quarto: *Resistite diabolo, & fugiet a vobis*. Denique, ut cetera alia prætermittam, perdocti illi Galliarum Antistites hunc errorem jam a Concilio Generali Viennensi in Hæreticis Beguardis proscriptum, & a modernis spuriis mysticis suscitatum, videlicet: *se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat a se virtutes*, hunc, inquam, errorem confutant clarissimi illi Galliarum Antistites ex Scriptura Sacra, quæ passim Christianarum virtutum officia omnibus hominibus proponit, quocumque sint in statu & perfectionis gradu; quæ justos etiam & perfectos spirituales Viros hortatur non ad quietem, non ad otium, non ad supprimendos virtutum actus, nec ad passivam de omnibus, etiam de salute æterna, indifferentiam, sed e contra monet, urget & instat, ut jugiter operemur bonum, dum tempus habemus; ut vigilemus, ut oremus, ut nos humilitatis, patientiæ, charitatis, obedientiæ, ceterarum virtutum Christianarum exercitio occupemus, & abundemus in omni opere bono; ut cum timore & tremore operemur salutem nostram, ut sic curramus, ut comprehendamus gloriæ bravium; ut contendamus intrare per angustam Cæli portam, ut pulsemus, & aperietur nobis, ut petamus, & accipiemus, ut quæramus & inveniemus; ut sic luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, ut postremo Vocationem nostram per bona opera certam faciamus, dicente *S. Petro* cap. 1. vers. 10. Epistolæ suæ secundæ: *Satagite, ut per bona vestra opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; sic enim facientes non peccabitis aliquando*. His, & aliis id genus argumentis, quibus referendis, ne longior sim, consulto supersedeo, refelluntur impii & obscœni *Michaelis de Molinos*, & spuriorum Mysticorum errores, quos in Hæreticis *Beguardis* a Concilio Viennensi damnatos noster sui Sæculi piissimus Scriptor *Taulerus deplorat* & insectatur his verbis: *Hi sunt*, seu Hæretici Beguardi, & falsi Mystici sui temporis, *qui se a peccatis immunes Deo sine medio unitos, omnibus & divinis & humanis solutos legibus, & ad nulla demum opera bona obligatos arbitrantur, hoc errore seducti, quod putent otium illud, cui vacant, pro sui nobilitate & excellentia, nullo pacto esse interturbandum impediendumque. Nihil penitus in virtutibus se se exercent, sed otio vanissimo tradunt. Vis scire quale sectentur otium? Non gratias agere, non Deum laudare, nihil habere, nihil cognoscere, nihil amare, nihil orare, nihil desiderare volunt ... Tantam sibi libertatem usurpant, ut nulli prorsus obedire velint, neque Papæ, nec Episcopis, nec Pastoribus suis, & quamvis interdum extrinsecus obedire se simulent, intus tamen nulli omnino subjiciuntur, nec voluntate, nec actione. Ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ consuetudinibus & legibus exempti esse volunt, palam asserentes, quod quamdiu aliquis virtutibus consequendis navat operam, tamdiu adhuc imperfectus sit. Insuper credunt, se nec deinceps ullum posse vel virtutis augmentum capere, vel admittere peccatum, ea de causa quod absque voluntate vivant, ut ipsis videtur, spiritumque suum quieti ac otio tradiderint. Proinde cunctis naturæ desideriis absque peccato libere se satisfacere posse stultissime credunt, utpote qui summam adepti sunt innocentiam, quibusque lex nulla posita sit. Breviter ergo, ne spiritus, otium, quies & libertas ul-* lum

lum patiatur impedimentum, cunctis naturæ affectibus & concupiscentiis indulgent & obsequuntur..... Hi Antichristi prænuntii sunt, qui viam illius præparant, deducentem ad infidelitatem & damnationem perpetuam. Confer nunc, quæso, ejusmodi Beguardorum errores, quos noster *Taulerus* Sermone 2. in Dominicam primam Quadragesimæ describit ac perstringit, cum erroribus *Michaelis Molinosi* & falsorum Mysticorum, & ultro fateberis, *Michaelem Molinosum*, aliosque male feriatos modernos pseudo-Mysticos, antiquam duntaxat crambem in sua Mystagogia recoxisse, & jam pridem exoletas Beguardorum, aliorumque falsorum & otiosorum Mysticorum deliriationes, illusiones, & obscœnitates, ex orco revocasse. Sed satis hactenus dictum sit de *Michaele Molinoso*, & de spuriis atque otiosis hujus tempestatis Mysticis, quos plenis velis fugere debes, ne te *multam malitiam doceat illorum otiositas*: sicut legitur Ecclesiastici c.33. v. 29.

D. Ad respuendam detestabilem illam *Michaelis Molinosi*, ejusque sequacium pseudo-Mysticorum doctrinam, sufficit communis sensus, sufficit communis pietatis vulgaris institutio, quæ ad tam nefaria ac feculenta dogmata exhorrescens, ipsum etiam tot spurcitiarum fontem execrationibus prosequi debet. Hinc, ut obiter dicam, plane mirari subit, quo pacto *Michael Molinosus* tot spurcitiarum patrens potuerit per viginti duos annos Romæ vivere, tam fœda, tam execranda patrare flagitia, tam pestilentem disseminare doctrinam, tot homines ac mulieres promissa molli quiete decipere, & in eos tam absolutum exercere imperium, ut nullus ex his, qui nefandæ illius Sectæ Mysteriis erant initiati, extiterit, qui hanc errorum colluviem, hanc vitiorum sentinam, hanc turpitudinum cloacam patefacere voluerit. Certe, tam alti, tamque diuturni silentii causam non aliunde profectam fuisse existimaverim, quam ex *Quietistarum*, discipulorum *Michaelis Molinosi*, mala conscientia simul & tranquilla, quæ peccata sine pudore, sine dubitatione operabatur, quia bona esse & ad Vitæ spiritualis perfectionem tendere deplorandis tenebris, sed peccatorum frequentia, & nimia erga suæ Sectæ Principem credulitate accersitis, sibi perperam persuadebat. Est enim, ut nuperrime legebam apud S. *Bernardum* in libro de *Conscientia*, est, inquam, *mala & tranquilla conscientia, qua sicut nihil est pejus, ita nihil est infelicius. Quæris quænam illa sit? Quæ nec Deum, nec hominem reveretur: quæ cum veneris in profundum malorum contemnis. In brevi temporis spatio non solum non sentit, sed & placet, & dulce fit quod amarum erat, & asperum vertitur in suave. Ducitur deinde in consuetudinem, ut jam non modo placeat, sed & assidue placeat, & se continere non possit. Ad extremum vero non potest avelli, quia consuetudo vertitur in naturam, & quod prius ad faciendum erat impossibile, jam impossibile est ad continendum ..... Hæc est mala conscientia, quæ per hujusmodi discrimina, immo præcipitia ruit, & corruit, & irruit super se ipsam. Quomodo tranquilla? Cum mundi hujus prosperitas alludit & illudit, cum laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur, cum peccantium favor, & peccare nolentium pavor, nolens & dolens arridet ei, cum non est qui arguat ..... Nihil æque exasperat illius tremendi judicii majestatem quam peccare, & secure peccare, & de vitiis quasi de Virtutibus gloriari. Hæc est iniquitas, cujus non miseretur Deus, cum homo defendit, quod Deus odit, peccatum justitiam asserit, & quod Deus adstruit, quantum in ipso est destruit, dicens malum bonum, & bonum malum, amarum dulce, & dulce amarum, lucem tenebras, & tenebras lucem. Hanc vero tranquillitatem nutrit impunitas, securitatis & negligentiæ mater, noverca Virtutum, Religionis Virus, tinea sanctitatis*. Hæc est vera, & fortassis unica causa, cur sero Orbi innotuerint sordes, obscœnitates, & nefanda flagitia horumce pseudo-Mysticorum hypocritarum, quos Apostolus Paulus c. 16. v. 18. Epistolæ ad Romanos graphice describit his verbis: *Hujuscemodi enim Christo Domino Nostro non serviunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*. Et ad Philippenses c. 4. v. 18. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum*. Sed mittamus illos spurios Mysticos, quibus, ad occultandas suas obscœnitates, solemne erat, perinde ac olim Hæreticis Priscillianistis, hoc Effatum: *jura, perjura, secretum prodere noli*, quorumve spurcissima dogmata manifestasse, abunde confutasse est. Nunc lubenti animo audiam te differentem de proscripta sæpius a Romanis Pontificibus doctrina *Cornelii Jansenii*, Iprensis Episcopi, cujus Scripta initium dederunt gravissimis Controversiis, turbis, rixis, ac dissensionibus, quæ perstrepunt per totum Orbem Christianum, & nondum conquiescunt.

M. Quo clarius perspectum habere possis ortum ac progressum Jansenismi, cujus Historiam & Theologi in Scholis, & eruditi in Academiis, in Circulis mulierculæ, in Officinis opifices opportune importune apud Gallos & Belgas etiamnum crebris sermonibus usurpare solent, necesse est ut rem totam ab ovo, ut ajunt, repetam, paucisque ostendam, initia, quæ magnis incendiis esse solent, ut nec primum ardeant, nec humanis oculis statim luceant, eadem illa Jansenismo, gravissimisque, ejus occasione excitatis de Divina gratia Controversiis contigisse, quibus postea Sæculo Ecclesiæ decimo septimo totus pene Orbis Christianus disputationum incendio conflagravit. *Cornelius Jansenius* natione Belga, ex Doctore Lovaniensi, Episcopus Iprensis, suisque in *Moysis* Pentateuchum, & in quatuor Evangelia editis Commentariis notissimus, Volumen magnæ molis de Divina Gratia, a se lucubratum, in publicam lucem edere non potuerat, e vita anno MDCXXXVIII. sublatus, dum ægrotis inserviret tem-

tempore pestis, quæ in ejus Diœcesi grassabatur. Fato proximus *Jansenius* palam protestatus est in Testamento quod condidit, se tanquam Matris Ecclesiæ obedientiæ filium velle mori, omnia sua Scripta sincero obsequio subijcere judicio, correctioni & emendationi Romani Pontificis, Doctrinæ a Summis Pontificibus approbatæ se firmiter adhærere, falsa vero dogmata ab iisdem damnata ex animo reprobare. Eamdem protestationem inseruit *Jansenius* ad calcem libri *de Gratia Christi*. Hoc certe, ut obiter dicam, obedientiæ exemplum, quod *Jansenius* in morte reliquit, sequuti non sunt ejus discipuli, qui, solemni quinque propositionum ex libro *Jansenii* excerptarum damnationi a Romanis Pontificibus factæ, acquiescere noluerunt, sed potius adversus Romanos Pontifices caput attollentes, eorumque Decretis obtemperare detrectantes, turbas, contentiones, & tragœdias ubique excitarunt, atque libellos ediderunt, jurgiis, maledictis, mendaciis, calumniis, apertaque in Pontifices irreverentia ac temeritate undequaque scatentes, sicut constabit ex his, quæ mox dicturi sumus. Mortuo *Cornelio Jansenio* anno, ut diximus, MDCXXXVIII. liber ab ipso de Divina Gratia exaratus, curis *Liberti Fromondi* typis anno MDCXXXIX. mandatus est sub hoc titulo: *Augustini Cornelii Jansenii*, quasi in illo Opere exponeretur genuina, ac pura putaque Sancti *Augustini* doctrina, a recentioribus Theologis non satis hactenus intellecta, & antiquioribus Patribus, maxime Græcis, incognita. Et sane *Jansenius* eo in Opere suis viribus plus æquo confisus, non solum damnat doctrinam Patrum Græcorum, quibus (ut inquit cap. 4. libri de *Heresi Pelagiana*) aliquid eis ex pulvere subtilissimi erroris Semipelagianorum adhæsit, sed etiam passim in omnes Theologos Scholasticos invehitur, potissimum Scholæ *S. Thomæ* discipulos, qui Gratiæ efficaciam in Prædeterminatione physica sitam esse contendunt, eoque audaciæ prorumpit, ut Tomo 2. *de Gratia primi hominis & Angelorum* cap. 20. & ultimo, non dubitet asserere, concursum, motionem, & prædeterminationem physicam, quam post *Sanctum Thomam*, ejus Discipuli, Magistrum secuti, admittunt, *Iricas esse Aristotelicæ Philosophiæ, aut ineptias, e Classibus Dialecticis in Theologiam immissas, quibus cælestis medicinæ sinceritas adulterata est*. Quod etiam repetit idem *Jansenius* Tomo 3. lib. 8. c. 1. ubi postquam recensuit septem discrimina, quæ reperiri putat inter Adjutorium Dei medicinale, & Prædeterminationem physicam, prout a Discipulis *S. Thomæ* traditur, ac defenditur, subdit; („ Quapropter, qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum & innocentium ex vi causæ primæ, & indifferentiæ voluntatis necessariam, & magis profecto Aristotelici, quam Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solum nullo testimonio ejus probari potest, sed potius universam doctrinam ejus innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat ... totum ergo fundamentum gratiæ medicinalis Christi funditus subvertitur, & Scripturæ Sacræ subnervantur, dum gratiæ necessitas, non ex vulnere voluntatis, sed ex naturali ejus indifferentia, & omnium causarum naturali subordinatione, sub altiore suspenditur. Quæ duplex ratio necessitatis gratiæ, sicut universis Augustini operibus inaudita est, & repugnat principiis ejus, ita quoque indicat, prædeterminationem physicam, tanquam gratiam, eo modo, & latitudine ad omnes humanæ naturæ status dilatatam ab Augustini sensibus esse remotissimam, & potius vi humanæ Philosophiæ, quam Augustinianæ Theologiæ expressam & inventam esse, &c.„) Ex quibus verbis facili negotio intelligere potes, *Jansenium* in suo Opere bellum indixisse non solum illis Theologis, qui Sancti *Augustini* doctrinæ de gratia se ipsa efficaci, & de prædestinatione gratuita adversantur, verum etiam nullam plane rationem habuisse Scholæ *S. Thomæ*, quam tamen probe sciebat pro defensione gratiæ se ipsa efficacis, & prædestinationis gratuitæ ad gloriam per suos discipulos *Thomam Lemosium, & Didacum Alvaresium* strenue in Congregationibus de Auxiliis sub Summis Pontificibus *Clemente VIII. & Paulo V.* habitis, juxta inconcussa *SS. Augustini* & *Thomæ* doctrinæ principia gloriose decertasse. Mirum itaque tibi videri non debet, quod, cum *Jansenius* Gratiæ Divinæ Mysteria super omnes alios docentes se Theologos intelligere præsumens, & a tritis discipulorum S. *Thomæ* semitis tecedens, solus contra omnes stare voluerit, contra eum itidem omnes steterint, ac de se illud probaverit, quod de *Ismaele* dictum est: *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum*. At enim, cum communi Catholicorum offensione prodiit hoc a *Cornelio Jansenio* exaratum de divina gratia Opus, cumque gravibus erroribus esset respersum, Theologi Sacræ Facultatis Parisiensis post maturum ac diuturnum examen illos in quinque propositiones collegerunt, & statim Episcopi Gallicani numero octoginta quinque scripserunt anno MDCLI. ad Summum Pontificem *Innocentium* X. eum etiam atque etiam obtestantes, ut has præsertim quinque propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior erat, diligenter expenderet, & perspicuam, ac certam de unaquaque Sententiam ferret. Episcoporum Galliæ votis lubens annuit *Innocentius* X. Pontifex Maximus, & post longam accurati examinis indaginem, & preces Patri luminum enixe fusas, Constitutionem tandem pridie Kalend. Junii ao. MDCLIII. publicavit, qua quinque propositiones ex libro *Cornelii Jansenii* excerptas damnavit, & unicuique propositioni singularem damnationis notam, seu Censuram inussit.

D. Profer, si placet, quinque illas propositiones ex libro *Cornelii Jansenii* Episcopi Iprensis excerptas, quas Summus Pontifex *Innocentius* X. confixit.

M. Prima Propositio hæc est: („ Aliquæ Dei

Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. *Altera Propositio*: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. *Tertia*: Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. *Quarta*: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. *Quinta*, Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse „) Primam propositionem declaravit *Innocentius X.* Pontif. Maximus *temerariam*, *impiam*, *blasphemam anathemate damnatam*, & ut talem damnavit. Secundæ & tertiæ propositionibus eamdem censuram inussit Pontifex Maximus, utramque declaravit *hæreticam*, & uti talem damnavit. Quartam propositionem declaravit *falsam & hæreticam*, & uti talem damnavit. Quintam propositionem declaravit *falsam*, *temerariam & scandalosam*, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, *impiam contumeliosam*, *divinæ pietati derogantem*, *hæreticam*, ac uti talem damnavit.

D. Hæc *Innocentii X.* Pontificis Maximi contra *Cornelii Jansenii*, Episcopi Iprensis, librum promulgata Constitutio fuit ne ea, qua par est, veneratione suscepta in Galliis?

M. Summa veneratione hæc *Innocentii X.* contra famosas quinque *Jansenii* propositiones Constitutio a Galliarum Episcopis excepta est, ut videre est in Epistola gratulatoria, quam iidem illustrissimi Antistites die XV. mensis Julii anni MDCLIII. ad hunc Summum Pontificem scripserunt, in qua hæc habent: *Optata pervenit ad nos tandem Constitutio illa, qua Vestræ Sanctitatis auctoritate quid sentiendum sit de controversiis quinque Propositionibus, quæ sunt excerptæ e Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi libris, perspicue decernitur. Excitatæ in Belgio contentiones flagrabant etiam in Galliis, & latissimum incendium per universas Ecclesiæ partes minabantur, ni pesti grassanti, & certissimam perniciem allaturæ obstitisset Beatitudinis Vestræ indefessum studium, & ex alto petita potestas, quæ sola acerrimam illam animorum collisionem compescere poterat*. Addunt etiam in eadem Epistola Gallicani Episcopi, se, nullo conditionum, vel statuum discrimine facto, in omnes contumaces & Pontificiæ Constitutionis violatores his pœnis animadversuros, quæ a jure Hæreticis infliguntur.

D. Sic igitur finita est causa *Jansenii*, &, confusis veritatis hostium animis, de his quinque proscriptis famosis propositionibus, ex ejusdem *Jansenii* libro excerptis, triumphos egit Ecclesia?

M. Ea *Innocentii X.* Pontificis Maximi Constitutione finita quidem fuit *Jansenii* causa, sed non finitus error. Enim vero, Discipuli *Jansenii* nolentes imitari exemplum sui Magistri, qui, sicut superius observavi, in extremis positus, libri sui & doctrinæ in eo contentæ Romanum Pontificem judicem appellavit, ejusque judicio adhærere se velle professus est, novas turbas & contentiones excitarunt, seque palam inobedientes ac contumaces exhibuerunt: adeo ut de illis vere cum *Vincentio Lirinensi* in suo *Commonitorio* dicere possim: *O mira rerum conversio, auctores ejusdem opinionis, Catholici, & consectatores hæretici judicantur; Absolvuntur Magistri, condemnantur Discipuli*. Præcipuas hic referam & eadem opera refellam artes & machinas, quibus Janseniani hanc Pontificiam *Innocentii X.* Constitutionem impetere, aut eludere tentarunt. In primis postquam Janseniani Propositiones quinque de Gratia & libero Arbitrio excerptas ex libro *Jansenii* Vaticanis fulminibus obtritas senserunt, fremere, indignari, & exclamare cœperunt per *Jansenii* latus *Augustinum* peti, divinam ejus doctrinam, tot Conciliorum Decretis, tot Romanorum Pontificum sanctionibus, tot Sanctorum Patrum elogiis consecratam, explodi, sugillari, proscribi: *Molinæ* vero, ejusque Discipulorum doctrinam extolli, probari, triumphare. Sed hoc esse putidum Jansenianorum mendacium certissime constat tum ex vivæ vocis oraculis, tum ex Diplomatibus Romanorum Pontificum *Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. Clementis X. Innocentii XI. Alexandri VIII. Innocentii XII.* & *Clementis XI.* qui omnes, Romanorum Pontificum suorum Prædecessorum vestigiis inhærentes, sæpius declararunt, Doctrinam S. *Augustini* de Gratia & libero Arbitrio a Sede Apostolica esse receptam, approbatam, & in Ecclesia consecratam, doctrinam vero *Cornelii Jansenii* Episcopi Iprensis ab ipsis eo potissimum nomine fuisse damnatam, quod ille non solum toto ostio, sed totis etiam ædibus a germana Sancti *Augustini* doctrina aberraverit. Nec minus falsum est, quod dictitabant Janseniani, videlicet, proscriptis semel quinque propositionibus *Jansenii*, triumphum egisse *Ludovici Molinæ* doctrinam, id, inquam, oppido falsum esse ex eo vel maxime liquet, quod datur medium inter proscriptos Jansenianorum errores, & toleratas *Ludovici Molinæ* opiniones, adeo ut in doctrina de Gratia & libero Arbitrio liceat esse Catholicum, nec propterea Molinistam. Illud porro medium nihil aliud est, quam S. *Thomæ* Doctoris Angelici celeberrima Schola, quæ ideo *Thomistica* dicitur, quæque non solum doctrinam de Gratia se ipsa efficaci, & de Prædestinatione gratuita in Congregationibus de Auxiliis, coram *Clemente VIII. & Paulo V.* habitis, juxta tutissima SS. *Augustini* & *Thomæ* principia, contra Molinianæ doctrinæ defensores constanter propugnavit, sed etiam eamdem doctrinam, post proscriptas a Romanis Pontificibus quinque *Jansenii* propositiones, magno æstu tum in publicis disputationibus, tum in libris in lucem editis defendit ac tutata est ubique terrarum, sed præsertim Romæ, ubi annuentibus Romanis Pontificibus, duorum insignium Scholæ Thomisticæ discipulorum præclara *de Divina Gratia* Opera summo omnium virorum eruditorum applausu publicam

cam lucem adspexerunt, quorum primum prodiit sub *Innocentio* XI. Pontifice Maximo, & est *Panoplia de Divina Gratia Thomæ de Lemos*, Ordinis Prædicatorum, typis edita Leodii anno MDCLXXVI. Tentarunt quidem, fateor, nonnulli impedire, ne hæc nostri *Thomæ de Lemos* Panoplia Romæ publice divenderetur, sed habito a Congregatione S. Officii super hocce negotio examine, tandem permissum est Cameræ Apostolicæ Typographo, ut illam publice divenderet, affixo ad consueta Urbis compita hoc Magistri Sacri Palatii programmate:

F. Raymundus Capisuccus Ord. Præd. Sac. Palatii Apostolici Magister.

Omnibus, ad quos spectat, notum facimus, qualiter Nicolaus Angelus Tinassius, publicus Impressor Urbis, admodum R. P. F. Thomæ de Lemos Panopliam gratiæ, seu de rationalis creaturæ ad finem supernaturalem gratuita, divina, suavi potente ordinatione, ductu mediis, liberoque progressu, Dissertationes Theologicas, ab Auctore in quatuor Tomos distributas, Leodii ex Officina Claudii Landas, Impressoris publici, anno 1676. impressas publice Romæ vendit anno 1681. In quorum fidem, his Sigillo nostro munitis propria manu subscripsimus, Romæ in Palatio Apostolico die 26. Augusti 1681.

Ita est, qui supra *F. Raymundus Capisuccus.*

Alterum non minus singulare Opus, cui titulus est: *Divus Thomas sui Interpres de Divina Motione, seu de Divinis Auxiliis*, Summo Pontifici *Innocentio* XII. dicatum, Romæ typis & sumptibus *Josephi Vannacii* an. MDCXCIII. publica luce donavit alter doctissimus Scholæ Thomisticæ discipulus R. P. *Antoninus Massoulie*, Ordinis Prædicatorum, qui a Sacra Congregatione S. Officii licentiam prædictum Opus in lucem edendi postulavit & obtinuit, ut videre est in hoc ejusdem Congregationis Rescripto. *Feria quarta die 23. Novembris 1689. in Generali Congregatione Sancti Officii lecto supradicto Memoriali* (oblato a Patre Antonino Massoulie) *Eminentissimi & Reverendissimi DD. Cardinales Generales Inquisitores, servatis servandis, licentiam petitam dicto Oratori concesserunt.*

Alexander Speronus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Videant ergo nunc Jansenìani, qua fronte potuerunt asserere, confixis semel quinque *Jansenii* propositionibus, actum & conclamatum fuisse de *S. Augustini* doctrina, & *Ludovici Molinæ*, aliorumque ejus sequacium doctrinam triumphasse, cum tamen certissime constet, Scholæ Thomisticæ discipulos, etiam post damnatas a Summis Pontificibus quinque *Jansenii* Propositiones, multa vulgasse, & Romæ etiam edidisse Opera, in quibus non perfunctorie, sed lato calamo, omnique argumentorum genere avitam Sanctorum *Augustini* & *Thomæ* doctrinam de Gratia se ipsa efficaci & de Prædestinatione gratuita ad gloriam astruunt, probant ac vindicant, iisque armis ac telis ad profligandos errores *Jansenii*, & refellendas opiniones *Ludovici Molinæ* utuntur, quæ illis integrum de Jansenismo & Molinismo triumphum adscribunt. Plura non addam ad evertendam illam machinam, quam primo fabricarum Jansenìani, cum ipsimet relicta tandem hac quæstione juris, an videlicet quinque propositiones eo sensu, quo a Summis Pontificibus damnatæ sunt, sint revera falsæ & contrariæ *S. Augustini* doctrinæ, recurrerint ad quæstionem facti, nimirum, utrum eædem propositiones fideliter excerptæ sint ex libro *Jansenii*, & in ea reperiantur? Eo Jansenìani, ceteris munimentis dejectis, sese receperunt, novaque lite Ecclesiam lacessivere. Negarunt quippe, has quinque propositiones fideliter excerptas esse ex libro *Jansenii*, Hæresim Jansenianam, Chimæricam & Imaginatiam appellarunt, librum *Jansenii* absque ullo prævio examine damnatum esse, nec auditos ejus defensores, & Censuram per vim extortam fuisse effutierunt. Denique contenderunt, in hac quæstione facti non esse opus judice, sed sanis oculis, quibus librum *Jansenii* evolvere liceret, in quo, quinque illas propositiones, adhibita licet omni diligentia, se nec legere, videre, aut nullo pacto deprehendere potuisse asseverabant. Hoc est alterum Jansenianorum effugium, quod ipsis *Alexander* VII. Pontifex Maximus omnino præclusit ea Constitutione, quam edidit anno MDCLVI. in qua hæc habet: *Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propositiones in libro Jansenii prædicto non reperiri, sed ficte & pro arbitrio compositas esse, vel etiam sensu ab eodem intento damnatas non esse, asserere magno cum Christi fidelium scandalo non reformidant; Nos .... præallatam Innocentii prædecessoris nostri declarationem, Constitutionem ac definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, innovamus, & quinque illas Propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii ...... excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse declaramus ac definimus, ac ut tales iterum damnamus, &c.* Optarem hic libentissime, ut, in defensionem hujusce Constitutionis *Alexandri* VII. Pontificis Maximi, mihi per tempus liceret integros proferre *Jansenii* Textus, ex quibus certo colligitur, quinque Propositiones a Summis Pontificibus proscriptas germanum esse illius ingenii fœtum. Sed quia nimis longum esset hic inserere & expendere integros libri *Jansenii* Textus, in quibus mentem suam veluti radiis solis depinxit, sufficiet in præsentia ea indigitare loca, in quibus *Jansenius* doctrinam, quinque damnatis Propositionibus, a nobis superius indicatis, contentam, aperte profitetur. Primam Propositionem diserte docet *Jansenius* libro 3. *de Gratia Salvatoris* c. 13. ubi hæc habet: *Hæc igitur omnia plenissime planissimeque demonstrant nihil esse in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam quæ hominibus, non tantum infidelibus, excæcatis, induratis, sed fidelibus quoque, & justis, volentibus & conantibus, secundum*

præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque Gratiam, qua possibilia fiant. Alteram Propositionem his verbis conceptam: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, clare itidem exprimit *Jansenius* libro 2. *de Gratia Salvatoris* c. 25. ubi ait: *Hæc est vera ratio, ut nulla omnino medicinalis gratia Christi effectu suo careat; sed omnis efficit, ut voluntas velit, & aliquid operetur*. Et cap. 27. asserit quod *S. Augustinus nullam agnovit aliam actualem Christi gratiam, nec agnoscere potuerit*. Tertiam propositionem, quæ his verbis concepta est: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*, non minus evidenter adstruit *Jansenius* libri sexti *de Gratia Salvatoris* capite sexto, cui hunc titulum inscribit: *Duplex necessitas Augustino, coactionis, & simplex, seu voluntaria. Illa, non hæc, repugnat libertati*. Deinde, eodem in capite totius libertatis humanæ cubile lustrans, rationem reddit, cur ea simplex, & voluntaria necessitas minime repugnet libertati; nimirum quod non sit voluntati adversa, nec quidquam aliud libertas exigat præter nudam ac simplicem voluntatem, ac tandem concludit his verbis: *Mira videbitur Scholasticis ista doctrina, & tamen in Augustini principiis* (male ab ipso intellectis) *est indubitata*. Quartam Propositionem his verbis conceptam: *Semipelagiani admittebant gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei; & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset voluntas humana resistere, vel obtemperare*, docet pariter *Jansenius* c. 12. l. 2. *de Gratia Salvatoris*, & lib. 3. c. 1. post medium, atque ex ejus doctrinæ principiis manifesto sequitur illa Propositio, cum passim dicat *Jansenius*, & quasi totius suæ doctrinæ basim stabiliat, nullam aliam in statu naturæ lapsæ dari gratiam, præter eam, quæ ex natura sua est efficax, & cui resistere, vel obtemperare non est in potestate voluntatis humanæ. Postremo quintam propositionem his verbis conceptam: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; sed mortuus est duntaxat pro salute Prædestinatorum*, tam clare docuit *Jansenius*, præsertim capite 21. lib. 3. *de Gratia Christi Salvatoris*, ut nullum plane de sua mente dubitandi locum reliquerit. In eo siquidem capite generalem voluntatem Dei erga salutem omnium tanquam machinam a Semipelagianis introductam, & a Sanctis Patribus *Augustino, Prospero, Fulgentio*, necnon ab antiqua Ecclesia explosam penitus repudiat, definitque, Christum non esse mortuum pro aliorum salute quam prædestinatorum: *Nullo modo*, inquit, *principiis ejus* (scilicet Augustini) *consentaneum est, ut Christus Dominus, pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, se ipsum Redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur .... Ex quo factum est, ut juxta Sanctissimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit. Sed si quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus justitiæ effectibus rogavit, & pro eisdem obtinendis obtulit pretium, fuditque sanguinem suum*. Adverte, quæso, diligenter Virus Jansenianum latere in his verbis: *Si quid pro illis*, seu reprobis, *patrem rogavit* Christus, *pro temporalibus justitiæ effectibus rogavit*; quibus verbis clarissime docet *Jansenius*, Christum Dominum mortuum quidem esse pro reprobis quoad gratias temporales, quas eis aliquando largitur, sed non esse mortuum pro æterna reproborum salute impertiendo videlicet illis gratias sufficientes, quæ ad æternam eorum salutem ordinentur. Hæc *Jansenii* loca, quæ hactenus non tam retuli, quam digito monstravi, si tu, charissime Discipule, adire & legere non graveris, confestim ultro fateberis, *Jansenii* Discipulos Tiresia, vel talpa esse cæciores, dum jactant, se nec vidisse, nec deprehendisse in libro *Jansenii* quinque propositiones a Summis Pontificibus damnatas, sed potius in eo vidisse ac legisse ipsissimam *S. Augustini* doctrinam; tua te, inquam, ultro fateberis, *Jansenii* Discipulos falsa evidentiæ imagine delusos in duas cæcitateincurrisse, videlicet eos vidisse in libro *Jansenii* ea quæ non sunt, scilicet doctrinam S. *Augustini*, quæ profecto in prædicto libro non est, & non vidisse in libro *Jansenii* ea quæ sunt, videlicet quinque propositiones, quas octo Summi Pontifices, insignes Antistites, qui tum in Gallia, tum alibi floruerunt, celeberrimæ Academiæ, quas inter Parisiensem appellare licet, & innumeri Doctores ac Theologi, in libro *Jansenii* reperiri, & cum ejus doctrinæ principiis esse omnino connexas sæpissime declararunt. Numquid, amabo, Janseniani se ingenii acumine, & oculorum perspicacia tot Pontifices, tot Episcopos, tot Academias, tot Doctores, ac Theologos vincere, & antecellere dicent? Sed hoc esset insolentissimæ & a Sæculis inauditæ superbiæ. Numquid etiam dicent Janseniani, librum *Jansenii* non satis accurato examine fuisse discussum, seque adhuc in defensionem *Jansenii* velle audiri? Sed hoc est non solum imitari Hæreticos Calvinistas, qui quotidie falso querunt, se non satis auditos fuisse, & Episcopos, in Concilio Tridentino summi Pontificis auctoritatem reveritos, non libere dixisse quæ sentirent; verum etiam hæc injusta Discipulorum *Jansenii* petitio reddit vana prorsus atque irrita Summorum Pontificum atque Episcoporum Decreta ac Tribunalia, quæ dirimendis in Ecclesia emergentibus controversiis, & fovendæ tranquillitati Reipublicæ Christianæ Deus instituit. Cum enim quisque, sicut heu nimium! funesta experientia constat suæ opinionis ac sententiæ tenacissimus sit, regnarent æternum in Ecclesia perpetuæ lites, contentiones & jurgia, proculque exularet illa pax, quam suis Christus Dominus reliquit pretiosissimam Hæreditatem. Ab hac ergo injusta petitione, qua iterum audiri volebant, jure optimo exclusi Janseniani, & aliunde coacti in Galliis Regia auctoritate subscribere *Alexandri* VII. Pontificis Maxi-

Maximi *Formulario*, ut vocant, ac solemni juramento affirmare, se damnare quinque famosas Propositiones in sensu libri *Jansenii*, novam fraudem in lubrico versantes excogitarunt. Statuerunt quippe, se Formulario *Alexandri* VII. inscribere posse, & solemni juramento asserere, se damnare quinque Propositiones in sensu libri *Jansenii*, modo circa quæstionem facti se continerent intra limites externæ duntaxat obedientiæ, & Religiosi silentii, licet animo contradicerent, & penes se pro comperto haberent, quinque illas Propositiones revera nec esse in libro *Jansenii*, nec eas in ejusdem Auctoris sensu esse damnatas. Hanc retectam fraudem *Clemens* XI. Pontifex Maximus, Constitutione data anno 1705. damnavit, definivitque, ad subscriptionem Formularii requiri non solum externam, sed etiam internam obedientiam, simplicemque & absolutam mentis & cordis adhæsionem, sine qua externa species obedientiæ nihil aliud est, quam mera simulatio, illusio, hypocrisis, mendacium adversus Spiritum Sanctum, sacrilego etiam perjurio confirmatum ab iis, qui credere se vel sentire jurant super Sancta Evangelia, quod reipse non credunt, vel sentiunt, seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt. Huic igitur Constitutioni *Clementis* XI. Pontificis Maximi, semotis omnibus distinctionibus, subdolis interpretationibus, ancipitis significationis vocibus, & restrictionibus mentalibus, nos constanter adhærentes, dubitare non debemus, quin famosæ illæ quinque Propositiones, ab *Innocentio* X. & *Alexandro* VII. in sensu *Jansenii* damnatæ, hæreticæ sint, justeque in ejusdem Auctoris sensu, quem verba præ se ferunt, confixæ ac proscriptæ, quin Summorum illorum Pontificum Constitutionibus, aliisque ad illarum confirmationem editis Sedis Apostolicæ Decretis, parem debeant fideles omnes promptam exhibere non exteriorem solum, sed internam obedientiam & sinceram animi adhæsionem.

D. Paulo uberius velim hic exponas id quod obiter de *Jansenio* mox observasti, eum videlicet totius Doctrinæ suæ basim in hoc potissimum constituisse, quod velit, nullas alias in statu naturæ lapsę actuales gratias dari, præter eas, quæ sunt ex natura sua efficaces, & quibus resistere vel obtemperare non est in potestate voluntatis humanæ, id quippe si semel eviceris manifesto constabit, fundamentum Doctrinæ *Jansenii* caducum ac ruinosum esse, & ex eo, tanquam ex mala radice, pullulare quinque famosas Propositiones a Romanis Pontificibus confixas.

M. Præcipuum fundamentum, cui totius Doctrinæ *Jansenii* veluti tota moles incumbit, in hoc maxime sistit, quod *Jansenius* nullam in statu naturæ innocentis admittat gratiam ex natura sua efficacem, sed velit, omnem actualem gratiam, quæ a Deo data est *Adamo* in statu innocentiæ constituto, fuisse duntaxat sufficientem, versatilem, e nutu liberi arbitrii pendentem, cuique voluntas *Adami* ita dominaretur, ut eam in omnem partem, quam vellet, pro arbitrio suo flecteret & inclinaret. Cum enim, inquit *Jansenius*, eo in statu innocentiæ felicissimo positus Adamus, sanus esset, viresque haberet integras, voluntatem rectam, libertatis arbitrium robustissimum, nulla pugna passionum, nullo perduellis concupiscentiæ inordinato motu debilitatum aut perturbatum, inde opus non habebat aliquo *Adjutorio quo*, seu Auxilio se ipso efficaci, ad operandum; sed tantum indigebat *Auxilio sine quo*, seu gratia sufficienti, subdita ejus libero arbitrio, præter quam ad bene operandum alia ex parte Dei, quæ esset se ipsa efficax, non esset necessaria. Hinc primo infert *Jansenius*, Voluntatem Dei salvandi homines, eisque præparandi gratias sufficientes ad salutem, pertinuisse duntaxat ad statum innocentiæ. Secundo, ait, bonos Angelos perstitisse in accepta justitia per liberum arbitrium sola adjutum gratia sufficienti, ad omnem usum vertibili, atque ex eorum voluntate suspensa & ei subjecta, ac subinde prædestinationem bonorum Angelorumque ad gloriam a Deo factam fuisse post eorum prævisionem meritorum. Sic *Jansenius* solam versatilem gratiam sufficientem, & Adami Angelorumque libero arbitrio subditam ad bene operandum, & perseverandum in statu innocentiæ necessariam agnoscit, & ab eo statu arcet omnino omnem gratiam suapte natura efficacem. At in statu naturæ lapsæ longe aliter discurrit *Jansenius*. Cum enim ex sola infirmitate naturæ humanæ læsæ ac sauciatæ per primigeniam protoparentis labem necessitatem gratiæ se ipsa efficacis repetendam esse existimet, docet primo, nullas dari in statu naturæ lapsæ gratias sufficientes, utpote omnino inutiles ad sanandam naturam humanam gravissimo infirmitatis pondere depressam, sed omnem gratiam, quæ datur in statu naturę lapsæ, esse se ipsa efficacem, medicinalem, reparantem, sanantem, quæque voluntati tam potenti imperio dominetur, ut nulla ei retinendi, dissentiendique relicta facultate, planeque absorpta libertate, necessario victrici delectatione rapiatur. Secundo, contendit *Jansenius*, Deum in statu naturæ lapsę habere duntaxat Voluntatem consequentem salvandi Electos ac prędestinatos, dando eis Auxilia per se efficacia, Voluntatem vero Antecedentem, qua Deus præparat, vel concedit Auxilia sufficientia, pertinuisse tantummodo ad statum innocentiæ, nec ullum amplius in statu naturæ lapsæ habere locum, aut si adhuc in statu naturæ lapsæ admittatur Voluntas Dei Antecedens salvandi omnes homines, asserit *Jansenius*, quod hæc *Antecedens Voluntas in sola præcisione mentis, adeoque nuda Velleitate, nihil gratiæ causante, consistere potest*. Ita docet ac pluribus in locis inculcat *Jansenius*, sed præsertim Tomo 3. *de Gratia Christi Salvatoris* l. 3. cap. 20. ubi illud Apostoli explicat: *Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Triplex ergo discrimen inter statum naturæ innocentis & statum naturæ lapsę assignat *Jansenius*. Primo, in statu innocentię admittit gratias sufficientes; in statu vero naturę lapsę omnem explodit

dit gratiam sufficientem. Secundo, a statu innocentiæ ablegat gratias per se & ab intrinseco efficaces; in statu vero naturæ lapsæ nullam agnoscit gratiam, præter se ipsa efficacem, quæ, absorpta penitus libertate, voluntatem victrici delectatione necessario rapiat. Tertio, pertendit *Jansenius*, Deum statui naturæ innocenti consuluisse per solam voluntatem Antecedentem, per quam præparabat, vel concedebat gratias sufficientes ad consequendam salutem æternam; statui vero naturæ lapsæ Deum prospicere tantum per voluntatem consequentem, ex qua Deus solis Electis & prædestinatis confert gratias per se efficaces ad salutem æternam obtinendam, ac subinde Deum in statu naturæ lapsæ non præparare, nec concedere reprobis per voluntatem Antecedentem gratias sufficientes necessarias ad salutem, quia in statu naturæ lapsæ, inquit *Jansenius*, Voluntas Dei Antecedens de salute omnium hominum in sola præcisione mentis, adeoque nuda quadam velleitate, nihil gratiæ causante, consistere potest. Expende nunc, quæso te, illud discrimen, quod statuit *Jansenius* inter statum naturæ innocentis & statum naturæ lapsæ, & perspicue intelliges, ex prædicto discrimine, quod ipsi *Jansenio* & prora & puppis fuit, tanquam ex virulento fonte scaturisse quinque famosas Propositiones, quæ unanimi Ecclesiæ consensione fuerunt damnatæ.

D. Paucis verbis complexus es Summam Doctrinæ *Jansenii*, ac veluti integrum ejus Systema, suisque omnibus partibus compactum, quod dum tacitus mecum perpendo, illudque confero cum his, quæ me olim de Divina gratia, juxta germanam *S. Thomæ*, ejusque Scholæ mentem, docuisti, dum Theologiæ operam navabam, sole clarius perspicio, *S. Thomæ* Discipulorum Doctrinam de gratia & libero Arbitrio tam in statu innocentiæ, quam in statu naturæ lapsæ, longe lateque discrepare a Doctrina *Jansenii*. Hæc quippe sunt de Divina gratia Scholæ Thomistarum principia, quæ a te, studiorum meorum duce ac Magistro, olim accepi, quæquæ penitus memoriæ meæ hactenus infixa hæserunt, hærebuntque semper. In primis docent Scholæ *S. Thomæ* Discipuli, necessariam fuisse in statu innocentiæ tam Adamo, quam Angelis ad bene operandum, & perseverandum in accepta justitia gratiam per se efficacem, ideoque dicunt, Adamum & malos Angelos non perseverasse, quia eis defuit donum per se efficax perseverantiæ; bonos vero Angelos perseverasse, quia donum per se efficax perseverantiæ a Deo acceperunt. Volunt etiam Thomistæ, prædestinationem bonorum Angelorum ad gloriam fuisse pure gratuitam, & omnino independentem ab eorum prævisione meritorum. Porro hæc omnia negat *Jansenius*, qui, uti mox ostendisti, eliminat a statu innocentiæ gratias per se efficaces, & contendit bonos Angelos in accepta justitia perseverasse per suum liberum arbitrium, adjutum duntaxat a Deo gratia versatili, indifferenti, & eorum subdita libero Arbitrio, vultque prædestinationem bonorum Angelorum ad gloriam non fuisse gratuitam, sed a Deo factam esse ex illorum prævisione meritorum. Secundo, Scholæ *S. Thomæ* Discipuli fatentur quidem, Adamum in statu innocentiæ, & Angelos, ut possent bene operari, & perseverare in accepta justitia, habuisse gratiam vere sufficientem in suo ordine, idest, ad disponendam, complendam, & perficiendam potentiam bene operandi, & perseverandi; volunt attamen Thomistæ, Adamum in statu Innocentiæ, & Angelos, præter gratiam illam sufficientem in ordine potentiæ opus habuisse ad actu bene operandum & perseverandum gratia se ipsa efficaci. At *Jansenius* nomine gratiæ sufficientis, quam Adamo in statu innocentiæ, & Angelis datam esse dicit, intelligit gratiam versatilem, Adami, & Angelorum libero subditam arbitrio, & ita sufficientem, ut complecteretur omnia, quæ erant necessaria ad actu agendum, & perseverandum, nullaque alia gratia ex parte Dei quæ esset per se efficax ad operandum & perseverandum in accepta justitia, Adamus in statu innocentiæ & Angeli ullo pacto indigerent. Hæc autem doctrinæ *Jansenii* de gratia in statu naturæ innocentis principia e diametro principiis Doctrinæ Scholæ Thomisticæ esse opposita nemo est qui non videat. Nec minor est oppositio Jansenium inter & Scholam Thomisticam circa naturam, necessitatem & efficaciam gratiæ in statu naturæ lapsæ. Nam primo, *Jansenius*, ut mox observasti, nullas in statu naturæ lapsæ agnoscit gratias sufficientes, sed solum admittit gratias per se efficaces: Discipuli vero Scholæ S. Thomæ admittunt gratias sufficientes, non quidem in sensu Moliniano, idest, quæ complectantur omnia, quæ sunt necessaria ad actu operandum, sed gratias sufficientes in sensu Thomistico, hoc est, quæ complent ac perficiunt potentiam bene operandi, præter quas tamen ad actu operandum aliæ ex parte Dei requirantur, quæ sint per se efficaces. Secundo, *Jansenius* gratiæ per se efficacis necessitatem repetit tantum ex infirmitate naturæ læsæ per peccatum originale: Thomistæ vero gratiæ per se efficacis necessitatem hauriunt tum ex infirmitate naturæ peccato originali sauciatæ, tum etiam ex supremo dominio & omnipotentia Dei, ex subordinatione causarum secundarum ad primam, scilicet Deum, & ex indifferentia seu flexibilitate Voluntatis ad operandum. Hinc post Doctorem Angelicum docent omnes ad unum ejus discipuli, hominem in statu naturæ lapsæ ad bene operandum & perseverandum indigere *adjutorio quo*, seu auxilio, quod fit ex utroque capite per se efficax, & quod proinde dicitur *medicinale*, seu *gratia Salvatoris*; Adamo vero in statu innocentiæ, & Angelis ad bene operandum & perseverandum fuisse duntaxat necessarium *adjutorium quo*, seu Auxilium, quod ex secundo capite est per se efficax, quodque Thomistæ *Prædeterminationem Physicam* appellant, sed ipsis non fuisse necessarium *Adjutorium quo*, seu illud Auxilium, quod ex primo capite per se est efficax, quodque dicitur *Auxilium medicinale*, seu *gratia Salvatoris*. Eo quippe *Adjutorio quo medicinali* nec Adamus in statu inno-

innocentiæ, nec Angeli sive ad bene operandum, sive ad perseverandum opus habebant, cum in ipsis nulla esset sananda naturæ infirmitas, & ideo S. *Augustinus* jure optimo l. de *Correptione & gratia* c. 11. & 12. asserit, Adamum in statu innocentiæ opus non habuisse *Adjutorio quo medicinali*, seu Auxilio illo per se efficaci, quo homines in statu naturæ lapsæ ad sanandam naturæ infirmitatem nunc egent. Sic enim ibi loquitur Aquilinus ille Doctor; *Ille*, (seu Adamus) *non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti* (seu homines in statu naturæ lapsæ) *cum dicunt, video aliam legem in membris meis*, sed pugnam passionum, & naturæ infirmitatem, ad quam juvandam, sanandam, & reparandam indigent *Adjutorio quo* per se efficaci medicinali, seu gratia Salvatoris, qua Adamus in statu innocentiæ minime egebat. Ceterum, licet *S. Augustinus* eo in libro *de Correptione & Gratia* contra Semipelagianos, disputando mentionem duntaxat fecerit *Adjutorii quo* per se efficacis medicinalis, seu gratiæ Salvatoris, innumeris tamen in locis, quæ mihi olim indicasti, & adhuc memoria teneo, sed illis referendis, brevitatis ergo, supersedebo, repetit S. ille Doctor & probat efficaciam *Adjutorii quo*, ad operandum omnino necessarii, ex supremo dominio & omnipotentia Dei, & dependentia, seu subordinatione causarum secundarum ad primam, quæ omnes causas secundas determinare, & applicare debet ad operandum, illiusque per se efficacis *Adjutorii quo* necessitatem ad statum tam naturæ lapsæ, quam ad statum innocentiæ, ac subinde ad Adamum & Angelos extendit Sanctus *Augustinus*, sicut ipsum explicat ac interpretatur S. *Thomas*, Doctor Angelicus, ejus fidissimus Discipulus, & in Doctrina præstantissimi illius Magistri, teste ipsomet *Jansenio*, versatissimus, a cujus Angelica interpretatione, quam, ad recte intelligendam in Systemate de gratia genuinam *S. Augustini* Doctrinam, vere clavim regiam, & filum Ariadneum nuncupare possum, dum recessit *Jansenius*, in varios abiit errores ab Ecclesia proscriptos, qui utriusque S. Doctoris, *Augustini*, & *Thomæ*, Scholæ principiis recta fronte opponuntur. Tertio, *Jansenius* non solum gratiam per se efficacem, exclusa gratia sufficienti, in statu naturæ lapsæ dominari pertendit, sed etiam vult eam esse ineluctabilem, & inferre necessitatem humanæ Voluntati, quæ tanta dulcedine, seu victriei delectatione rapitur, ut libertate absorpta, nihil nisi velle possit se ea voluptate rapi, & dulci imperio premi. At Discipuli S. Thomæ gratiam quidem per se efficacem admittunt, asserunt tamen, Deum omnis, & multiformis gratiæ auctorem, ita eam Victricem delectationem temperare, ut licet hominis Voluntas ea gratiæ dulcedine & voluptate se trahi sinat, nihilosecius, cum libertati locus relictus sit, possit trahentem voluptatem non sequi, adeoque semper retineant gratiæ per se efficaci dissentiendi potentiam. Denique *Jansenius* negat, Deum habere in statu naturæ lapsæ voluntatem Antecedentem salvandi omnes homines eisque præparandi auxilia sufficientia ad salutem æternam consequendam. Sed S. *Thomæ* Discipuli docent, Deum, præter eam, quam habet, voluntatem consequentem salvandi in statu naturæ lapsæ electos & prædestinatos, dando illis gratias per se efficaces, quibus infallibiliter salutem æternam consequentur, habere insuper voluntatem antecedentem salvandi omnes homines in statu naturæ lapsæ, eisque præparare gratias sufficientes, in sensu Thomistico intellectas, quibus possunt salutem æternam adipisci; ideo autem non omnes homines salvari docent Thomistæ, quod, cum præter illas gratias sufficientes, quas Deus omnibus hominibus præparat per voluntatem antecedentem, & quibus reprobi salutem æternam consequi possunt, aliæ ad consequendam salutem æternam necessariæ sint gratiæ per se efficaces & donum perseverantiæ, quod Deus solis concedit Electis, & prædestinatis, quorum salutem vult voluntate consequenti; damnentur reprobi, quibus Deus denegat justo judicio gratias illas per se efficaces, & magnum perseverantiæ donum, quibus sua culpa privati, nunquam consequentur salutem æternam, quamvis eam consequi possint per gratias illas sufficientes, in sensu Thomistico intellectas, quas Deus illis præparat per eam, quam habet etiam in statu naturæ lapsæ, voluntatem Antecedentem salvandi omnes homines. Hæc igitur principia Scholæ Discipulorum *S. Thomæ* circa Doctrinam de natura, efficacia & necessitate gratiæ in utroque statu, videlicet innocentiæ, & naturæ lapsæ, quorum notitia me, dum Theologiæ Thomisticæ studium decurrerem, imbuisti, cum attenta mente perpendo, eaque confero cum ea *Jansenii* doctrinæ summa, quam paulo ante exhibuisti, compertum ac exploratum habeo, nihil inter Thomistas, & *Jansenium* commune intercedere. Nec ullos a Doctrina *Jansenii*, jure optimo ab Ecclesia proscripta, remotiores esse posse, quam *S. Thomæ* Discipulos, cum in nullo principio conveniant, nec convenient unquam, quamdiu jactis a suo Magistro inconcussis principiis firmiter adhærebunt.

M. Impense tibi gratulor, quod ex sola notitia Scholæ Thomisticæ principiorum, quæ ut video apprime calles, & alte memoriæ infixa tenes, illico intellexeris, nihil commune in Doctrina de gratia inter Thomistas & *Jansenium* intercedere, ac subinde solam principiorum doctrinæ Discipulorum *S. Thomæ* notitiam sat superque sufficere ad vindicandam Scholam Thomisticam a Jansenismo, quem quidam æmuli obtrectatores ei per summam calumniam impingere tentarunt. Quæ cum ita sint, diutius hic non immorabor in adornanda Apologia ad purgandam ab hac calumnia Thomistarum de gratia Doctrinam, maxime cum ea provincia præclare jam perfuncti sint clarissimi Societatis Jesu Scriptores, *Joannes Martinus Ripalda* l. 2. Operis *adversus errores Michaelis Baji* Disput. 14. Sect. 5. *Joannes Martinonus*, seu per anagramma putum, *Antonius Moraines*, in suo *Antijansenio*, *Franciscus Annatus* in libro Romæ edito, quo tempore *Jansenii* causa penderet, cui & titulum dedit: *Jansenius*

Jenius a Thomistis gratiæ per se ipsam efficacis defensoribus condemnatus, circa quinque Propositiones. Et in *Informatione*, quam idem *Franciscus Annatus* edidit: *de quinque Propositionibus*, aliisque passim libellis, quos sub idem ferme tempus elaboravit, in quibus duodeviginti Thomisticæ ac Jansenianæ Doctrinæ discrimina Lectorum oculis subjecit. Nec prætermittere debeo *Petrum Deschamps*, cultissimum ejusdem Societatis Jesu Scriptorem, qui lib. 2. de *Hæresi Janseniana* Disputatione 3. cap. 3. & Disputatione 6. cap. 9. sic Jansenianos perstringit. *Glorientur licet Janseniani, tot se nuperi dogmatis patronos habere, quot Physicæ prædeterminationis defensores exstiterunt; vere tamen mihi videor dicturus, nullos huic Doctrinæ infensiores reperiri, quam qui post natam Calvini Hæresim, ex S. Dominici Ordine, aliisque ejusdem Sacramenti Theologis, majoris eruditionis & ingenii laude floruerunt*. Hanc illustrium Societatis Jesu Scriptorum in Scholæ Thomisticæ susceptam contra Jansenium, ejusque Discipulos, defensionem comprobarunt innumeri pene Familiæ Dominicanæ Teologi, qui editis libris doctrinam *Jansenii* aperto marte impugnarunt, vel Jansenismi notam, perperam a nonnullis male feriatis obtrectatoribus affictam Scholæ Thomisticæ, instructis Vindiciis, omnique argumentorum genere ab hac celeberrima schola depulerunt, præsertim *Joannes Nicolai*, *Bernardus Guyard*, *Sybilla*, *Vincentius Baronius*, *Antonius Reginaldus*, *Joannes Baptista Gonetus*, *Vincentius Casalas*, *Contensonius*, *Antoninus Massoulié*, *Hyacinthus Serry*, qui vulgatis perdoctis lucubrationibus, sole clarius demonstrarunt, quam immane distet Schola Thomistica a *Jansenii* doctrina sæpius ab Ecclesia confixa. Actum itaque agerem, si post celebres & Societatis Jesu, & Familiæ Dominicanæ Scriptores, qui pro Schola Thomistica contra *Jansenium* ejusque discipulos tam egregias vindicias conscripserunt, ipse in eodem argumento in præsentia versari vellem. Hoc unum duntaxat dicam, non defuturos unquam in Schola Thomistica Theologos, qui pro ejus illibatæ doctrinæ defensione pro aris ac focis pugnabunt, eique objectas calumnias invictæ veritatis clypeo repellent. Quamvis enim expediat aliquando calumnias aliquas contemnere & surda aure præterire, his tamen calumniis, quæ famam cum multorum periculo conjunctam, Fidem, ac Doctrinam impetunt, silentio premere ac dissimulare minime licet. Legimus quippe: *Qui negligit famam, crudelis est*, & legimus: *responde stulto juxta stultitiam suam*. Et Christus Dominus noster ad quædam maledicta obticuit, ad quædam diligenter respondit: Audivit *Samaritanus es*, & dissimulavit, audivit, *dæmonium habes*, & accurate refellit calumniam. Est ergo ubi conveniat *respondere stulto juxta stultitiam suam, ne sibi videatur sapiens*, sicut dicitur Proverbiorum cap. XXVI. Sic respondit Apostolus *Paulus* stulto juxta stultitiam suam *Elymæ* Mago dicens: *O plene omni dolo, & omni fallacia, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere Vias Domini rectas, & nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus & non videns usque ad tempus*, Actorum cap. XIII. Cum igitur *S. Thomæ* Discipuli, qui aliis in Disputationibus Scholasticis religiosæ modestiæ consulere, & paci silentio litare debent, viderint Scholæ suæ Doctrinam calumniis impeti & Jansenismi insimulari, omne tum temporis tenentur abrumpere silentium, Vindicias Doctrinæ suæ palam agere, & respondere stulto juxta stultitiam suam. Alioquin Matris suæ Scholæ, quæ illos suo in sinu fovit, ac Doctrinæ pietatisque lacte aluit, degeneres & ingratissimos filios se proderent, si ullum ipsius causa periculum detrectarent, & si tela in ipsam mendaciorum, & calumniarum amento ab æmulis invidisque obtrectatoribus contorta, objectu proprii corporis excipere, omnique virium suarum conatu justa defensione repellere recusarent.

D. Satis hactenus, mea quidem sententia, huic putidæ de Jansenismo calumniæ respondit Schola Thomistica, quippe quæ dictis, factis, & Scriptis tam aperte declaravit apud omnes, hanc calumniam in se se non competere, ut hæc infamia reciderit in calumniatores. Si quis ergo me, Doctrinæ Scholæ Thomisticæ addictissimum, & a Doctrina quinque Propositionum *Jansenii* penitus alienum, tanquam Jansenianum traducere voluerit, non prolixam certe concinnabo Apologiam, ut hanc retundam calumniam, & a me amoliar hanc Jansenismi notam, sed duntaxat ipsissima verba usurpabo doctissimi Patris *Valeriani*, ex Illustrissima Familia oriundi Ordinis Capucinorum, qui calumniis a nescio quibus impetitus, calumniatores suos in libello, quem Pragæ anno 1656. edidit, provocavit his verbis: *Quapropter hoc experimento edoctus, has recentiores contumelias diluo eadem ratione. Ajo, Auctores illius scripti mentiri impudentissime. Si illa, quæ mihi objiciunt tam acerbe, sunt vera, habent multa Tribunalia, apud quæ me postulent reum; sin vero non audent me provocare, impudentissimum mendacium illis objectum, esto ratum. Hæc sufficiant contestandæ meæ innocentiæ &c.* Sed de Jansenismo hactenus satis. Nunc alios, quæso te, breviter percense Novatores, qui errores, vel Hæreses eodem Sæculo XVII. procuderunt.

M. Prodiit Sæculo XVII. Novator quidam, dictus *Isaccus Pereyrus*, Calvinista, Natione Gallus, qui anno 1655. ausus est asserere, Adamum fuisse duntaxat primum Parentem Judæorum, quorum Historiam *Moses* in libro Geneseos describendam suscepit, sed non fuisse primum parentem Gentilium, ac subinde alios ante Adamum extitisse a Deo creatos homines, quos ideo *Præadamitas* appellavit. Novum istud & perabsurdum Systema ut in vulgus spargeret, ille Hæreticus, duos edidit libros, unum, cui hunc indidit titulum: *Præadamitæ*, sive *Exercitatio super versus XII. XIII. & XIV. Capitis V. Epistolæ ad Romanos*; Alterum, cui hunc præfixit titulum: *Systema Theologicum ex Præadamitarum hypothesi*. Nullum patronum nancisci potuit tam insulsum, tamque male consarcinatum Systema, sed potius ab omnibus, non tam Scriptis, quam sibilis

fibilis explosum est, & merito quidem, cum Scripturæ Sacræ sit aperte contrarium, & duo præcipua Catholicæ Religionis Dogmata ab ipsis fundamentis evertat, sicut breviter his quatuor momentis evinco. Primo, legitur c. V. libri Geneseos vers. V. quod quando Deus formavit, seu creavit hominem, scilicet *Adamum*, de limo terræ, nullus re ipsa erat homo: *Et homo non erat, qui operaretur terram*. Si nullus erat homo, qui operaretur terram, quando Deus formavit Adamum, ergo nulli fuerunt homines ante Adamum, ac subinde nulli *Præadamitæ*, ab illo somniatore *Pereyro* confìcti. Dicitur etiam eodem in capite Geneseos ver. XIX. quod, postquam Deus formasset de humo cuncta animantia terræ, & universa volatilia cæli, *adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea, omne enim, quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*. Credibile autem ne est, si revera ante Adamum extitissent homines, illos cuncta terræ animantia, & volatilia Cæli anonyma reliquisse? Secundo, Auctor Systematis Præadamitarum Chronologiæ Sacri Textus Hebræi, cui omnino consona est Editio nostra vulgata a Concilio Tridentino *Authentica* declarata, præfert Historias Ægyptiorum, Assyriorum, Chaldæorum, & Synarum, quæ supponunt Monarchias fuisse in mundo institutas longe ante tempus quo *Moses* in libro Genesis scribit Adamum fuisse a Deo creatum. Sed non advertit hic Somniator, ejusmodi Orientalium nationum Historias ad aniles fabulas esse ablegandas, utpote quæ scatent infinitis erroribus, & plusquam cimmeriis tenebris in putatione annorum involvuntur, & uni standum esse Historiæ sacræ a *Mose*, divino spiritu afflato, conscriptæ, quę omnibus veritatis characteribus cum sit insignita, fabulosas Nationum Orientalium Historias apertе falsi convenit, sicut docet *S. Augustinus* libri 18. de Civitate Dei cap. 40. his verbis: *Nos vero in nostra religionis Historia fulti auctoritate divina, quidquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant cetera in sæcularibus litteris*. Perperam ergo auctor Systematis Prędamitarum, Historia Sacra valere jussa, cui tamen constanter adhærere debebat, consuluit, & sequutus est Gentilium, seu nationum orientalium Historias, quæ, cum mendaciis & fabulis refertę sint, eum in errorem pręcipitem egerunt. *Nemo* quippe (ut apposite ait *Tertullianus* lib. de Pręscript. cap. 12.) *inde instrui potest, unde destruitur, nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. Quæramus ergo in nostro, & a nostris, & de nostro: idque duntaxat, quod salva regula fidei potest in quęstionem devenire*. Tertio, Auctor Systematis Præadamitarum convellit Catholicum dogma de peccati Originalis ad omnes omnino homines propagatione, quia si revera extitetint homines antę Adamum, illi certe peccatum originale contrahere minime potuerunt, quippe qui nunquam fuerunt in Adamo, tamquam in Capite morali, nec eorum parens dici potest Adamus per seminalem propagationem, per quam tamen, ut docent omnes Theologi, post sanctos Patres, ad omnes homines transfunditur peccatum Originale. Unde etiam sequitur, Verbum Divinum pro illis Præadamitis non fuisse incarnatum, cum motivum Incarnationis sit peccatum Originale, ita ut, juxta probabiliorem Theologorum sententiam, si Adamus non peccasset, Verbum divinum non fuisset incarnatum. Quarto, Auctor Systematis Prędamitarum funditus evertit dogma, quo credimus, Christum Dominum esse mortuum pro omnibus omnino hominibus, ut ait Apostolus Paulus Epist. 2. ad Corinth. cap. 5. vers. 15. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus*; & ad Romanos cap. 5. vers. 18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius*, scilicet Christi, *justitiam in omnes homines in justificationem Vitæ*. Probat Apostolus Paulus, Christum mortuum esse pro omnibus hominibus, ac subinde esse Redemptorem, & Salvatorem omnium hominum, quia omnes homines mortui erant in Adamo; At si extitissent homines ante Adamum, illi non mortui fuissent in Adamo, seu non contraxissent peccatum Originale, ergo pro illis Christus non fuisset mortuus, adeoque Christus, juxta Præadamitarum Systema, dici haud posset Salvator, & Redemptor omnium hominum. Hæc momenta, hactenus a me adducta, plane sufficere debent ad exsuflandum insulsum istud & male consarcinatum Præadamitarum Systema, maxime cum illius Auctor *Isaccus Pereyrus*, post varios casus, variaque discrimina rerum, facti tandem pœnitens, Romam, sedente *Alexandro* VII. supplex veniam petiturus accesserit, ubi anno MDCLVII. publicavit Epistolam ad *Philotimum* directam, in qua exponit rationes, propter quas ejuraverit Sectam *Calvini*, quam ipse profitebatur, & librum de Præadamitis. Attexuit etiam ad calcem ejusdem Epistolæ libellum supplicem, quem porrexit Romano Pontifici, & in quo sui Præadamitarum Systematis palinodiam sincero animo decantat his verbis: *Fateor coram Sanctitate vestra tanquam coram Deo cujus imaginem Sanctitas vestra gerit in Ecclesia Dei, me non latuisse Hypothesim, quæ mihi venit in mentem de primis hominibus ante Adamum conditis, diversam penitus abiisse ab opinione Sanctorum Patrum, necnon aberravisse a toto Orthodoxorum Canone Conciliorum, tanquam Doctrinæ Christianæ fabricam de homine lapso & redempto fundatam fuisse a Patribus & Conciliis super Hypothesim de Ada primo omnium hominum formato, a quo deinceps totum genus humanum derivatum ac propagatum esset*. Sic tandem *Isaccus Pereyrus*, post ejuratam Calvinianam Hæresim quam hactenus professus fuerat, & damnatum suum de chymæricis Præadamitis Systema, sese ad meliorem frugem convertit, & in sinu Ecclesiæ Catholicæ obiit. Sed diversam plane sortem habuerunt duo scelesti homines, *Benedictus Spinosa*, & *Lucilius Vanini*, qui eodem Sæculo XVII. Atheismum profiteri ac docere non erubuerunt, & nefandis cupiditatibus impliciti, nullisque conscien-

tiæ

tiæ stimulis acti, in sua impietate obdurati & occæcati miseri perierunt.

D. Expone, quæso, uberius genus, patriam, Doctrinam, & Gesta tam *Benedicti Spinosæ*, quam *Lucilii Vanini*, quos Sæculo XVII. excusso omnis Religionis jugo, Atheismum profiteri ac docere non puduit.

M. *Benedictus Spinosa*, patria Amstelodamensis fuit, Religione Judæus, postea Judaismi desertor, ac tandem Atheus evasit. Philosophicis Disciplinis, & linguarum Hebraicæ ac Græcæ notitia excultus, Tractatum edidit *Theologico-Politicum*, variaque reliquit Opera posthuma, in quibus purum putumque obtrudit Atheismum. Docet quippe, Deum non distingui a materia, eumque nihil aliud esse, quam substantiam, seu naturam unam extensam simul & cogitantem; omnia vero entia, quæ sunt in mundo, sive animata, sive inanimata, esse duntaxat modificationes hujus substantiæ, ita ut animæ, quibus præditi sunt homines, sint modificationes hujus substantiæ, quatenus est cogitans; cetera vero entia, seu corpora, sint modificationes ejusdem substantiæ, quatenus extensa est. Hoc tam insulsum Paradoxum retulisse, abunde confutasse est. Quis enim non videt impossibile omnino esse, ut eadem substantia sit simul extensa & cogitans? Substantia quippe extensa, materia est, quæ ex se prorsus expers est cogitationis, & substantia cogitans incapax est extensionis, utpote spiritualis. Fingere ergo unicam substantiam in mundo, quę sit extensa, & cogitans, & cujus omnia entia, quæ sunt in mundo, sint tantum modificationes, ab illa substantia realiter non distinctæ, delirium est a Sæculis plane inauditum; sed asserere, Deum non distingui a materia, eumque nihil aliud esse, quam substantiam extensam, & per omnia entia & corpora in mundo diffusam, summa impietas est, quam omnes execrantur in Atheis, *Luciano*, *Lucretio*, *Epicuro*, *Confucio*, Sinarum Philosopho, & in impiis Scriptis *Spinosæ*, in quibus totus est, ut omnes Religiones evertat, sicut testatur *Joannes Baptista Pacichellus* in suis Epistolis Familiaribus Tom. 1. p. 216. ubi hæc habet: *Spinosa Auctor est Tractatus Theologico-Politici, qui Hamburgi anno 1670. in lucem prodiit. Parentibus Judæis natus est, quorum Religionem nunquam ejuravit, nec Christianis sacris baptismo initiatus est. Plurimæ memorantur hujus Viri de Religione sententiæ. In Tractatu prædicto omnium Religionum sed præcipue Judaicæ, & Christianæ eversionem sibi proposuisse videtur, ut Atheismo & Libertinismo aditus pateat, Religiones omnes inventas esse asserit propter bonum quod Reipublicæ evenit, cum plurimum conferat, ut Cives inter se pacem colant, & Magistratibus obediant: Neque admittit ob spem præmii, aut metum pœnarum in altera vita, homines virtutem complecti, sed potius propter virtutis ipsius præstantiam, & commoda, quæ in hac vita ab ejus cultoribus decerpuntur. Qualem de Deo opinionem foveat, non satis aperte prodit. Videtur tamen innuere, Deum sibi non videri ens summe perfectum, intelligentia præditum, & felicissimum, qualem homines vulgo sibi suadent, sed solam virtutem singulis rebus inditam, & per omnia diffusam, unicum esse Numen. Hagæ Comitis ubi aliquando hæsit, crebro invisebatur ab omnibus novitatum paulo amantioribus, etiam a puellis melioris notæ, quæ sibi de ingenio blandiebantur, & supra sui sexus sortem sapere cupiebant. In Hollandia, ubi maxime serpit hæc pestis, Spinosistæ non se audent in publicum proferre, nec rotunde animi sensa exprimere, Magistratuum Decretis coerciti. Multas novas & inauditas sententias, quæque a communibus hominum opinionibus abhorrent, in lucem prodidit Spinosa. Quas inter vel illa mirabilis est, quam de Prophetiæ dono vulgavit, quod vi imaginativæ fortiori attribuit. Verbo absolvam, totus in eo est, ut Religionem ad normam suæ Philosophiæ, quæ in multis errat, effingat.* Atheismi virus quod in suo Tractatu Theologico Politico de industria occultaverat *Spinosa*, aperte postea effudit ac propalavit in suis operibus posthumis, quæ nunc in Hollandia (quod sane nullatenus ferendum esset) in Officinis venalia prostant. *Spinosam* in professione Atheismi præcessit *Lucilius Vanini*, patria Neapolitanus, qui sub initium Sæculi XVII. humaniorum litterarum haud mediocri notitia præditus, in Gallias venit, ubi in cœno libidinum demersus, inter Epulas, convivia & crapulas, quibus, cum nonnullis ganeonibus, & projectæ conscientiæ juvenibus, affatim indulgebat, perfricta fronte negavit Dei supremi rerum omnium conditoris existentiam, animæ rationalis immortalitatem, Infernum, Paradisum, ceteraque id genus, quæ vel ipsa ratio, vel Religio de Deo, & de altera vita docent, tanquam aniles fabulas, & inania commenta derisit, atque in aliquot libellis, quos in Galliis edidit, & in vulgus temere sparsit, Atheismum sub verborum involucris data opera obtexit, ut incautos facilius deciperet, & declinaret omnium odium, quod semel manifestata ejus impietas confestim in ipsum concitasset. At, ut vulgo dicitur, frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Detectus siquidem est *Lucilii Vanini* Atheismus, & Decreto Senatus Tolosani captus ipse & in carcerem conjectus, ut periclitanti vitæ suæ consuleret, se Catholicum esse simulavit, ac ore, sermone, necnon frequenti Sacramentorum Ecclesiæ Pœnitentiæ, & Eucharistiæ perceptione, speciem Catholici effinxit, ac mentitus est, quamdiu pristinam libertatem recuperandi aliqua ei affulsit spes. Sed statim ac Senatus Tolosanus, post maturum ac diuturnum examen Sententiam mortis in ipsum tulisset, furere cœpit ille impius, Deum hominumque irrisor, palamque Atheismum professus est. Quocirca post præcisam sacrilegam ejus linguam, qua tot blasphemias in Deum, in Christum Salvatorem nostrum, & in Religionem evomuerat, die 9. mensis Februar. an. 1619. in impietate sua pertinax, vivus comburi jussus est, & merito quidem; indignus est enim vitæ quisquis Deum vitæ Auctorem negat, quem ipsa ratio naturalis demonstrat, quem Orbis universus prædicat, quem omnis natio quantumvis barbara, omnis homo quantumvis inhumanus, & ferus, incultus, &

plumbeus, sive Gentilis, sive Judæus, sive Latinus, sive Græcus, Afer, & Scytha, Indus & Danus; à mari ad mare, nobilis & ignobilis, pius & impius, ipse quoque licet perditissimus *Atheus*, Dei inimicus, in vitæ extremis, in discrimine mortis positus agnoscit, ad Deum recurrit & inclamat, sicut contigit huic *Lucilio Vanini*, qui irrevocabili Decreto morti se addictum dolens exclamavit, o *Deus*, nec tamen resipuit, sed adstantibus eum interrogantibus his verbis: *Fateris igitur esse Deum?* Respondit scelestus ille Atheus: *hic est modus loquendi*, & vocem illam, existentiam Dei confitentem, quæ ex primævo naturæ instinctu erumpit, quamque eleganter *Tertullianus* appellat *Testimonium animæ naturaliter Christianæ*, obstinatione sua præfocavit in corde quidem, sed non in mente, quia, ut ait Propheta Regius Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*. In corde, inquit, non in mente; quia Athei, ut vitiis libere indulgeant, & scelerum conscientia & angoribus non exedantur, nollent dari Deum, quem ignorare haud possunt, quemve flagitiorum ultorem timent. Falsæ libertatis, & impunitatis libido parit in illis odium legis, & legis odium procreat Legislatoris tædium, quod postea in ejusdem exterminium prorumpit. In summa eo collimant impii & Athei, ut securitatem sibi quærant, atque licentiam faciendi quidquid libuerit, ut subintret impietas inverecunda, impavida circa illicitum regnet audacia, & timor omnis penitus excutiatur, dum nec pœna timetur, nec a Deo ullum commodum speratur; hunc, idem Propheta Regius, postquam ait: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, continuo tantæ Atheorum insaniæ causam detegens subdit: *corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis*.

D. Hanc esse veram & unicam Atheorum insaniæ causam satis ipse compertum habeo ex his, quæ duobus abhinc annis Romæ propriis oculis vidi & audivi, dum in Ecclesia *S. Mariæ* super Minervam, Ord. Prædicatorum, præsentibus Cardinalibus, Prælatis, Consultoribus, Ministris Tribunalis S. Officii; inspectantibus ex variis cancellis, hinc inde per Ecclesiam dispositis, Principibus & nobilibus Romanis, ac concurrente ad hoc spectaculum tota ex urbe populo, quinque nequissimi viri oriundi Velitris, quæ urbs est Volscorum, viginti mille passuum Roma distans, Atheismum publice ejurarunt. Horum primus, & aliorum quatuor Antesignanus, erat *Silvester Legni*, alter *Joannes Vecchioli*, tertius *Julius Legni* filius prænominati *Silvestri Legni*, quartus *Bonaventura Arigoni*, postremus *Bernardinus Salviati*. Dolore, fateor, contabui & obrigui timore, dum alta voce legerentur impietates, quarum rei manifesto & ex propria Confessione convicti sunt flagitiosissimi illi homines, negantes existentiam Dei, immortalitatem animæ rationalis, Infernum & Paradisum. Dum audivi sacrilegas, & hactenus inauditas blasphemias, quas in Christum Dominum Salvatorem nostrum infruniro ore proferre soliti erant, necnon execranda libidinum monstra, quibus se se turpiter fœdabant, quæ hic referre pudor vetat, quæque non aliter, quam vivicomburio expiari debebant, mitiori tamen pœna in eos animadversum est, quia impietates suas non solum confessi, sed etiam coram Tribunali Sacræ Inquisitionis detestati sunt, easque palam induti habito pœnitentiæ ejurarunt in Ecclesia *S. Mariæ* super Minervam, ubi a Reverendissimo Patre *Ludovico Maria Lucino*, Ordinis Prædicatorum, Sanctæ Romanæ Inquisitionis Commissario Generali, ab excommunicatione majori, quam incurrerant, fuerunt absoluti, & postea ad plangenda peccata sua, & impietates salutari pœnitentia expiandas in carceribus Sancti Officii reclusi sunt cum hoc tamen discrimine, quod *Silvester Legni*, qui alios ætate & impietate superabat, quique atheismum ejuravit die 25. mensis Januar. an. 1719. duro, arcto, & perpetuo carceri mancipatus sit; Alter, seu *Joannes Vecchioli*, qui itidem die 25. Januar. ejusdem anni Atheismum ejuravit, carceri ad septennium addictus sit; Tertio, seu *Julio Legni*, qui Atheismum ejuravit die 26. ejusdem mensis an. MDCCXIX. quique impietate Patrem suum æquabat, eadem ac patri imposita fuerit pœna, seu durus, arctus, ac perpetuus carcer. Denique alii duo, seu *Bonaventura Arigoni*, & *Bernardinus Salviati*, qui pariter die XXVI. ejusdem mensis & anni Atheismum ejurarunt, pœnam carceris ad decennium subire jussi sint. Sic ubique terrarum puniri ac coerceri deberent impii illi homines, qui juvenum animos pravis colloquiis corrumpunt, eosque, falsæ libertatis, & in vitiis vitæque deliciis immunitatis promissa securitate, sensim sine sensu in Atheismum præcipitant his verbis, quæ sacer Auctor libri *Sapientiæ* cap. 2. refert: *Exiguum*, inquit, *& cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab Inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus; quoniam fumus flatus est in naribus nostris, & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum, qua extincta, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aer; & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis*. Ex his semel jactis Atheismi impiis principiis funestas istas deducunt consecutiones, quas ibi memorat sacer libri *Sapientiæ* Auctor: *Venite ergo*, inquiunt, *& fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis ...... Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ ...... opprimamus pauperem justum, & non parcamus Viduæ, nec Veterani revereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra Lex justitiæ &c.* Sed, missis Atheis, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, errores aliorum Sæculi XVII. Novatorum perstringe, & eorum Catalogo finem impone.

M. Duo alii Novatores, præter eos, quorum hactenus memini, Sæculo XVII. emerserunt, videlicet *Marcus Antonius de Dominis*, & *Edmundus Richerius*, quorum primus, olim Religiosus Societatis Jesu, deinde Archiepiscopus Spalatensis, Dalmatiæ & Croatiæ Primas, innata ani-

animi levitate ex Romanæ Ecclesiæ alumno, sævus ipsius perduellis; ex Catholico, Apostata; ex Pastore, Idolum; ex Episcopo, lupus; ex Præsule, transfuga, ex Fidei Magistro, tandem Schismaticus & Hæreticus factus, in Angliam se recepit, ubi duo ingentia Volumina contra Fidem Catholicam, & Pontificiam Auctoritatem evulgavit, quæ inscripsit *de Republica Christiana*. Infaustus ille prædicti Archiepiscopi in Apostasiam, & Hæresim lapsus originem habuit ex ipsius superbia, invidia, inanis gloriæ cupiditate, improbis moribus, studio novitatis, & acerrimo odio in Romanum Pontificem, cujus auctoritatem ac Primatum totis viribus impetere, ac penitus convellere tentavit in suis libris *de Republica Christiana*, ubi sæpius inculcat, S. *Petrum non habuisse supremum in Ecclesiam Principatum, nec formaliter, & vere, sed potius parabolice Claves recepisse a Domino: Papam in Episcopos nullam potestatem habere, aut exercere posse: Potestatem Episcopi non pendere a Papa, sed æqualem cum Papa habere in tota Ecclesia: Ecclesiam Romanam paucarum duntaxat Ecclesiarum esse Caput, & ejus praeminentiam ab Urbis magnitudine pendere: Papam Romanum non esse vere Petri Successorem*. Ait, *in Ecclesia Romana Scripturam Sacram ad sensus vanos, inutiles, ac impertinentes, immo etiam perniciosos detorqueri: miserabiliter populum deludi, inventaque avaritiæ & ambitionis pro Sanctis Fidei dogmatibus, non sine superstitionibus obtrudi & inculcari: Romæ absque ullo fundamento, immo per summam vim innumeros Fidei articulos novos quotidie cudi*. Denique, *Marcus Antonius de Dominis*, ut missos faciam ceteros ejus errores, supra Ecclesiam, supra omnes Ecclesiæ Episcopos, supra Concilia, supra Sanctos Patres se erigit, ac solum se sapere prædicat; antiquorum & recentiorum Hæreticorum calumnias in Catholicam & Romanam Ecclesiam refricat, eam adulteram appellat, quam tamen, ut alibi ostendimus, ceu veram ac legitimam Ecclesiam, & incorruptam Christi Sponsam, omnia priora Sæcula agnoverunt, eamque nunc solam in terris esse Ecclesiam Dei, nullo unquam errore aut infidelitate prosternendam, Sole meridiano clarius probant ipsum Catholicæ nomen, ipsa cultus ac Religionis unitas, ipsa fidei antiquitas, & consensio, ipsa doctrinæ sinceritas, & cum antiqua doctrina conspiratio, ipsa legitima Pontificum successio, ipsa morum sanctimonia, ac miraculorum evidentia, & postremo, ipsa Romanæ Ecclesiæ constantia, atque invictum robur, quo omnibus Hæresibus, ac persecutionibus, quibus sæpius exagitata fuit, superior evasit, juxta Oraculum Christi Domini, dicentis S. *Petro* Apostolorum Principi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*.

D. Nunquid tandem resipuit infelix ille *Marcus Antonius de Dominis*, qui tanquam novus e cœlo Lucifer, e sublimi Archiepiscopalis dignitatis Arce dejectus, in Apostasiam, & in Hæresim corruit?

Gravef. Hist. Tom. VIII.

M. *Marcus Antonius de Dominis*, qui anno MDCXVI. Fidei Catholicæ desertor in Angliam secesserat, ad se postea reversus & Vitam Hæreticorum pertæsus, Consilium sapientissimum, divina adspirante gratia, & admissi sceleris stimulis agitatus cepit ad gremium Catholicæ Romanæ Ecclesiæ redeundi, illudque abjecta omni procrastinatione perfecit, adjutus præsertim patrocinio Oratoris Hispaniarum Regis in Anglia commorantis, qui illum de venia obtinenda spem inter & metum adhuc fluctuantem confirmavit, & nomine Romani Pontificis *Gregorii* XV. plene securum reddidit. Ex Anglia itaque profectus *Marcus Antonius de Dominis* Romam pervenit ad finem mensis Novembris an. 1622. ibique ad pedes SS. Pontificis provolutus, & lacrymarum imbribus perfusus, in hæc verba prorupit: *Pater peccavi in Cœlum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus, sed fac me sicut unum de mercenariis tuis: Erravi, sicut ovis, quæ periit, quære, Beatissime Pater servum tuum, quia mandata Dei & Ecclesiæ non sum oblitus*. Hæc ubi dixisset, suorum errorum palinodiam cecinit, Hæresim ejuravit, & Scriptionem edidit, qua distinctim revocavit, quæcumque adversus Ecclesiæ doctrinam scripturierat, eademque confutavit. At, *Marcus Antonius de Dominis*, licet summam Romani Pontificis benignitatem fuisset expertus, diu tamen in Fide Catholica constans non permansit: Vidisti eum Fidei Catholicæ desertorem & Apostatam, vidisti eum ad Ecclesiæ Catholicæ gremium revertentem, suosque errores revocantem; vide illum nunc in eosdem errores relabentem, adeo vario & inconstanti erat animo, ut illud *Terentii* vere usurpare posset: *Quod volo, nolo, quod nolo, volo*. Anno siquidem MDCXXIV. seu biennio postquam ex Anglia Romam redux suos errores ejurasset, ad vomitum reversus est, novaque per Litteras de Hæresi cum Anglis inire Consilia detectus, in Arcem Sancti Angeli, jussu Romani Pontificis *Urbani* VIII. tunc sedentis, conjectus fuit, ubi paulo post, cum jam senex, pinguis & obesus esset, gravi morbo correptus, visus est (teste *Spondano* in Annalium Ecclesiæ Continuatione ad annum 1624. num. 11.) ad cor redire, detestarique errores, ac propediem moriturus Sacramentis Ecclesiæ munitus est, cum signis pœnitentiæ. Nihilosecius corpus ejus, ob relapsum, de quo certissime constabat, cum impiis ejus Scriptis, in exemplum & terrorem aliorum, manu carnificis in Campo Floræ publice combustum est mense Decembri, quo e vita migravit.

D. Obtigitne eadem sors *Edmundo Richerio*, alteri, quem mox appellasti, Sæculi XVII. Novatori?

M. *Edmundus Richerius*, Natione Gallus, Presbyter Lingonensis, Doctor Theologus Sacræ Facultatis Parisiensis, librum edidit *de Ecclesiastica & Politica potestate*, in quo Auctoritatem Romani Pontificis & Ecclesiæ deprimebat, & Politicam potestatem nimium extollebat. Sed hic male natus liber statim damnatus est a Synodo Parisiensi, quam Cardinalis *Perronius*, Metropolitanus Senonensis, an. 1612.

1612. una cum suis septem Episcopis Suffraganeis celebravit. Proscriptus est etiam idem liber in Synodo Aquensi, quam *Paulus*, Aquensis Archiepiscopus, eodem anno convocavit. Multi in hunc librum calamum acuerunt, sed præsertim *Andreas Duvallius*, insignis Doctor Sorbonicus, & Regius Theologiæ professor in Academia Parisiensi Primarius. Pœnam suæ temeritatis luit *Edmundus Richerius*, quippe qui Regia Auctoritate & Decreto Sacræ Facultatis Parisiensis depositus est Officio Syndici ejusdem Facultatis, quod tum temporis gerebat. Tandem *Richerius*, facti pœnitens, declarationem die 7. Decembris an. 1629. coram testibus edidit a se scriptam & obsignatam, qua se, libellumque suum *de Ecclesiastica, & Politica potestate*, ac quascumque ejus propositiones, Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & S. Sedis Apostolicæ judicio subjicere affirmat, eam Matrem & Magistram omnium Ecclesiarum, & infallibilem Veritatis Judicem agnoscens, & eas, quatenus eidem Romanæ Ecclesiæ essent contrariæ, improbavit & condemnavit, hancque Declarationem suam consignavit Eminentissimo Cardinali *Richelio*, Provisori Domus Sorbonæ. Occasione istius libri ab *Edmundo Richerio* editi, Sacra Facultas Parisiensis (sicut observat *Spondanus* in Annalibus Ecclesiæ ad an. MDCXXIX. Num. X.) decrevit, ut deinceps renovaretur mos antiquus & laudabilis, a quibusdam omitti cœptus, videlicet ut quicumque ejusdem Facultatis Baccalaureus, in Theologiæ Actibus respondens, juraret in Decreta Summorum Pontificum. Quem morem retinet etiamnum Sacra illa Parisiensis Facultas, & a Baccalaureis in Actibus Theologicis adamussim servari curat. Observat etiam idem *Spondanus* ad ann. MDCXXIX. num. 1. prodiisse eodem anno Parisiis, absque Auctoris, aut typographi nomine, & edendi facultate, duo grandia Volumina vulgari idiomate Gallico, sub specioso titulo *Jurium & Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, earumque Probationum*; quæ, cum multa continerent libertati Ecclesiæ contraria, & ad excitandum Schisma tendentia, fuerunt statim Censura Cardinalium, & Ecclesiæ Gallicanæ Antistitum, qui hoc anno 1639. Parisiis reperti sunt numero viginti, omnino proscripta atque damnata: *Nescit enim*, subdit Spondanus, *Ecclesia Gallicana Libertates, quæ malum operentur: nescit Jura, quæ illam a Romanæ Matris suæ firmissima connexione, & filiali obedientia divellant ac separent. Quæ vero legitima sunt Privilegia, & sinceræ Libertates tam ipsius Ecclesiæ, quam Regis & Regni, eas ad sanguinem usque parata est defendere ac tueri*. Omnium Novatorum, qui Sæculo XVII. errores disseminarunt, agmen claudet *Josephus Franciscus Borri*, Mediolanensis, qui, spretis piis ac salutaribus documentis, quibus in Seminario Romano Disciplina Patrum Societatis Jesu imbutus fuerat, contaminata vita, pestilentibus exemplis, virulentis colloquiis, & absurdissimis erroribus otiosos quosdam homines velut quodam contagio morbi, infecit. Jactabat se esse *Christum*, qui totum Orbem debebat suis subdere legibus, novam fidem, novos ritus, novam Ecclesiam instituere. Visiones Angelorum, miracula, & nescio quas prædictiones ineptissime obtrudebat. De Mysterio Sanctissimæ Trinitatis impie garriebat, & Beatam *Mariam* Virginem *Deam* esse effutiebat, aliaque perinde ridicula procudebat dogmata, quæ ut per totum Orbem disseminare posset, duodecim Socios, velut totidem Apostolos, sibi delegit lymphaticus ille Novator, quibus quod satis festivum ac lepidum est, Regnorum dominia, amplissimas opes, & aureos montes pollicitus est. At pro thesauro, carbones, & pro Regnis, opibusque, carceres, exilia, expoliationem bonorum, variasque calamitates offenderunt delusi illi pseudo-Apostoli; Roma siquidem *Josephus Borri* sub Pontificatu *Alexandri* VII. præcipiti fuga cum suis sociis secedere coactus, Mediolanum, patriam suam, se recepit, ubi diu nec ipse, nec ejus pseudo-Apostoli pedem figere potuerunt. Detecti quippe a vigilantissimo hujus urbis Fidei Inquisitore, tanquam mures in pice, capti sunt, quorum alii carceribus mancipati, alii in exilium acti, & bonis omnibus privati, alii mulctati pœnis, quæ hæreticis ex jure infligi solent, sero intellexerunt, se vana spe lactatos, falsisque promissis a suo Antesignano *Josepho Borri* fuisse inescatos. Suis Sociis cautior, ac felicior *Josephus Borri* e naufragio enatavit, atque tempestive fugam arripiens venit in Germaniam, dein in Bataviam, & inde in Daniam, ita ut, instar alterius *Caini*, per universam terram profugus videretur. Tandem in Germaniam reversus, ibi captus est, & a *Leopoldo* Imperatore traditus Summo Pontifici *Clementi X.* ea tamen lege, ut ejus Vitæ, quamvis multis sceleribus conspurcatæ, parceretur. Tunc *Josephus Borri*, post salutares pœnitentias, & exhortationes, rediit ad sanam mentem, quam jam pridem emotam ipse, licet peritus Medicus, sumpto helleboro, hactenus curare noluerat. Nec solum deliria sua, divina effulgente gratia, agnovit *Josephus Borri*, verum etiam solemni execratione ea juravit in Ecclesia *S. Mariæ* super Minervam, Ord. Prædicatorum, die 27. mensis Septembris anni 1672. & a Censuris absolutus, atque, uti moris est, habitu Pœnitentiæ indutus, in Carceres Sancti Officii primum detrusus est, inde postea ad Molem Hadriani, quæ nunc Arx Sancti Angeli appellatur, translatus fuit, ubi, editis veræ pœnitentiæ, ac sinceræ conversionis signis (sicut fidem faciunt adhuc superstites viri, probatissimæ fidei & oculati testes) ex hac vita migravit. Consulto prætermisi Sectam, quæ dicitur *Illuminatorum*, quæque in Hispania Sæculo XVII. hoc est, circa annum 1623. sub Pontificatu *Urbani* VIII. erupit; consulto, inquam, hanc Sectam prætermisi, quia eadem plane est ac Secta *Quietistarum*, seu spuriorum Mysticorum, quam *Michael Molinos* per Italiam propagavit, & de qua plura superius diximus. *Bonaventura Malvasia* in *Catalogo Hæresum* Centuria decima sexta refert sexaginta sex propositiones, quas ab his Sectariis, dictis *Illuminatis*, assertas *Andreas Paccecus*, Supremus in Hispaniarum Regno Fidei In-

Inquisitor, damnavit, ex quibus aliquas hic inferam, ut facilius intelligas, hanc *Illuminatorum* Sectam non discrepasse a Secta *Quietistarum*, seu discipulorum *Michaelis Molinos*, quamvis eam tempore præcesserit. In primis, asserebant hi Sectarii, qui *Illuminati* dicebantur, *Mentalem Orationem Divino præcepto adeo imperatam esse, ut per eam omnia impleantur*. Secundo, *Dei Servos nec laborare debere, nec Prælato ulli obedire, quando mentalis oratio impeditur*. Tertio, *in elevatione Sanctissimi Sacramenti claudendos esse oculos*. Quarto, *eum, qui pervenerit ad certum perfectionis statum, nec videre posse sacras Imagines, nec divinum Verbum audire, neque alia facere, huic Sectæ & doctrinæ contraria*. Quinto, *Orationem & abstinentiam non posse diu simul, nisi miraculo, consistere*. Sexto, *Orantem ita se debere in Dei præsentiam colligere, ut nec discurrat, nec meditetur vel passionem, vel humanitatem Christi*. Septimo, *eum, qui orationi mentali vacat, posse ab audienda Missa etiam diebus festis abstinere*. Octavo, *posse hominem ad eum perfectionis gradum pervenire, ut gratia animæ facultates submergat, nec possit anima vel progredi, vel retrogredi, & ad eum perfectionis statum pervenire, ut Sanctorum intercessione non egeat*. Nono, *Illuminatos spernere debere omnes Theologos & Concionatores*. Denique, ut ceteros prætermittam errores, dictitabant isti Sectarii, *Actus eo magis meritorios esse, quo minor est sensibilis devotio, & turpes actus, & inhonestos tactus cum Secta suæ fœminis ac puellis, non esse peccata, immo virtutes potius ac pietatem*. Confer nunc hanc Sectæ *Illuminatorum* doctrinam, cum doctrina Sectæ *Quietistarum*, seu, discipulorum *Michaelis Molinos*, quam superius exposuimus, & confestim intelliges, tantam esse inter utramque doctrinam spurcitiæ principiorum affinitatem ac similitudinem, ut ovum non videretur alteri ovo similius. Idem judicium ferendum esse censeo de altera quadam Secta, quæ sub finem Sæculi XVII. in Brixia, Urbe Ditionis Venetorum, & in aliis vicinis locis late diffusa est, dictaque fuit *Pelaginorum* Secta, a quodam *Jacobo Philippo a Sancta Pelagia*, Viro Mediolanensi Laico, qui ejusmodi Sectam ex obscœnis ac turpissimis Illuminatorum ac Quietistarum doctrinæ principiis conflatam invexit, in cujus propudiosis ac nefandis referendis erroribus necesse non est, ut hic diutius immoremur, maxime, cum *Petrus Ottoboni*, patria Venetus (qui tum temporis erat Episcopus Brixiæ, & postea ad Summum Pontificatum evectus, dictus est *Alexander Octavus*) hanc *Pelaginorum* Sectam, malam Quietistarum Sectæ propaginem, in tota Brixiensi Diœcesi late instar cancri serpentem, summa adhibita industria detexerit, eamque detectam feliciter extinxerit, sicut jam observavimus in superiori Colloquio. Sed de hæresibus, erroribus, ac Sectis Sæculi XVII. hæc satis superque hactenus dicta sufficiant.

D. Plenam quidem & accuratam errorum, Hæresum, & Sectarum Sæculi XVII. notitiam huc usque tradidisti, sed necdum exposuisti originem & progressum Controversiarum, quæ eodem Sæculo inter Catholicos fuerunt agitatæ.

M. Duæ potissimum Sæculo XVII. exortæ sunt inter Catholicos Controversiæ, quarum prima, licet in Anglia originem habuerit, graves tamen in Galliis excitavit tumultus; altera vero in Galliis enata est ex diversa Interpretatione Canonis II. Concilii I. Arausicani. Exordium, progressum atque exitum harumce duarum Controversiarum breviter expositurus, incipiam a prima Controversia, cui nonnulli e Clero Anglicano Catholici locum & occasionem dederunt. At enim, cum Catholica Ecclesia Anglicana, mortuo Illustrissimo Antistite *Guillelmo Bishopio*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore Sorbonico, qui ad eam a *Gregorio* XV. Pontifice Maximo fuerat delegatus, Pastore fuisset orbata; Sanctissimus Pontifex *Urbanus* VIII. ad eamdem Ecclesiam Reverendiss. *Richardum Smithæum*, Episcopum Chalcedonensem, instructum Ordinarii potestate, direxit. Jussis Romani Pontificis morem gessit prædictus Episcopus, & omni semota cunctatione, in Angliam delatus, cum debita reverentia, & obsequentissimis, ut par erat, animis, ab omni populo Catholico susceptus est. Sed progressu temporis, injecto discordiæ pomo quidam e Clero Anglicano Catholici, moti certis quibusdam rationibus, quas hic silentio premere consultius esse duco, huic Episcopo, licet Cleri & Populi Anglicani Votis diu optato, & afflictæ huic Ecclesiæ omnino necessario, negotium facessere cœperunt, & Laicis ac rudioribus Angliæ Catholicis suggerere rationes, quibus debitam *Urbano* VIII. Pontifici Maximo, a quo jam laudatus Episcopus in Angliam fuerat delegatus, obedientiam eluderent. Ejusmodi turbas inter Catholicos Cleri Anglicani intempestive excitatas, nec non molestias, quas quidam delusi Catholici Angli optimo Episcopo, qui a Romano Pontifice missus erat, continuo exhibebant, ægre admodum tulerunt omnes Viri pii, & ad pacem postliminio revocandam, atque tuendam & asserendam Episcopalem Auctoritatem suas omnes curas ac labores contulerunt, præsertim Doctor *Kellisonus*, Duacensis Anglorum Collegii Rector, qui scripsit Anglice, ac in lucem edidit Tractatum, *de Hierarchia Ecclesiastica*, ut adstrueret & commendaret Episcopalem Auctoritatem, tot oraculis Scripturæ Sacræ, tot Sæculorum antiquitate firmatam, quam pauci e Clero Anglicano Catholici delusa mente deprimere pro viribus satagebant. Huic Doctoris *Kellisoni* libro, ubi primum in lucem prodiit, quidam Anglus Catholicus, unus videlicet ex iis, qui Episcopo infensi erant, confestim respondit altero libro, Anglice itidem conscripto, cui titulus erat: *Modesta & brevis Discussio &c.* Sed cum prædicta *Discussio* approbationes præferret duorum Regularium, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctorum, Clerus Anglicanus Catholicus propositiones quasdam ex eodem libro excerptas, atque in Latinum conversas, ad eamdem Sacram Facultatem Parisiensem misit, ut ipsa decerneret, quid de ejusmodi propositionibus sentiendum esset? Hanc provinciam ultro suscepit Sacra Parisiensis Facultas. Sed

F 4 cum

cum ejusmodi propositiones in Comitiis ejusdem Facultatis Parisiensis ventilarentur, ac maturo examine discuterentur, editus est ab uno ex his Cleri Anglicani Catholicis, qui Episcopo Chalcedonensi, Summo Pontifice in Angliam misso, parere detrectant, alter libellus, Anglice etiam scriptus, cui titulus erat: *Apologia pro modo procedendi Sedis Apostolicæ &c.* Hi igitur duo libelli longo tempore a Sacra Facultate Parisiensi fuerunt discussi, ac tandem in Generalibus Comitiis apud Sorbonam habitis die 15. Februarii anni 1631. post diuturnam, solemnemque deliberationem proscripti sunt. Priusquam tamen hæc Facultatis Parisiensis vulgaretur Censura, Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis omnes illos Anglicanorum libellorum errores damnaverat generali Censura, quæ sic inscripta erat: *Censura Illustrissimi & Reverendissimi in Christo Patris & Domini D. Parisiensis Archiepiscopi, die trigesimo mensis Januarii præsentis anni* 1631. *lata in quasdam Propositiones Hibernicas, & duos libellos Anglicanos, quorum prioris titulus est*, Modesta & brevis Discussio aliquarum Propositionum Doctoris Kellisoni in Tractatu de Hierarchia Ecclesiastica, Auctore Nicolao Smithæo: *Posterioris vero*: Apologia pro modo procedendi Sanctæ Sedis Apostolicæ, in regendis Angliæ Catholicis tempore persecutionis, *Auctore Daniele a Jesu Parisiis ex Officina Roberti Stephani* 1631. Hanc Censuram prædictorum librorum Anglicanorum ab Illustrissimo Archiepiscopo Parisiensi factam subsecutæ sunt paulo post aliæ duæ Censuræ, quarum primam illustrissimi Galliarum Antistites, qui tum Parisiis agebant, promulgarunt in Epistola Encyclica, quam scripserunt ad omnes Archiepiscopos & Episcopos Regni Galliæ anno 1631. Alteram Censuram edidit Sacra Facultas Parisiensis, cujus hic titulus erat; *Censura Propositionum quarundam tum ex Hibernia, tum ex duobus libris, Anglico sermone conscriptis, in latinum bona fide conversis, excerptarum, per Sacram Theologiæ Facultatem Parisiensem facta, Parisiis adud Carolum Morellum* 1631. Major & sanior Cleri Anglicani Catholici portio, conspirante secum fidelis populi multitudine, inviolabili obedientia adhæsit Reverendissimo Episcopo Chalcedonensi, plures pro eo Apologias adornavit, omnique ope ac studio contendit, ut Antistitis sui, toties a Deo expetiti, ac tandem a Sede Apostolica concessi, famam ac dignitatem illæsam inviolatamque tueretur. Verum, hæc Cleri Anglicani Catholici pro Pastore suo solicitudo sicut coram Deo mercede non caruit, ita eo, quem sperabat, fine frustrata est. Illustriss. quippe *Richardus Smithæus*, Episcopus Chalcedonensis, tot in Anglia insidiis petitus, tot turbis ac præstigiis vexatus, tandem ex Anglia, ad quam fuerat a Summo Pontifice delegatus, in Galliam se recipere coactus est, ubi ab Eminentissimo Cardinali *Richelio* honorifice ac benignissime acceptus, injuriam sibi illatam, & persecutionem injuste ab æmulis in ipsum excitatam Christiano animo, hoc est heroica patientia & infracto pectore sustinuit.

D. Hoc pacto itaque finis isti Controversiæ impositus est, ac tandem sedatæ illæ intempestive in Catholico Clero Anglicano excitatæ turbæ?

M. Post Illustrissimi Episcopi Chalcedonensis in Gallias appulsum, turbæ illæ in Catholico Clero Anglicano motæ Clerum itidem Gallicanum, & Sacram Facultatem Parisiensem exagitare cœperunt. Hi siquidem Catholici, qui Illustrissimo Domino *Smithæo*, Episcopo Chalcedonensi, adversabantur, male habentes, & iniquis animis ferentes, duos libellos Anglicos, quos contra prædictum Episcopum ediderant, ab Episcopis Ecclesiæ Gallicanæ, & Sacra Facultate Parisiensi fuisse damnatos, duos alios ejusdem furfuris publicarunt libellos, unum, quo in celeberrimam Facultatem Parisiensem, alterum, quo in Illustrissimos Galliarum Antistites magno conatu, virulentoque calamo invecti sunt. Priori libello, quo Sacram Facultatem Parisiensem insectabantur, hic titulus inditus erat: *Hermanni Loemelii Antuerpiensis, Sacræ Theologiæ Licentiati & Canonici Lectoralis Ecclesiæ Cathedralis Audomarensis Spongia, qua diluuntur calumniæ nomine Facultatis Parisiensis impositæ libro, qui inscribitur*: Apologia Sanctæ Sedis Apostolicæ. Et in fine ejusdem libri: *appendix circa censuram Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Parisiensis Archiepiscopi Parathesis circa duo Brevia Apostolica ad Reverendissimum Episcopum Chalcedonensem, cum Responsiuncula ad libellum, qui putatur ejusdem Reverendissimi, Anglice sine nomine Auctoris editum, cui titulus:* Brevis & necessaria discussio pro Catholicis Angliæ, quoad suum Pastorem, *ex Anglico in Latinum fideliter versum*. Alter vero libellus, quo illi Catholici Scriptores Angli Epistolam Illustrissimorum Galliæ Antistitum mordaci stylo perstringebant, sic inscriptus erat; *Ecclesiæ Anglicanæ querimonia Apologetica &c. Auctore Hermanno Loemelio Antuerpiensi Sacræ Theologiæ Licentiato, & Canonico Lectorali Ecclesiæ Cathedralis Audomarensis Audomari* 1631. Hos libellos statim subsecuti sunt alii duo, eodem genio compositi, quorum primus hunc præferebat titulum: *Vindiciæ pro Nicolao Smithæo contra Censuram nomine Facultatis Parisiensis editam in ejusdem librum, cui nomen*: Modesta & brevis discussio &c. *Auctore R. D. Antonio Goffar, S. Theologiæ Doctore & Protonotario Apostolico*, Leodii 1631. Alterius libelli hic titulus erat: *Examen juridicum Censuræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, & ejusdem Civitatis Archiepiscopi latæ circa quasdam propositiones &c. Auctore Edmundo Ursulano Hiberno*, Francofurti 1631. Istorum libellorum Scriptores Angli, licet essent Catholici, universæ Facultatis Parisiensis famam lacerabant, Reverendissimum Episcopum Chalcedonensem conviciis impetebant, & Illustrissimorum Galliæ Episcoporum dignitatem tot maledictis, & contumeliis incessebant, violabant, ac deprimebant, ut a nullo pio viro & Christianæ veritatis amante, absque ira & indignatione legi possent. Hinc factum est, ut viri eruditi calamum acuentes, animum ad scribendum appulerint, ut totis ingenii & eloquentiæ

tiæ suæ viribus veritatem ab erroribus, dignitatem Episcopalem a contumeliis, & clarissimam Facultatem Parisiensem a calumniis & dicteriis vindicarent. Primus in certamen prodiit *Franciscus Hallier*, Doctor Sorbonicus, qui librum doctissimum lucubravit, cujus hic titulus est: *Defensio Ecclesiasticæ Hierarchiæ, seu Vindiciæ Censuræ Facultatis Theolog. Paris. adversus Hermanni Leomelii Spongiam &c. Parisiis* 1632. Paucis post mensibus alius Theologus Parisiensis, sumpto *Petri Aurelii* nomine, librum concinnavit, eumque hoc titulo donavit: *Vindiciæ Censuræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, seu Responsio dispunctatoria ad libellum cui titulus*; Hermanni Leomelii Antuerpiensis &c. Spongia. *Parisiis apud Carolum Morellum* MDCXXXII. Hisce Scriptoribus tertius addendus est *Nicolaus Le Maistre*, Socius Sorbonicus, qui anno MDCXXXIII. librum Parisiis apud *Guillelmum Pele* edi curavit, eumque sic inscripsit: *Institutio antiqui Episcoporum Principatus, & religiosæ erga eosdem Monachorum & Clericorum omnium observantiæ, cui præmissa est confutatio orationum, quas Sorbonicæ censuræ objicit Spongia*. Victoriam adjudicarunt periti judices his tribus clarissimis Scriptoribus, qui de Auctoritate Episcopali, & de Sacra Parisiensi Facultate optime meriti sunt, & enatæ huic controversiæ ultimam diem imposuerunt. Tentavit quidem *Ludovicus Cellotius* hanc litem redintegrare in Opere, quod an. MDCXLI. edidit, cui titulus: *De Hierarchia, & Hierarchis libri IX. &c.* Sed huic Auctori male cessit martis alea. Ab Episcopis quippe Ecclesiæ Gallicanæ, & a Sacra Facultate Parisiensi coactus est *Cellotius* multis in locis damnare Opus suum, & duorum Regularium, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctorum, qui prædicto *Cellotii* Operi approbationem inscripserant, unus adhuc superstes (jam enim alter e vivis excesserat) a Sacra Facultate Parisiensi citatus, in Sorbonæ Comitiis, prima die mensis Julii an. MDCXLI. habitis, approbationem suam rescindere compulsus est.

D. In quo præcipue sita erat altera Controversia, quam in Galliis ex varia lectione, seu Interpretatione Canonis secundi Concilii primi Arausicani obortam fuisse superius insinuasti?

M. Hæc altera Controversia, nihil aliud fuit, quam Litteraria quædam concertatio, quam *Jacobus Sirmondus*, doctissimus Societatis Jesu Theologus, ob diversam lectionem, seu varium sensum Canonis secundi Concilii Arausicani primi, quod anno Christi CDXL. in Galliis fuit celebratum, habuit cum altero Theologo Parisiensi, qui sibi *Petri Aurelii* nomen adscivit. Canonis secundi Concilii Arausicani I. Lectionem sic, juxta quosdam MSS. Codices, restituerat *Sirmondus*, Tom. I. Conciliorum Galliæ: *Nullus Ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine Chrismate usquam debet progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente, non Chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius non nisi una benedictio est: non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio*. Porro, mentem hujus Canonis hanc esse asserebat *Sirmondus*, ut unicam, eamque in fronte, Chrismatis unctionem fieri præcipiat, ideoque Ministrum Baptismi Chrisma in promptu semper habere debere, ut baptizatum mox inungat in fronte. Si quo vero casu aliquis non fuerit in Baptismate Chrismatus, commonendum esse Episcopum in Confirmatione, nimirum ut Baptizatus, qui in Baptismo Chrismate linitus non est, in susceptione Sacramenti Confirmationis ab Episcopo chrismetur, quia Chrismatis una est benedictio, vel in Baptismo vel in Confirmatione. Si autem Baptizatus jam chrismate a Ministro Baptismi linitus fuerit, non esse *necessariam repetitam Chrismationem*, id est, non esse necessarium ut illum in susceptione Sacramenti Confirmationis Episcopus iterum Chrismate inungat in fronte, sed sufficere, ut Episcopus ei manum imponat; quia (ut putat *Sirmondus*) sola Episcopi manuum impositio est materia essentialis Sacramenti Confirmationis, non vero Chrismatio. Hanc Lectionem Canonis secundi Concilii Arausicani primi, sicut & sensum, quem ei affingebat *Sirmondus*, magno animi æstu improbavit Theologus ille Parisiensis dictus *Petrus Aurelius*, qui finem prædicti Canonis, sic juxta antiquos MSS. Codices legendum esse affirmat: *Sed ut necessaria habeatur repetita Chrismatio*; non vero, sicut *Sirmondus*, inserta particula, *Non*, dicebat sic esse legendum: *Sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio*. Sensum autem verum ac genuinum hujus Canonis secundi Concilii Arausicani primi hunc esse autumabat *Petrus Aurelius*, ut videlicet Patres illius primi Concilii Arausicani eo Canone definiri tantum voluerint, quod, cum accidere sæpe soleat, ut nempe nondum baptizatus in mortis discrimen inopinato incurrat, debet Parochus, seu Baptismi Minister, secum assidue Sacrum Chrisma deferre, ut, si tale ingruat periculum, præsto sit ad baptizandum simul & Chrismate inungendum. Sed, si occurrente periculo, aliquis fuerit baptizatus, non tamen Chrismate delinitus, ac deinde periculo ereptus, Sacramentum Confirmationis suscipere velit, admonendus erit Episcopus, ut duplicem curet adhiberi Chrismationem, unam, quæ fieri debet in Vertice Capitis, & dicitur Verticalis, & pure est ceremonialis, quæque anteacto Baptismo defuit, & alteram Sacramentalem Chrismationem, quam Episcopus in Sacramenti administratione facere debet in fronte. Ambas enim Chrismationes Synodus Arausicana judicat esse necessarias. Ex quo infert laudatus *Petrus Aurelius*, in Canone secundo prædictæ Synodi legendum esse, *Sed ut necessaria habeatur repetita Chrismatio*; non vero, ut legendum cum negatione existimabat Sirmondus: *Sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio*. Hic fuit status Controversiæ, quam *Jacobus Sirmondus* habuit cum *Petro Aurelio*, quæque utrique Theologo occasionem dedit, varias edendi ea de re Lucubrationes. Primus in arenam descendit *Jacobus Sirmondus*, & quasi classicum

cum canens, *Petrum Aurelium*, ad quem scripsit Epistolam, ad certamen provocavit. Ad hanc *Sirmondi* Epistolam confestim respondit *Petrus Aurelius*. Adversus hanc *Petri Aurelii* Responsionem *Sirmondus* edidit Antirrheticum primum, cui titulus erat: *Jacobi Sirmondi, Societatis Jesu Presbyteri, Antirrheticus de Canone Arausicano adversus Petri Aurelii Theologi responsionem, qua ejus Epistolam infirmare conatus est. Parisiis apud Sebastianum Cramoisi* 1633. Contra hunc *Sirmondi* librum *Petrus Aurelius* suum in lucem emisit *Anæreticum*, eique hunc indidit titulum: *Petri Aurelii Anæreticus, adversus errores & hæreses, quibus Canonem Arausicanum, & Sacramentum Confirmationis aspersit Jacobi Sirmondi Societatis Jesu Presbyteri, Antirrheticus.* Huic Anæretico *Petri Aurelii* opposuit *Sirmondus* alium Antirrheticum (Latine contradictorium) quem sic inscripsit: *Jacobi Sirmondi Societatis Jesu Presbyteri, Antirrheticus* II. *de Canone Arausicano, adversus Petri Aurelii Theologi Anæreticum, quo priorem ejus Antirrheticum impugnare conatus est.* Denique, hunc secundum *Sirmondi* Antirrheticum *Petrus Aurelius* confutavit alio libro, cui *Orthodoxi* titulum dedit. Sic de Canone Arausicano ejusque genuino sensu, bellum, supra quam credibile sit pertinax, inter illos duos Theologos exarsit, & tanto, quantum esse maximum potest, studio ultro citroque certatum.

D. Intelligo quidem, vehementer incaluisse hanc litterariam Concertationem, in qua duo illi Theologi *Jacobus Sirmondus*, & *Petrus Aurelius*, quasi pro aris, ac focis dimicantes, directa utrinque acie, infestis signis, diu multumque pugnarunt. At quem potissimum ex duobus illis Theologis in lectione, & genuina hujus Canonis Concilii Arausicani primi interpretatione sectari debeam, dubius adhuc hæreo, nescius, cui victoriam adscribere debeam.

M. Sententiam *Petrii Aurelii* circa lectionem & germanam Canonis Arausicani interpretationem multis nominibus præferendam esse opinioni *Jacobi Sirmondi* asserunt periti Theologi, quia *Jacobus Sirmondus*, ut probet legendum esse cum particula, *Non*, Canonem Arausicanum hoc pacto: *Sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio*, supponit Chrismationem, quæ fiebat a Ministro Baptismi, factam esse in fronte Baptizati, unde infert, Episcopum non debuisse iterum chrismare eos, quibus administrabat Confirmationis Sacramentum, quos constabat fuisse jam Baptismate Chrismatos, sed solum debuisse eis manus imponere, quia, inquit, sola impositio manuum nullo adhibito Chrismate, est materia essentialis Sacramenti Confirmationis; hæc autem momenta, quæ ad fulciendam suam de Canone Arausicano interpretationem adducit *Sirmondus*, nec cum Disciplina Ecclesiastica, nec cum pervulgata Theologorum doctrina conciliari possunt. Primo, juxta Ecclesiæ Disciplinam duæ distingui debent Unctiones, seu Chrismationes. Prima, quæ fit in vertice, & ideo dicitur Verticalis, ac pura est Baptismi cæremonia, quæ fieri debet a Ministro Baptismi. Altera Unctio, seu Chrismatio fit in fronte, & est Sacramentalis, cujus minister ordinarius est solus Episcopus in Sacramento Confirmationis. Hinc *Innocentius* I. in Epistola I. ad *Decentium* Episcopum Eugubinum ait, licere Presbyteris baptizatos ungere Chrismate, quod ab Episcopo fuerit consecratum, *non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum: & Innocentius IV.* in Epistola ad Episcopum Tusculanum, Sanctæ Sedis in Regno Cypri Legatum, inquit: *Soli Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos, quia ejus unctio non debet nisi per Episcopum fieri: quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio, vel frontis Chrismatio repræsentat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur.* Non unica igitur, sicut docet *Sirmondus*, admittenda est Chrismatio sive in Baptismo, sive in Sacramento Confirmationis, sed duæ Chrismationes toto cælo distingui omnino debent, quarum prima, quæ habetur in Baptismo, ita secundam, quæ fit ab Episcopo in Sacramento Confirmationis, præcedere debet, ut si quis in Baptismate Verticalem Unctionem, seu Chrismationem non perceperit, non possit ab Episcopo, Sacramenti Confirmationis ministro, chrismari in fronte, nisi prius ad Presbyteros, seu Baptismi ministros, remissus, verticalem, seu baptismalem ab eis acceperit Chrismationem, ne videlicet Episcopus duplicem Chrismationem præbeat contra Ecclesiæ consuetudinem. Verticalem quippe Chrismationem a Presbyteris, & Diaconis, qui sunt ministri Baptismi, fieri debere, & non ab Episcopo, patet ex omnibus Decretis, quæ de ea Unctione habentur, quibus illa Verticalis, seu Baptismalis Unctio Presbyteris, & Diaconis tribuitur, & ab Episcopali Chrismatione omnino separatur. Hinc est, quod olim Episcopi quando solemnem Baptismum conferebant, nunquam Baptizatorum Verticem more presbyterorum ungerent; & Pontificale Romanum etiam præscribit, ut Antistes Episcopali ritu baptizans nullam adhibeat Unctionem Verticalem, sed mox ab affusa baptizato aqua ad frontis unctionem seu Chrismationem procedat. Judicans ergo Concilium Arausicanum I. utramque Chrismationem, Baptismalem videlicet, & Episcopalem, esse necessariam, statuit Canone secundo, eum, qui in Baptismate a Presbyteris non fuit chrismatus, debere in vertice chrismari, prinsquam ab Episcopo confirmetur, seu ab illo chrismetur in fronte, ut nulli chrismationi præjudicium inferatur: *Sed ut necessaria habeatur repetita Chrismatio*; non vero ut perperam legit Sirmondus: *Sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio*. Secundo, si juxta mentem secundi illius Canonis Arausicani primi unica sufficeret chrismatio, ut asserit *Sirmondus*, & Episcopus tunc solum monendus esset ut baptizatum chrismaret, quando is, prohibente necessitate, a ministro Baptismi chrismari haud potuit, si, inquam, hæc vera esset illius Canonis Arausicani mens, sequeretur Chrismationem Episcopalem esse tan-

se tantum supplementum Chrismationis Presbyterorum, & ordinarium chrismandi munus non pertinere ad Episcopos, sed ad Presbyteros; quin, magis esset necessaria Presbyterorum, quam Episcoporum Chrismatio, cum Episcopi non nisi per accidens, & in supplementum chrismare deberent; id autem, cum a consuetudine Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum traditione penitus alienum sit, catholicus horret ac refugit sensus. Tertio, *Sirmondus*, ut suam de unica sive in Baptismo, sive in Confirmatione, chrismatione sententiam adstruat, contendit solam impositionem manuum Episcopi esse materiam essentialem Sacramenti Confirmationis, nullam vero Unctionem, seu Chrismationem esse de essentia Sacramenti Confirmationis; sed ceremoniam esse duntaxat accidentalem, ab Ecclesia ad ornatum adjectam, de præcepto quidem servandam, sed in quam tamen dispensatio Ecclesiæ, & Summi Pontificis cadere possit. Verum hæc *Sirmondi* doctrina, & sua novitate male audit, & utriusque Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis traditioni consentanea non est, & adversatur doctrinæ omnium Theologorum, qui post Sanctos Patres cum Græcos, tum Latinos docent, Chrismationem frontalem, & impositionem manuum Episcopi constituere materiam adæquatam essentialem Sacramenti Confirmationis. In doctrina autem, quæ spectat Sacramenta a Christo Domino instituta, si semel novitatibus aditus aperiatur, si unicuique suas conjecturas & opinationes obtrudendi licentia permittatur, spreta Theologorum omnium confessione, repudiato communi Ecclesiæ sensu, fractaque & dejecta Majorum nostrorum ab antiquissimis Sæculis perenni doctrina & Auctoritate, frustra de Religionis Decretis, & institutis laborabimus, jacebit Christiana Religio, nihil in ea tutum, nihil firmum, nihil sanctum permanebit, si pro cujuslibet arbitratu res exploratissimas, intimis non solum Theologorum, sed fidelium etiam animis infixas, infringere, & explodere liceat. Denique, etsi verum esset quod contendit *Sirmondus*, hunc Canonem secundum Concilii Arausicani primi legendum esse cum particula, *Non*, idest, *sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio*; inde tamen inferre minime debuisset *Sirmondus*; Patres Concilii Arausicani primi unicam tantum sive in Baptismo, sive in Confirmatione Chrismationem eo Canone præcepisse, sed inferre duntaxat debuisset, Patres Concilii Arausicani primi per hæc verba, *sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio*, innuere duntaxat voluisse, ejusmodi supplementum Chrismationis Verticalis, quam baptizatus, propter occurrentem aliquam necessitatem percipere a Ministro Baptismi non potuit, & qua subinde inungi debet, antequam Chrismationem frontalem in Sacramento Confirmationis ab Episcopo accipiat; esse siquidem necessarium illud Chrismationis Verticalis, seu Baptismalis supplementum ex usu, disciplina, & præcepto Ecclesiæ, sed non esse necessarium ut valeant, hoc est ut effectum Sacramenti Confirmationis producant Episcopi manuum impositio, & Chrismatio frontalis, quæ essentialem, & adæquatam Sacramenti Confirmationis materiam constituunt. Quocirca hujus Canonis secundi Concilii Arausicani primi, si legatur (ut vult *Sirmondus*) cum particula, *Non*, videlicet, *sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio*, hic verus sensus esse debet: Nullus Baptismatis Minister, vel Diaconus, omittat in Baptismo Verticalem Unctionem, si tamen occurrente aliqua necessitate, prætermissa fuerit, Episcopus monebitur, ut curet eam suppleri, antequam Neophyto manum imponat, & inungat in fronte; quod tamen ita intelligendum non est, ut illius Verticalis Unctionis quæ Baptizato defuit, supplementum censeatur necessarium, ut valeant, seu Sacramenti Confirmationis effectum producant frontalis Chrismatio, & Episcopi manuum impositio, ex quibus constat essentialis, & adæquata Sacramenti Confirmationis materia. Sed hæc dicta sufficiant de vera intelligentia hujus Canonis Concilii Arausicani, qui, sive legatur in hunc modum: *Sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio*; sive, ut melius alii volunt, hoc pacto legatur: *Sed ut repetita habeatur Chrismatio*, suffragari minime potest novæ, & traditioni Sanctorum Patrum atque Theologorum confessioni contrariæ opinioni *Jacobi Sirmondi*, asserentis eo Canone Arausicano præcipi unicam, sive in Baptismo sive in Confirmatione, Chrismationem, solam manuum Episcopi impositionem esse materiam essentialem Sacramenti Confirmationis, & Chrismationem frontalem, quæ fit ab Episcopo, esse tantum ceremoniam accidentalem impositioni manuum Episcopi ab Ecclesia ad ornatum adjectam. Qua in re in *Jacobum Sirmondum* hæc verba *S. Bernardi* juste usurpare possum: *Nonne omnium merito in se provocat manus, cujus manus contra omnes? Quid ergo tu, quid melius affers? quid subtilius invenis? quid secretius tibi revelatum jactas, quod præterierit Sanctos, effugerit Sapientes?* ..... *Hoc plane nemini, te excepto, videtur, tu videris, ubi videris.*

D. De Hæresibus, erroribus & Controversiis Sæculo XVII. enatis cum nihil aliud impræsentiarum tibi supersit dicendum, Colloquio nostro finem imponamus, proximum Colloquium postridie habituri, in quo de Conciliis, quæ eodem Sæculo celebrata sunt, sermonem, bene fortunante Deo, instituemus.

M. Mane tantisper. Nec enim expedit, ut silentio prætermittam duas celebres Censuras, quas Sacra Facultas Parisiensis sub finem Sæculi XVII. tulit in quosdam libros, quorum lectio veræ fidelium pietati ac doctrinæ non pauca damna afferre potuisset. Et primo quidem, exeunte Sæculo XVII. prodierunt in Galliarum Regno libri quidam Gallico idiomate conscripti, in quibus asserebatur primo, Sinarum gentem per duo circiter annorum millia ante Christum natum, puram ac integram conservasse unius, ac veri Dei cognitionem, ab eaque toto eo tempore Deum verum ea ratione adoratum fuisse, ut Christianis exemplo esse potuerit. Asserebatur secundo eam-

eamdem Sinarum gentem uni ac vero Deo sacrificasse in Templo omnium antiquissimo, & per amplissimum illud temporis spatium apud Sinas fuisse Fideles vera sanctitate præditos, plenos Dei spiritu, Regularum purissimæ charitatis observantissimos, ita ut illorum hominum sanctitatem, charitatem, Deus etiam miraculis confirmaverit. Denique asserebatur, nulli cumulatius, quam Sinarum genti, Deum beneficiorum ac gratiarum dona contulisse. Ejusmodi doctrinam, his & aliis novis ac perniciosis propositionibus contentam, Sacra Facultas Parisiensis, post varia, quæ habuit, ordinaria Comitia, tandem die XVII. mensis Augusti an. MDCC. tanquam *falsam*, *temerariam*, *scandalosam*, *impiam*, *verbo Dei contrariam*, *Hæreticam*, *Christianæ Fidei*, *& Religionis eversivam*, *& virtutem Passionis Christi*, *& Crucis ejus evacuantem*, damnavit, atque declaravit, extra gentem judaicam, seu extra posteros *Abrahami*, nullum alium populum in unum Reipublicæ corpus donatum, ante Christum natum, veram ac puram Religionem esse professum, seu sincera charitate præditum, aut sanctis ritibus usum; quia Scriptura Sacra quoties loquitur de gentibus, quæ, extra populum judaicum, ante Christum natum vixerunt, eas universim Idololatras appellat: *Omnes dii gentium*, *dæmonia*, Psal. 95. *Simulacra gentium*, *argentum*, *& aurum*. Psal. 113. *Notus in Judæa Deus*, Psalm. 73. *Non fecit taliter omni nationi*, *& judicia sua non manifestavit eis*, Psalm. 147. Testatur etiam Apostolus *Paulus*, gentes, ante Christum natum, excepto populo judaico, fuisse sine Deo in hoc mundo: *memores estote*, *vos gentes*, *qui eratis in illo tempore sine Christo*, *alienati a conversatione Israel*, *& hospites testamentorum*, *promissionis spem non habentes*, *& sine Deo in hoc mundo*; ad Ephesios c. 2. Et *S. Lucas* c. 14. Actuum Apostolorum diserte asserit, permisisse Deum, ut omnes gentes, excepto populo judaico, ante Christum natum, ingrederentur vias suas, hoc est, in tenebris Idololatriæ jacerent immersæ: *in præteritis generationibus*, inquit, *dimisit omnes gentes ingredi vias suas*. Scripturæ itaque Sacræ, necnon doctrinæ omnium Sanctorum Patrum cum Græcorum, tum Latinorum, e diametro opponebatur hic illorum Scriptorum error, asserentium, Gentes, seu nationem aliquam integram, extra populum judaicum ante Christum natum, veram ac puram Religionem coluisse, sincera charitate præditam, sanctisque ritibus ac sacrificiis usam fuisse; ac subinde jure optimo hunc errorem in his libris gallico idiomate exaratis, & in vulgus temere sparsis assertum censorio stigmate confixit Sacra Parisiensis Facultas. Alia Censura perstrinxit eadem Parisiensis Facultas anno MDCXCVII. quemdam librum, cujus Auctoris nomini parco, in quo novæ & hactenus inauditæ jactabantur revelationes, quas non recipit Ecclesia, Scripturæ Sacræ ad sensum improprium detorquebantur, & multa stupenda obtrudebantur miracula ac prodigia, inter quæ hoc unum præ ceteris alias me olim legisse adhuc memini, quod videlicet Beatissima Virgo *Maria*, statim ac nata est, ab Angelis fuerit adorata, & actutum celebri pompa ac solemni Angelorum comitatu in Cælum etiam cum corpore translata, & posita in Altissimi Throno: Quod insuper, Sanctissimam Virginem *Mariam* mille Angeli semper stiparent in terris, ita ut nongenti Angeli, centum videlicet ex unoquoque Ordine, ad ejus custodiam essent destinati; duodecim Angeli in corporali forma semper ei ministrarent; Septuaginta Seraphini ad Colloquia assignati jugiter assisterent, ceteri vero Angeli ad Legationes sive ordinarias, sive extraordinarias continuo præsto essent. Profecto hisce Revelationibus opus non habet Ecclesia, nec illis fictitiis prodigiis indiget Beatissima Virgo *Maria*, quæ omnigena Cælestium donorum copia abunde exornata, innumeris ac veris cumulatur honoribus. Hinc merito culpari debent illi Scriptores, qui, sive describendo Vitas Sanctorum, sive Christi Domini, ejusque Virginis Matris texendo Historiam, novas, sed fictas revelationes publicarunt, commenta, & fabulas inseruerunt, & insolita prodigia excogitarunt, quæ sua novitate simplicium animos allicere possent. Grande illud malum, pietati ac religioni exitiale, observavit summus sui ævi censor ac doctissimus Scriptor noster *Melchior Canus*, idemque depelli vehementer optavit lib. XI. *de Locis Theologicis* cap. 4. ubi hæc habet: *Nec Sanctæ Virgini*, *nec Christo Domino hominum impudentia pepercit*, *quin*, *quod in aliis Divis* (seu in Vitis Sanctorum) *factitavit*, *idem quoque in Christi & Matris ejus historia scribenda faceret*; *& pro humani ingenii levitate*, *multa vana & ridicula comminisceretur*.

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis, *quæ Sæculo XVII. variis in locis fuerunt celebrata*.

D. CUM nulla Sæculo decimo septimo habita fuerint Concilia Generalia, sufficiet hic investigare, ac breviter percensere Concilia, sive Nationalia, sive Diœcesana, quæ in Ecclesia Occidentali celebrata sunt, prætermissis aliis Conciliis, quæ eodem Sæculo XVII. convocavit Ecclesia Orientalis. Ea quippe Concilia cum a Schismaticis Patriarchis Græcis indicta & habita fuerint, non pluris, mea quidem sententia, ea scire interest, quam Lutheranorum, Calvinistarum, aliorumque Hæreticorum Conciliabula, quorum nullam prorsus mentionem facere debemus.

M. Tua profecto te fallit opinio. Notitia quippe Conciliorum, quæ Sæculo XVII. in Ecclesia Orientali a Schismaticis Patriarchis & Episcopis Græcis celebrata sunt, tibi omnino necessaria est; ut inde intelligas, & eadem opera refellas putidissimas calumnias Hæreticorum Lutheranorum, & Calvinistarum, qui Sæculo XVII. sparsis ubique libellis, ausi sunt per summam impudentiam asserere, Ecclesiam Orientalem de Deo, rebusque divinis, ac Fidei Dogmatibus secum sentire. Quam

inju-

injuriam sibi illatam ferre non valens Ecclesia Orientalis, confestim plures congregavit Synodos, in quibus errores Lutheranorum & Calvinistarum proscripsit, diris devovit, anathemate perculit, & solidissimis Scriptis Sole clarius demonstravit, ejusmodi Novatores ab antiqua Fidei Catholicæ doctrina penitus recessisse. His Ecclesiæ Orientalis Synodis non abs re erit quædam adnectere Hæreticorum Conciliabula, non ut in eorum doctrinam inquiramus, sed ut perspectum habeas, nunquam Hæreticos sibi in doctrina constare, eique solemne esse utroque genu claudicare, & sua dogmata in Conciliabulis, quæ actitant, mutare, variare, fingere, refingere pro suo arbitrio, adeo ut nullum inveniant locum, ubi tuto possint figere pedem.

D. Recte mones, nec melius sane Colloquium nostrum de Conciliis auspicari possumus, quam a notitia illorum Conciliorum, quæ Ecclesia Orientalis Sæculo XVII. contra Lutheranos & Calvinistas celebravit, ut ex his certissimis ac notis monumentis manifesto pateat, errores illorum Hæreticorum ab utraque Ecclesia, Occidentali scilicet & Orientali, fuisse reprobatos, atque natalitiis tenebris damnatos. Age ergo & expone, quæso, quæ causa potissimum compulerit Ecclesiam Orientalem, ut dogmata proscriberet Lutheranorum, & Calvinistarum, qui tamen non in Orientali Ecclesia, sed duntaxat in Occidentali, suos errores disseminarunt, ac propagarunt?

M. Ut vera causa, quæ Ecclesiam Orientalem, seu Græcam ad configendos Lutheranorum & Calvinistarum errores compulit, facilius tibi innotescere possit, rem totam paulo altius repetere necesse est. Hæretici Lutherani, Sectæ suæ propagandæ intenti, & Orientalem Ecclesiam diro Schismate, ab Ecclesia Occidentali, seu Latina, scissam, conspicientes, sibi persuaserunt, hanc Ecclesiam in eorum partes illico transituram, indeque inculpatam fore doctrinæ suæ Lutheranæ professionem, si semel Orientalium Fidei & Ecclesiæ nomine esset obducta. Eam ob rem, *Martinus Crusius*, Lutheranus, & in Academia Tubingensi Græcarum Litterarum Professor, aliique inter Hæreticos Lutheranos præcipui, rogarunt *Stephanum Gerlachium*, ejusdem Lutheranæ Hæreseos Sectatorem (qui tum temporis, seu Anno MDLXXIV. Constantinopoli degebat, & Oratoris Cæsarei, Viri itidem Lutherani, ad *Selinum*, Turcarum Imperatorem, concionator erat) ut offerret *Jeremiæ*, Græcorum Patriarchæ Constantinopolitano, Augustanam Confessionem Lutheranam, Græce dudum conversam a *Paulo Dolscio*, seu ab ipso *Melanchtone*, Scriptore apud Lutheranos magni nominis. Hanc provinciam sibi demandatam lubentissime suscepit *Stephanus Gerlachius*, nihilque non molitus est, ut *Jeremiam*, Græcorum Patriarcham Constantinopolitanum, induceret ad probandam Confessionem Augustanam Lutheranam tanquam Fidei Ecclesiæ Orientalis consentaneam. Sed post varias adhibitas artes, oleum & operam perdidit *Gerlachius*, ejusque conatus ad nihilum omnino reciderunt. Græcorum siquidem Patriarcha Constantinopolitanus *Jeremias* non solum constanter renuit in Religionis dogmatibus Lutheranæ doctrinæ suffragari, verum etiam aperte refragatus est, & Catholicorum omnia, quæ Lutherani impugnabant, dogmata confirmavit, suoque calculo approbavit. Quin, non contentus ille Græcorum Patriarcha Constantinopolitanus virulenta rejecisse Lutheranorum dogmata, tribus etiam Responsionibus, erudito calamo exaratis, quas ad eos misit, illorum errores detexit, & oppugnavit, atque tandem sub finem tertiæ suæ Responsionis, jam tædio affectus importunæ pervicaciæ Lutheranorum, qui doctrinam suam defendere satagentes, illum variis Scriptis fatigabant, monet ipsos, ne posthac ei molesti essent, neque amplius de iis Scriptis ad ipsum mitterent; quippe qui nimium de se præsumentes, & ab avita doctrina desciscentes, nollent antiquæ Ecclesiæ adhærere Theologis, seu Sanctis Patribus, cum Græcis, tum Latinis, ex quorum nihilominus interpretatione ac doctrina haurienda sit probatio Fidei Veteris ac primitivæ Ecclesiæ. Hujus Facti Historici, quod huc usque narravimus, veritatem confirmant Episcopi Græci, qui an. 1672. in Synodo Bethlehemitica, seu Hierosolymitana, præside *Dositheo*, Patriarcha Hierosolymitano, ad damnandos Hæreticorum Calvinistarum errores congregati, hoc testimonium protulerunt, quod ipse, juxta versionem, seu interpretationem ejusdem Synodi Bethlehemiticæ ab Anonymo Patre Benedictino Congregationis *S. Mauri* latine adornatam, & Parisiis apud Viduam *Edmundi Martini* an. MDCLXXVI. typis editam, hic latine referam: *Martinus Crugius Tubingensis, ceterique cum eo novitatum Lutheri peritiores* (inquiunt Episcopi Græci Synodi Bethlehemiticæ) *sua capita professionis ad eum, qui Catholicæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ id temporis clavum tenebat* (seu Jeremiam) *direxerunt, quatenus* (*ut dicebant Lutherani*) *dignoscerent, an cum Orientali Ecclesia de doctrina convenirent? Verum ad illos; imo & contra ipsos insignis ille Patriarcha Sermones tres, seu magis peritas Responsiones, rescripsit, quibus & omnem eorum Hæresim theologice justa ac Catholice confutabat, & Orthodoxas opiniones, quascumque a principio Ecclesia obtinuit Orientalis, eos edocebat quamquam illi*, seu Lutherani, *nequaquam attenderunt, quippe nuntium pietati penitus remiserunt. Habetur liber iste Græce & Latine editus Witembergæ in Germania anno salutis millesimo quingentesimo octuagesimo quarto: Sed & ante Patriarcham istum nomine Jeremiam, Joannes Nathanael Presbyter, & Oeconomus Constantinopoleos in Tractatu, quem de Expositione Sacræ Liturgiæ edidit; ac rursum post eumdem Jeremiam, Gabriel Severus Moreanus, Fratrum nostrorum Cretensium Archiepiscopus, in libro, quem de septem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis composuit, Universam Ecclesiæ Orientalis doctrinam manifestius exhibuere.* Ex hoc Græcorum Episcoporum, qui ad damnandos Calvinistarum errores ad Synodum Bethlehemiticam anno MDCLXXII. convenerunt, locuple-

tissi-

tissimo testimonio evidenter colligitur causæ quæ permovit Ecclesiam Orientalem ad profligandos Lutheranorum errores, locum, & occasionem dedisse ipsosmet Hæreticos Lutheranos, qui Ecclesiam Orientalem provocarunt, nihilque intentatum reliquerunt, ut hæc Ecclesia, quam ab Ecclesia Romana separatam cernebant, approbaret Lutheranani Confessionem Augustanam. Quin, eo impudentiæ & audaciæ proruperunt Lutherani, ut palam assererent, seu potius mentirentur, Ecclesiam Orientalem in dogmatibus Fidei idem plane cum ipsis sentire. Ea Lutheranorum audacia necessitatem imposuit Ecclesiæ Orientali hanc teterrimam sibi impactam calumniam repellendi, atque tum in Synodis, tum editis libris publice declarandi, doctrinam suam in Fidei dogmatibus, longe lateque discrepare ab erroribus, quos spargebant, & obstinatis animis propugnabant Lutherani. Qua in re, ut obiter dicam, summopere mirari debemus divinæ providentiæ sapientiam, cujus singulari beneficio factum est, ut alius omnino atque speraverant Lutherani, dolosæ quam instruxerant machinationis eventus acciderit, & ut illi nefarii Hæretici, præter suam expectationem, in Ecclesia Orientali (quamvis diuturno Schismate jam divulsa penitus ab Ecclesia Occidentali) invenerint doctrinæ suæ exitium, ubi sperabant adjumentum ad suos latius per Orbem errores propagandos.

D. Tentaruntne pariter Hæretici Calviniani in pestiferæ suæ doctrinæ consortium adducere Ecclesiam Orientalem, ac falso aliis persuadere, hanc Ecclesiam in præcipuis Christianæ doctrinæ Capitibus a se ipsis non dissentire?

M. Hæretici Calviniani non solum Sæc. XVII. omnem moverunt lapidem, ut Ecclesiam Orientalem suas in partes traherent, sed etiam pecunia, aliisque pravis artibus corruperunt, ac pestilenti doctrina sua imbuerunt quemdam *Cyrillum Lucarem*, Patriarcham Constantinopolitanum, qui Calvinianam Confessionem Fidei promulgavit nomine suo, eamque in Batavia typis editam actutum publicarunt Calvinistæ, ubique inclamantes, doctrinam Calvinianam toti Ecclesiæ Orientali probatam fuisse. At, hic vanus Calvinistarum triumphus in maximum illorum dedecus cessit, & perenne Catholicis suppeditavit monumentum ad demonstrandam in præcipuis Fidei suæ dogmatibus perpetuam utriusque Ecclesiæ Orientalis, seu Græcæ, & Occidentalis seu Latinæ consensionem, sicut manifesto constat ex multis Factis Historicis quæ in hujus rei evidentiam hic inserere necessarium omnino duxi. In primis, *Cyrillus Lucar*, cujus Calvinianam Confessionem Fidei tantopere venditant Hæretici Calvinistæ, fuit vir versipellis ingenii, Fidei Græcæ, Turcicæ, & Calvinianæ mixturæ prodigiosus, qui irrepsit primum in Ecclesiam Alexandrinam, & deinde accepta a Calvinistis Batavis pecunia, Sedem Constantinopolitanam invasit, & doctrinam Calvinianam professus tandem Sede Patriarchali, jubente Turcarum Imperatore, ob multa ab ipso perpetrata scelera, depositus, in turrim maris nigri conjectus, & in mare præcipitatus, meritas dedit pœnas Hæresum & turbarum, quas Constantinopoli excitaverat. Necesse igitur est, ut omnem frontem ac pudorem exuerint Hæretici Calvinistæ, qui nefarium illum hominum, ac verum in religione *Proteum*, laudare, & quasi locupletem Græcorum, seu Orientalis Ecclesiæ Fidei testem, producere ausi sunt. Præterea, tantum abest, ut hæc Calviniana *Cyrilli Lucaris*, Patriarchæ Constantinopolitani, Fidei confessio, qua tantopere gloriantur Hæretici Calviniani, aliquod Orthodoxæ Fidei præjudicium intulerit, ut potius perpetuam Ecclesiæ Græcæ cum Latina circa præcipua Fidei Catholicæ dogmata confessionem sensibilem reddiderint. At enim Græci statim ac prodiit Constantinopoli hæc Calviniana Fidei Confessio, *Cyrillum Lucarem*, Patriarcham Constantinopolitanum ejus Auctorem, coacta Synodo, exauctorarunt, ejusque loco suffecerunt *Cyrillum Berrobensem*, qui una cum Patriarchis Alexandrino, & Hierosolymitano cum tribus supra viginti Orientalibus Episcopis, cum universo Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clero in Synodo Constantinopoli anno 1638. habita, ipsi *Cyrillo Lucari*, & Calvinianæ Confessioni ab ipso editæ anathema dixerunt. Non multo post *Cyrillus Berrobensis* e Sede Constantinopolitana insidiis & pecunia *Parthenii*, Episcopi Adrianopolitani dejectus est. *Parthenius* vero Patriarchatum Constantinopolitanum adeptus alteram Synodum anno 1642. Jasii apud Moldaviam celebravit, in qua Calviniana Fidei Confessio a *Cyrillo Lucare* edita, tanquam Orthodoxæ Græcorum Fidei omnino contraria, fuit damnata. Præter has duas Synodos quæ in Ecclesia Orientali ad proscribendam Calvinianam *Cyrilli Lucaris* Fidei Confessionem habitæ sunt, tertiam Synodum quæ dicitur Bethlehemitica vel Hierosolymitana, die XVI. mensis Martii anni 1672. coegit *Dositheus*, Patriarcha Hierosolymitanus, eique interfuerunt *Nectarius* Expatriarcha, sex Metropolitani, & Archimandritæ, Presbyteri, Diaconi, & Monachi tres supra quinquaginta. Titulus hujus Synodi Bethlehemiticæ, juxta Versionem, seu interpretationem jam citati Anonymi Patris Benedictini Congregationis *S. Mauri* hic est: *Clypeus Fidei Orthodoxæ, seu Apologia adversus Hæreticos Calvinistas, Ecclesiam Orientalem secum idem de Deo, rebusque divinis sentire mentientes, editus a Synodo Hierosolymitana sub Patriarcha Dositheo*. Porro in hoc *Clypeo Fidei Ortodoxa* Græci in ea Synodo Bethlehemitica, seu Hierosolymitana congregati, ut firmiorem tum propriæ Confessionis Fidei expositionem, tum Calvinianæ *Cyrilli Lucaris* Confessionis damnationem ederent, utriusque Synodi adversus eamdem ipsam *Cyrilli Lucaris* Calvinianam Fidei Confessionem antehac celebratæ Acta referunt, innovant ac confirmant. Graviter etiam conqueruntur, quod Calvinistæ (quos vocant *Vaniloquos*, *Novatores*, *Hæreticos*, *mendaces Architectos*, *Apostatas*, *Artificiosos Scripturæ*, *& Patrum*, *Hæreticorum more*, *expositores*) post tot Græcorum Patriarcharum Declarationes,

post

post typis editam Confessionem Orthodoxam, post reprobatas & anathemate perculsas *Cyrilli Lucaris* impias responsiones, post *Gabrielis*, Archiepiscopi Philadelphiensis, *Gregorii* Protosyncelli, *Theophanis*, Patriarchæ Hierosolymitani clarissimas Lucubrationes, Ecclesiam Græcam calumniari non cessent, asserendo hanc Calvinianam *Cyrilli Lucaris* Fidei Confessionem universæ Ecclesiæ Orientali fuisse probatam. Quod putidum mendacium ut falsi convincat prædicta Synodus Bethlehemitica declarat primo, hanc Confessionem Calvinianam a *Cyrillo Lucari* nemine Orientalium conscio, sed prorsus clanculum editam ac male consarcinatam fuisse. Secundo ejusdem *Cyrilli Lucaris* Calvinianam Confessionem non esse Orientalis Ecclesiæ Confessionem. Tertio prædictę confessionis *Cyrillis Lucaris* capita ita ab Eccles. Orientali fuisse reprobata, ut hic contraria vel ipse *Cyrillus Lucar* etiam cum execratione docuerit, atque ab Synodis duabus frequentissimis propterea excommunicatione & anathemate perculsus sit, quod scriptis quoque ea impugnare detrectaverit. Post illas Declarationes, Synodus Bethlehemitica, seu Hierosolymitana octodecim capitibus clare explicat ac solide asserit Ecclesię Orientalis Doctrinam, definitque contra Hęreticos Calvinistas, liberum hominis arbitrium per peccatum Adami non fuisse extinctum: Ad justificationem non sufficere solam fidem in Christum mediatorem absque bonis operibus: Septem esse Sacramenta: Baptismum delere peccatum originale; Panem & Vinum substantialiter converti in Corpus & Sanguinem Christi in augustissimo Eucharistię Sacramento: Sanctos tanquam Dei amicos esse colendos ac invocandos: Sacris Imaginibus cultum esse exhibendum: retinendas esse traditiones quas sive per Scripturam, sive per sermonem, Catholica didicit Ecclesia, quę Sancto Spiritu erudita, errare non potest. Hęc fidei Catholicę Dogmata contra Calvinistarum commenta in his octodecim capitibus tam candide proponit hęc Synodus Bethlehemitica, tam clare edisserit, tam nervose vindicat, ut perpetua utriusque Ecclesię seu Orientalis & Occidentalis, in his Fidei capitibus consensio in evidentiori lumine ad obturanda Calvinistarum ora, collocari non potuerit. Hunc *Clypeum Orthodoxæ Fidei* adversus Calvinistas compositum a *Dositheo* Patriarcha Hierosolymitano, & a Synodo *Bethlehemitica* approbatum, idem Patriarcha *Dositheus* novis argumentis & testimoniis Patrum Græcorum auxit, illustravit, & an. 1690. in Walachia publicavit sub hoc novo Titulo: *Enchiridion Fidei necessarium ad confutandas Calumnias Calvinistarum, qui Ecclesiam Orientalem de Deo rebusque divinis cum ipsis idem sentire mentiuntur.* Paulo antequam celebraretur hęc Bethlehemitica, seu Hierosolymitana Synodus, *Dionysius*, Patriarcha Constantinopolitanus, mense Januario anni 1672. convocavit Constantinopoli Synodum, in qua Gręci ad quęstiones, quas nonnulli Hęretici Calviniani ad tentandam seu potius subornandam eorum Fidem, ipsis proposuerant, respondentes, declararunt primo, Ecclesiam Orientalem, seu Gręcam septem admittere novę Legis Sacramenta, ac firmiter credere, juxta constantem Patrum Gręcorum doctrinam, substantiam panis & vini transmutari operatione Spiritus Sancti in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistię Sacramento. Secundo Baptismum esse omnibus ac singulis infantibus omnino necessarium, & in eo vere deleri peccatum originale, ita ut tamen hi, qui per Baptismum sunt justificati, a justificationis gratia non solum per infidelitatem, sed per quodlibet aliud peccatum lethale excidere possint. Tertio, profitentur Ecclesiam Catholicam esse visibilem & infallibilem, Episcopos esse Presbyteris superiores, Cultum Deiparę Virgini & Sanctis esse deferendum, Sacrarum Imaginum cultum conservandum esse sanciunt, jejuniorum, quę statis temporibus ab Ecclesia sunt indicta, observationem, & a quibusdam cibis abstinentiam approbant; uno verbo damnant, rejiciunt, & anathemate percellunt omnes errores Calvinistarum, ut videre est in actis illius Synodi Constantinopolitanę, quam ex Gręco idiomate latine vertit, & una cum Synodo Bethlehemitica Parisiis anno MDCLXXIV. publicavit Anonymus Pater Benedictinus Congregationis *S. Mauri*.

D. Facile nunc percipio, Catholicos insignem de Hęreticis Calvinianis retulisse Victoriam. Asserebant quippe illi Hęretici doctrinam, quam Catholici propugnabant de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistię Sacramento, de Transsubstantiatione, de cultu Sanctorum, & Sacrarum Imaginum, de visibilitate & infallibilitate Ecclesię, de Traditionis auctoritate, & de aliis id genus capitibus controversis, novam esse ac penitus alienam a doctrina Ecclesię Orientalis. Contra vero Catholici pertendebant doctrinam, quam in his controversis Capitibus tuebantur, traditam a Christo Domino per Apostolos & Sanctos Patres perpetua traditione in Ecclesia Romana retentam, ad se ipsos illibatam derivasse, eamque Orientalis Ecclesię Fidei omnino consentaneam esse. De ea contentione certior facta Ecclesia Orientalis, suumque judicium ferre rogata, varias Synodos, quarum superius meministi, coegit, ac tandem, post maturum ac deliberatum examen, declaravit, doctrinam, quam in his capitibus de Religione controversis propugnabant Catholici, veram esse, a Christo traditam, ab Apostolis profectam, unanimi Ecclesię Orientalis consensione firmatam, per universum terrarum Orbem Latinum, & Gręcum nusquam interrupta Sęculorum serie acceptam, custoditam, prędicatam in tectis, expositam in pulpitis, exaratam in libris, celebratam in Templis: Calvinistas vero, qui secus opinabantur, eadem Ecclesia orientalis in suis Synodis damnavit, eosque perstrinxit tanquam Hęreticos, & calumniatores, qui Ecclesiam Orientalem in his controversis de Religione capitibus idem cum illis sentire effutire audebant. Certe, post tam solemne Ecclesię Orientalis judicium nihil amplius relinquitur

tur

tur reconditum, nihil abstrusum, nihil quod non possit a videntibus & audientibus solo sensuum adjutorio judicari. Nec solum Theologi, aliique viri eruditi, sed etiam omnes qui habent oculos, aures, sensumque communem, nec passionum æstu, aut præjudiciis excæcati sunt, nullo negotio ex ipsa sola Græcorum, seu Ecclesiæ Orientalis, Confessione Fidei compertum ac exploratum habere possunt, doctrinam, quam in his controversis de Religione capitibus defendunt etiamnum Catholici, perpetua utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis consensione muniri, firmari, roborari; Calvinistas vero apud omnes audire debere tanquam Novatores & calumniatores, quippe qui falso jactantes, impiæ Calvinianæ Factionis commenta universæ Ecclesiæ Orientali probari, ab eadem Orientali Ecclesia plutibus in Synodis, velut Hæretici & impostores damnati, proscripti, ac confixi fuerunt. Ad hoc argumentum, quod, mea quidem sententia, omni nervo efficacius, omni demonstratione verius haberi debet, quid respondeant hæretici, scire vehementer optarem.

M. Hæretici Calviniani pondere veritatis oppressi, & tamen adversus eam sibi probe perspectam rapidis motibus furentes, ad extremum sceleris cumulum venerunt, perfugium in mendacio quæsiverunt, atque in horrendis imposturis fiduciam suam collocarunt, dictitantes, illas Ecclesiæ Orientalis Synodos, in quibus damnata fuit Calviniana doctrina, coaluisse duntaxat ex Græcorum Patriarchis, Metropolitanis & Episcopis, qui in Eccles. Latinæ dogmata jam pridem propensi erant, iisque addicti vel pecunia corrupti, relicta vera Ecclesiæ Orientalis Fide, in latinorum partes transierunt, *Græculi* subinde potius, quam *Græci* appellandi. Vah effrontes homines! quos non pudet tam insigne mendacium palam, aperte, asseveranter, inspectante & stupente Orbe Christiano confirmare, Ecclesiam Occidentalem seu Latinam cum *Chamo* infamare, & toti Ecclesiæ Orientali, seu Græcæ, publicam, eamque atrocissimam, injuriam irrogare. Ubi pudor mentis, ubi rubor frontis, ubi bona fides, ubi naturæ & honestatis sensus? Sed hæc in Hæreticis, qui affulgentem veritatis splendorem repelluat, & verum falsum, falsum verum perfricia fronte pronuntiant, quis requirat? Non possum tamen quin breviter ostendam, Hæreticos Calvinistas, dum adeo execrabilem imposturam procuderunt, simul prodidisse, quantum veritatem oderint, & quantum adversus eam nihil possint. At enim primo, Episcopos Græcos, qui in suis Synodis doctrinam Calvinianam condemnarunt, in Latinorum partes transiisse, seu obsequio Ecclesiæ Latinæ, sicut ogganniunt Hæretici Calviniani, omnino fuisse addictos, tam falsum est, quam quod maxime. *Nectarius* siquidem Expatriarcha Hierosolymitanus, Latinæ Ecclesiæ erat infensus, ut constat ex lib. quem composuit *contra Primatum Papæ*, & quem *Dositheus* ejus nepos, & in Sede Hierosolymitana successor, in publicam lucem emisit anno 1682. Idem etiam *Dositheus* Patriarcha Hierosolymitanus plura Opuscula *Simeonis* Thessalonicensis anno MDCLXXXIII. publica luce donavit, præsertim illa in quibus hic Scriptor Græcus data Opera Latinos impugnavit circa Primatum Papę, circa Eucharistiam in pane Azymo & non in fermento conficiendam, & circa Processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque, quę sunt pręcipua capita in quibus Latini dissentiunt a Gręcis. Porro *Nectarius* Expatriarcha Hierosolymitanus interfuit Synodo Bethlehemiticę, in qua damnata est Calviniana doctrina, & *Dositheus*, Patriarcha Hierosolymitanus, pręfuit huic Synodo Bethlehemiticę. Falsum igitur est, Synodos, quę in Ecclesia Orientali ad proscribendam Calvinianam doctrinam fuerunt celebratę, coaluisse duntaxat ex Gręcis Ecclesię Latinę addictis. Pręterea, si ad Latinorum duntaxat petitionem, & ad eorum gratiam aucupandam, ut mentiuntur Hęretici Calviniani, hanc Fidei Confessionem adversus Calvinianam Factionem *Nectarius*, *Dositheus*, aliique Gręci in Synodo Bethlehemitica congregati, edidissent, omni proculdubio in hac Confessione Fidei, ne offenderent Ecclesiam Latinam, siluissent suum dogma de Processione Spiritus Sancti a solo Patre, nec improbassent dogma Ecclesię Latinę docentis, Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere; & tamen Gręci, qui interfuerunt Synodo Bethlehemiticę, profitentur in sua Confessione Fidei, Spiritum Sanctum a solo Patre procedere, & improbant dogma Latinorum de Processione Spiritus Sancti a Patre Filioque; quod quidem argumento est, Gręcos, qui Synodo Bethlehemiticę interfuerunt, hanc Confessionem Fidei contra Hęreticos Calvinistas edidisse, non ut assentarentur Ecclesię Latinę, sed potius ut integram exhiberent Ecclesię Orientalis Fidem, & elingues redderent Calvinistas, quos non pudebat asserere Ecclesiam Orientalem in præcipuis fidei capitibus idem sentire cum ipsis. Tertio, si illę Synodi, quæ Confessionem Fidei contra Calvinistas promulgarunt, studio assentandi palpandique Ecclesiæ Latinæ, ut mentiuntur Calvinistæ, recessissent a doctrina Ecclesiæ Orientalis, confestim alii Episcopi Græci hujus doctrinæ retinendæ tenacissimi, reclamassent, Synodos convocassent ad stabiliendam & propalandam veram Ecclesiæ Orientalis Fidem; *Dionysium*, Patriarcham Constantinopolitanum, qui præfuit Concilio Constantinopolitano, in quo damnata est Calviniana doctrina, & *Dositheum*, Patriarcham Hierosolymitanum, qui præfuit Synodo Bethlehemiticæ, in qua itidem proscripta est Calviniana Factio, tanquam Novatores, & Ecclesię Orientalis doctrinę desertores exauctorassent, eorumque Fidei Confessionem cum execratione repudiassent; & tamen certissime constat, nullos Episcopos Gręcos unquam reclamasse adversus illas Synodos Ecclesię Orientalis, quę contra Calvinianam doctrinam Confessionem fidei ediderunt; nunquam *Dionysius* Patriarcha Constantinopolitanus, & *Dositheus* Patriarcha

cha Hierosolymitanus tanquam Novatores, & doctrinæ Ecclesiæ Orientalis desertores, sua Sede dejecti sunt; quinimmo, *Dositheus*, scientibus & applaudentibus Græcis, edidit anno MDCXC. in Walachia, ubi, sicut & in Moldavia, viget Ecclesiæ Orientalis doctrina, eique Græci has Provincias incolentes tenacissime adhærent, edidit, inquam, *Enchiridion Fidei necessarium ad confutandas calumnias Calvinistarum, qui Ecclesiam Orientalem de Deo, rebusque divinis idem cum ipsis sentire mentiuntur*, sicut jam superius observavimus. Quarto, ubi primum vulgata est Calviniana Fidei Confessio, quam *Cyrillus Lucar* Patriarcha Constantinopolitanus concinnaverat, non solum a *Parthenio*, *Cyrillo Berrohensi*, *Dionysio*, Patriarchis Constantinopolitanis, & a *Dositheo*, Hierosolymorum Patriarcha, coactis Synodis, damnata est tanquam prorsus aliena ab Ecclesiæ Orientalis doctrina, sed etiam in eandem *Cyrilli Lucaris* Calvinianam Fidei Confessionem conglomerato agmine insurrexerunt omnes Archimandritæ, seu Abbates, Monachi, & Laici Græci, nec non varii populi Christiani, qui per Orientem dispersi diversis Sectis impliciti sunt, videl. Cophti, Jacobitæ, Nestoriani, Maronitæ, Syri, Armeni, & alii, qui, licet ab Ecclesiæ Latinæ communione sint divulsi, hanc tamen Calvinianam *Cyrilli Lucaris* Confessionem palam verbo & scriptis detestati sunt, & Calvinistas, qui, ob illam Calvinianam *Cyrilli Lucaris* Fidei Confessionem falso gloriabantur in Occidente, ac jactitare solebant Ecclesiam Orientalem idem in doctrina Fidei cum ipsis sentire, appellare non dubitarunt *impudentes*, *furiosos*, *insolentes*, *superbos hæreticos stulte opinantes*, *perverse sentientes*, *injustis suspicionibus Ecclesiam Græcam infamantes*, *iniquos impostores*, *Ecclesiæ Orientalis calumniatores &c.* atque ut Ecclesiæ Orientalis Fidem & calumnias Calvinistarum, qui eam imposturis dehonestabant, toti Orbi Christiano manifestarent, publicas & authenticas ea de re dederunt testificationes amplissimas, Metropolitanorum, Episcoporum, Sacerdotum, Abbatum, & Monachorum Ecclesiæ Orientalis subscriptionibus munitas, quas insertas Tomo 3. *Perpetuitatis Ecclesiæ Catholicæ de Eucharistia Fidei* legere poteris; eas quippe integras hic exhibere nimis longum esset. Consule etiam, si tibi per otium liceat, Tomos quartum & quintum, quos tribus prioribus Tomis *Perpetuitatis Ecclesiæ Catholicæ de Eucharistia Fidei* nuperrime addidit doctissimus Abbas *Eusebius Renaudotius*, qui Linguarum Orientalium notitia apprime excultus, ejusmodi Græcorum testificationes egregie vindicat a calumniis Calvinistarum, & invictis momentis exsufflat inanes quasdam conjecturas, quas iidem hæretici magno quidem sed irrito conatu ad earum fidem elevandam hactenus excogitarunt. Quinto, sese omnibus deridendos propinant Hæretici Calviniani, dum sibi persuadent, & aliis persuadere se posse putant, illas Synodos, quas Græci ad damnandam Calvinianam doctrinam celebrarunt, recessisse ab Ecclesiæ Orientalis doctrina, quia prædictæ Synodi in ea Fidei Confessione, quam contra Calvinistas promulgarunt, diserte profitentur se credere dogmata de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, de Transubstantiatione, de invocatione Sanctorum, de cultu Sacrarum Imaginum, de necessitate Sacramentalis Confessionis, de Auctoritate Traditionis, de precibus pro defunctis, de Visibilitate & infallibilitate Ecclesiæ, de Episcoporum auctoritate, qua jure divino simplicibus Presbyteris sunt superiores &c. Cum igitur, inquiunt Calvinistæ, ejusmodi dogmata nova sint, & procusa ab Ecclesia Latina, sequitur, illas Synodos, quas Græci ad proscribendam Calvinianam doctrinam convocarunt, ejusmodi dogmata, ut assentarentur Ecclesiæ Latinæ, approbasse, ac subinde ab Ecclesiæ Orientalis doctrina descivisse. Verum, dum hæc impudorato ore garriunt Hæretici Calviniani, ridendi potius sunt, quam confutandi, quia Polemici nostri Scriptores sole clarius evicerunt, ejusmodi dogmata, quæ Synodi contra Calvinianam Doctrinam a Græcis celebratæ in sua confessione Fidei profitentur, non esse nova in Ecclesia Orientali, sed potius a Christo Domino & ab Apostolis tradita: idque probant, ex Græcorum antiquissimis Liturgiis, præsertim *SS. Basilii*, & *Chrysostomi*, ex eorum Horologiis, Triodis, Euchologiis, Synaxariis, qui libri sunt apud Græcos pervulgati, in quibus eadem dogmata exprimuntur, eaque omnes ad unum Græci fatentur, semper in Ecclesia Orientali, juxta perpetuam Patrum Græcorum doctrinam, & continuam traditionem ad hæc usque tempora propagatam, ab omnibus Fidelibus credita fuisse. Nec soli Græci Schismatici hæc dogmata tenent, sed etiam inter Fidei suæ articulos reponunt omnes Christiani, qui in Oriente varias in Sectas distracti, ab Ecclesiæ Latinæ communione sunt separati, nimirum *Cophti*, *Jacobitæ*, *Ægyptii*, *Nestoriani*, *Syri*, *Armeni*, *Maronitæ &c.* sicut ex eorum Liturgiis aperte demonstrat jam laudatus *Eusebius Renaudotius* in libro quem Parisiis anno MDCCXVI. edidit, cuique hunc indidit titulum: *Collectio Liturgiarum Orientalium*. Desipiunt ergo plane Calviniani, dum audacter asserunt, has Synodos, quas Græci ad confligendam Calvinianam doctrinam celebrarunt, recessisse a doctrina Ecclesiæ Orientalis, &, ut adstipularentur Ecclesiæ Latinæ, hæc dogmata in sua Fidei Confessione recepisse. Debuissent saltem illi Hæretici unam proferre Synodum, in qua Græci ad vindicandam doctrinam Ecclesiæ Orientalis damnassent illas Synodos, in quibus alii Græci proscribendo Calvinianam doctrinam reliquissent Orientalis Ecclesiæ doctrinam, &, ut gratificarentur Ecclesiæ Latinæ, nova Fidei dogmata obtrusissent. Nec enim credibile est omnes Patriarchas, & Episcopos Græcos voluisse dormire in utramvis aurem, & impune permittere, ut illæ Synodi ab Ecclesiæ Orientalis doctrina recederent, & nova Fidei dogmata inveherent. Nullam tamen Hæretici Calviniani, sæpius licet a Catholicis Doctoribus provocati, proferre unquam potuerunt Synodum, in qua Græci damnaverint aut accusaverint illas Synodos, quæ Cal-

Calvinianam doctrinam reprobarunt, quod descivissent ab Orientalis Ecclesiæ doctrina, & nova dogmata approbassent. Immo ex certissimis monomentis constat, omnes Græcos Schismaticos definitionibus harumce Synodorum, quæ doctrinæ Calvinianæ anathema dixerunt, firmiter adhæsisse, & etiamnum adhærere, tanquam doctrinæ totius Ecclesiæ Orientalis, omnesque Christianos, qui in Oriente varias in Sectas sunt divisi, & ab Ecclesiæ Latinæ communione divulsi, damnationi Calvinianæ doctrinæ itidem subscripsisse, & eam ita execrari, ut compertum sit ex manifestissimis Relationibus (quas Auctor aurei Operis *de perpetuitate Fidei Eucharistiæ* Tomo 3. l. 8. cap. 9. refert) omnes Orientales, & Græcos Schismaticos, suorum dissidiorum oblitos, solis Catholicis, seu his, qui Romanæ Ecclesiæ Fidem profitentur, Sacramenta ac sepulturam concedere. Lutheranis vero & Calvinianis prorsus eliminatis, eo quod illos, tanquam Hæreticos, detestentur, nec ullam cum illis societatem in his, quæ Religionem spectant, habere velint. Hæc, quæ hactenus adduxi, momenta, si Hæretici Calviniani, semoto partium studio, & abdicatis suæ Sectæ præjudiciis, perpendere velint, omni proculdubio intelligent, ea Dogmata, quæ nunc ipsi tanto animorum æstu impugnant, non recens ab Ecclesia Latina fuisse procusa, sicut oppido mentiontur, sed perpetua utriusque Ecclesiæ, Orientalis, seu Græcæ, & Occidentalis, seu Latinæ, consensione firmari, eamque etiam utriusque Ecclesiæ in asserendis iisdem dogmatibus continuam consensionem nullo negotio percipere poterunt ex unionibus Ecclesiæ Græcæ cum Latina factis, præsertim in Conciliis Generalibus, Lugdunensi II. & Florentino. In his quippe Conciliis Græci, antequam unionem inirent cum Latinis, disputarunt quidem de Primatu Romani Pontificis, de Processione Spiritus Sancti a Patre, Filioque, de Eucharistia in Azymo conficienda, de Additione particulæ *Filioque* Symbolo Nicæno facta, in quibus Controversiis Græci dissidebant a Latinis: at nullam Græci in his Conciliis disputationem instituerunt de Præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, de Transubstantiatione, de septenario Sacramentorum novæ legis numero, de invocatione Sanctorum, de Cultu Reliquiarum & Sacrarum Imaginum, de Missæ Sacrificio, de precibus pro defunctis &c. De his, inquam, dogmatibus nullam unquam Græci cum Latinis disputationem, vel minimam litem moverunt; nec vicissim Latini, qui in his Conciliis pacem ac fœdus cum Græcis pepigere, illos unquam alicujus erroris circa prædicta dogmata arguerunt aut insimolarunt, quod quidem argumento est, in utraque Ecclesia, Græca videlicet & Latina, hæc dogmata perenni, sibique semper constanti consensione credita fuisse atque retenta. Ad hanc tamen utriusque Ecclesiæ in fide illorum dogmatum perpetuam conspirationem, radiis fulgentem Sole meridiano splendidioribus adhuc cæcutiunt Calviniani, aliique nefarii hæretici, eique universi Orbis Christiani, Græci, ac Latini traditioni ab incunabulis Ecclesiæ ad hæc usque tempora nunquam interruptæ, deplorandam suam & miserabilem Petrobusianorum, Heoricianorum, Waldensium, Albigensium, Hussitarum, aliorumque infamium Hæreticorum, quos Ecclesia Catholica jam pridem protrivit, traditionem antepoount. Quod sane, ut nemo non videt, desperatæ causæ desperata defensio est, agnitæ veritatis manifesta repudiatio, & evidentissimum insaniæ argumentum, quia ut apposite ait *S. Augustinus*, *si quid universaliter per Orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ est insaniæ*. Hæc fortassis paulo fusius, quam soleam, de Synodis, quas Græci Schismatici ad damnandam Calvinianam doctrinam Sæculo Ecclesiæ decimo septimo celebrarunt, dicere necessarium esse duxi, tum ut illas Synodos a calumniis Hæreticorum, potissimum Calvinistarum, vindicarem; tum etiam ut in optimo lumine collocarem invictum illud, quod ad propugnanda Fidei Catholicæ dogmata, quæ nunc a Calvinistis, aliisque Hæreticis oppugnantur, doctissimi Scriptores Catholici, præsertim *Leo Allatius*, *Antonius Arnaldus*, & *Eusebius Renaudotius*, nobis suppeditarunt argumentum ex perpetua utriusque Ecclesiæ, Occidentalis & Orientalis consensione petitum, ad quod Hæretici, quantumvis sese vehementer torserint, nihil solidi hactenus hiscere atque mussitare potuerunt. Porro hæ duæ Synodi, videlicet Constantinopolitana, & Bethlehemitica, seu Hierosolymitana, quæ Sæculo XVII. a Græcis Schismaticis ad damnandos Calvinistarum errores, & ad perpetuam Ecclesiæ Orientalis asserendam doctrinam fuerunt celebratæ, extant Græco-Latinæ in Tomo XI. Conciliorum Generalium, quæ nuper, seu anno 1715. *Joannes Harduinus*, e Societate Jesu, Parisiis in Typographia Regia Typis mandari curavit.

D. Hoc argumentum ad persuadendam cuilibet veritatem dogmatum, quæ perperam Hæretici in controversiam vocant, abunde sufficere debet. Quicumque enim sincerus est veritatis amator, etiamsi nec immensa Sanctorum Patrum Opera, nec Theologorum lucubrationes legerit, sic discurrere potest: Scio, totum Orbem Christianum his adhæsisse Fidei dogmatibus, antequam prodirent postremis hisce temporibus Hæretici Lutherani, Calvinistæ, Sociniani &c. His etiam dogmatibus assensum præbuisse Ecclesiam Latinam universam cerno, nec consensus illius initium invenio. His quoque dogmatibus Ecclesiam Græcam, licet Ecclesiæ Latinæ, a qua diuturno schismate separata est, infensissimam consentire perspicio: in eadem dogmata alias Christianas Societates, quæ Latinæ perinde ac Græcæ Ecclesiæ communionem aversantur, conspirare compertum habeo: nullum in his Fidei dogmatibus mutationis vestigium in Ecclesiasticis monumentis offendo incunctanter: igitur credere debeo, quod ubique, quod semper universa credidit, & etiamnum credit Ecclesia; quod certe neque crederet, neque cum

cum tanta consensione credidisset, nisi illa dogmata inviolabili, ac perpetua ab Apostolis profecta traditione, veluti canali perenni, recepisset. Hoc, inquam, argumentum quemlibet veritatis amatorem, & suæ salutis percupidum convincere debet, eique persuadere falsas esse Sectas Lutheranorum, Calvinistarum, aliorumque hujus temporis Hæreticorum, qui, repudiata universæ Ecclesiæ doctrina, nova dogmata procuderunt.

M. Gaudeo plane, quod ex illis Synodis, quas universa Ecclesia Orientalis ad damnandam pestiferam *Lutheri*, *& Calvini* doctrinam Sæculo XVII. celebravit, clare intelligas, quam facile ex utriusque Ecclesiæ, Orientalis, & Occidentalis, perpetua consensione confutari possint horumce Sectariorum errores. Sed audi nunc aliud ad refellendos illorum errores non minus efficax argumentum petitum ex pseudo-Synodis, quas ipsimet Hæretici Sæculo XVII. habuerunt, & in quibus, nunquam sibi in Fide constantes, sua recuderunt dogmata, variarunt linguis & sententiis, calidum simul & frigidum ex eodem ore perflarunt, & quod gravius est, impia sanxerunt Fidei dogmata, ex quibus totius Moralis Christianæ sequitur exterminium, & sceleftis hominibus impune laxantur habenæ gravissima perpetrandi crimina absque ullo tamen amittendæ justificationis, & salutis æternæ jacturam faciendi periculo. Et primo quidem, ut cum majori perspicacitate intelligere possis quo tandem hæc fingendi ac refingendi in variis Synodis doctrinam suam proruperit effrænis Hæreticorum licentia, debes in antecessum observare, Hæreticos Calvinistas in pluribus Synodis, suæque Fidei Confessionibus aperte negare realem præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, eosque tanta execratione prosequi Assertores doctrinæ de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, ut eos appellare non dubitent *Sarcophagos cruentos*, *flagitiosos*, *insanos*, *deliros*, *Idololatras &c.* Sed vide, quæso, quam parum sibi in doctrina cons flent illi Hæretici Calviniani, qui, dum plenis, ac crepitantibus buccis a doctrina de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento se abhorrere clamitant, concordiam tamen cum Lutheranis, qui hanc doctrinam de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia profitentur, inierunt, eosque non obstante hujus contrarietate doctrinæ in suam communionem receperunt in Synodo *Carentonica*, in Galliis habita an. 1631. sicut testantur Gallicani pseudo-Ministri Calviniani in sua ad *Duræum* Epistola, in qua Decretum illius Calvinianæ Nationalis Synodi referentes hæc habent: *Unum est*, *quod cetera concordes* (Lutheranos scilicet & Calvinianos) *dirimit*, *modus quo Christi caro nobis in eo Mysterio communicatur. Res apud utrosque eadem*, *rei tantum ratio diversa. Tantulum dissidium fatemur quidem non esse nullius momenti; Tanti esse*, *ut tam necessariam Orbi Christiano Fratrum gratiam*, *tam mirabiliter planeque divinitus coeuntem*, *abrumpere debeat*, *id vero est quod constantissime negamus.* Deinde subdunt: *Sed quod exteris minus fortasse cognitum*, *quodque bonis omnibus ac pacificis ingeniis gratissimum fore confidimus*, *id vere hoc loco tacere non possumus*, *Ecclesias Reformatas* (seu Calvinistarum sectam) *in hoc Galliarum Regno*, *sic semper de his litibus*, (scilicet de doctrina de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento) *judicasse*, *suumque hoc judicium variis antehac argumentis*, *tum novissime in Synodo Generali*, *quæ hic apud nos Carentonæ in Suburbio Parisiensi anno 1631. habita est*, *disertissimo luculentissimoque Decreto testatas esse*. Denique concludunt his verbis: *Non ignorantes multa esse*, *quæ a Vitilitigatoribus in hanc sententiam objici possunt. Sed ea pleraque levissima sunt*, *neque ullo modo cum gravissimis Fidei ac charitatis Christianæ rationibus comparanda.* Apologeticum pro isto Carentonicæ Calvinianæ Synodi Decreto edidit anno MDCXXXIII. *Dallæus* Calvinista, qui c. 7. sic effatur: *Dissidium nos inter & Fratres nostros*, *quos Lutheranos nuncupant*, *enatum pietati præjudicium nequaquam facit. Agnosco non magis posse nos credere quam concipere*, *quod ponunt*, *corpus Domini esse præsens realiter intra panem Eucharistiæ. Nihilominus*, *hæc*, *quam tuentur*, *opinio*, *hos intra manens terminos*, *nullum habet venenum .... Hypothesis hæc nulli nos involvit*, *quod sit oppositum seu pietati*, *seu charitati*, *seu honori Dei*, *aut bono hominum. Ea propter Regni hujus Ecclesiæ*, seu Sectæ Calvinianæ, *haud ita pridem in ultima earum Synodo Nationali Carentoni anno 1631. Decreto expresse sancito*, *Lutheranos*, *ut vocant*, *Communioni & Mensæ admittunt propriæ*, *hac non obstante opinione*, *& paucis aliis minoris adhuc momenti*, *particularibus*, *nec nobiscum communibus*. Hæc Pseudo- Ministrorum Calvinianæ Sectæ verba hic exscribere operæ pretium duxi, ut videas quam absurdis antilogiis sese implicent nefarii illi Hæretici, qui dum disputant, dum scribunt, dum Synodos cogunt contra Catholicos, acriter invehuntur in doctrinam de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, & infrunito ore asserunt, eam esse doctrinam cruentam, flagitiosam, contra Fidei naturæque Regulam pugnantem, quæ a solis Sarcophagis, insanis, deliris, atque Idololatris propugnatur: at dum in Synodo Carentonica fœdus ineunt cum Lutheranis, hoc in dogmate cum Catholicis consentientibus, sententiam mutant, ajuntque doctrinam de reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, *nullum habere venenum*, *nullique nos involvere*, *quod sit oppositum charitati*, *pietati*, *honori Dei*, *aut bono hominum*. Catholicorum realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam credentium, & credendam esse docentium communionem execrantur Hæretici Calviniani, & tamen Lutheranos, qui in ejusdem Dogmatis confessione cum Catholicis concordes sunt, in suam communionem admittunt. Denique, in hac Synodo Carentonica Hæretici Calviniani fatentur, doctrinam de reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento nihil habere

bere quod sit oppositum pietati, charitati, & honori Dei; & tamen adorationem Eucharistiæ, ut grande crimen, utque idololatriam Catholicis objiciunt. Quasi vero Religio non doceat, Christum, ubicumque sit, esse adorandum? Si ergo doctrina de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, fatentibus ipsismet hæreticis Calvinianis in Synodo Carentonica, nihil pietati, charitati & honori Dei officiat, nec etiam pietati & honori Dei adversatur adoratio Christi in Eucharistiæ Sacramento, immo potius illi consona erit, & Christo omnino debita. Et sane, si in Regis aut Principis conspectum nemo sanus prodit, quin cultum, & reverentiam ei debitam exhibeat; eritne Idololatriæ scelus adorare in Eucharistiæ Sacramento Christum, quem ibi realiter præsentem esse docent Catholici, qui adhærent doctrinę perpetua utriusque Ecclesię, Gręcę & Latinę, consensione firmatę, de reali pręsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistię Sacramento, quam etiam hæretici Calviniani in Synodo Carentonica fassi sunt non officere pietati, charitati, & honori Dei? Has variationes, seu potius antilogias, quibus circa doctrinam de Sacramento Eucharistię se se implicant hęretici Calviniani, jam ante observaverat *Hugo Grotius* (cujus testimonium Calvinistis suspectum esse non debet) in *Discussione* quam edidit, *contra Apologeticum Riveti*, ubi hęc habet: *Calvini discipuli longe aliter hac de re*, seu de Sacramento Eucharistię, *loquuntur in Confessionibus suis, longe aliter ubi disputationibus mentem suum aperte detegunt. In Confessionibus audies, realiter, substantialiter, essentialiter sumi Corpus & Sanguinem Christi: in disputationibus, rem cœlestem hic esse, non ipsa substantia, sed significante mysterio; perceptionemque sola Fide fieri, nempe quia is, qui sumit, credit Christum pro se esse mortuum*. Mitto, ne longior sim, alias mutationes & variationes, quibus hæretici, Fidem temporum, non Evangeliorum sectantes, cetera sua dogmata de Ecclesia, de Sacramentis, de Gratia, de Prædestinatione, de peccatis &c. in Synodis, quas Sæculo XVII. celebrarunt, reformarunt, recuderunt, refixerunt, mutantes quadrata rotundis, & rotunda quadratis. Legendi sunt super hac re Catholici Scriptores Polemici, qui hoc argumentum feliciter tractarunt, & quorum scripta compilare nolo, sed præcipue legitare debes *Historiam Variationum Ecclesiarum Protestantium* duobus Tomis comprehensam, & Gallico idiomate editam ab Illustrissimo *Benigno Bossuet* Episcopo Meldensi, qui in eo scribendi genere supra ceteros excelluit, *Quantum lenta solent inter viburna cupressi*.

D. Mirari certe non subit, quod hæretici versatili ingenio præditi, sæpius in Synodis, Sæculo XVII. habitis, sua immutarint variarintque dogmata. At vehementer optarem, ut hic paulo uberius ea explicares dogmata, quæ, ut mox ajebas, iidem hæretici in suis Synodis Sęcul. XVII. Fide divina suis sectariis credenda proposuere, & ex quibus sequitur totius Moralis Christianæ exterminium. Hæc quippe impia dogmata patefacere necesse est; ut larva detrahatur illis Novatoribus, qui se, tanquam Ecclesiæ, morumque reformatores extraordinaria missione a Deo missos, non minus impie, quam superbe jactare solent.

M. Hęretici Calviniani sæculo XVII. seu anno 1619. famosam in Belgio habuerunt Synodum Dordracenam, cui interfuerunt hujus Sectæ Pseudo-Ministri Germaniæ, Angliæ, & Belgii, soli Calviniani Ministri Gallię Regni, a Rege Christianissimo inhibiti, accedere non potuerunt. In hac porro Synodo Dordracena Pseudo-Ministri Calviniani in duas Sectas, *Gomarianorum* videlicet, & *Arminianorum* distracti, se se crudeliter dilacerarunt, ac tandem Principis Arausicani, non minus Religionis, quam armorum in Batavia Arbitri, auctoritate prævaluit Secta *Gomarianorum*, qui Calvinistas, dictos *Arminianos*, eorumque dogmata damnarunt. Inter præcipua suę doctrinæ capita, quę in hac Synodo Dordracena Calvinistę Gomariani stabilierunt, duo sunt, quę omnibus suę Sectę hominibus firmiter credenda proponunt, quæque ad omnia flagitiorum genera impune perpetranda latissimam viam aperiunt. Primum est, teneri quemlibet in Secta Calviniana baptizatum credere, se esse justificatum per solam Fidem in Christum mediatorem sine bonis operibus, eamque Fidem justificantem, nullo, quantumvis gravissimo, peccato amitti posse, excepto incredulitatis, seu Apostasiæ a Fide peccato. Ex quo sacrilego dogmate palam sequitur, fures, homicidas, fornicarios, ebrios, adulteros &c. teneri Fide divina credere, se esse justos, filios & amicos Dei, dum actu nefandis sceleribus & omnium iniquitatum sordibus se se polluunt. Profecto, impium istud Calvinistarum de sola Fide justificante, ejusque inamissibilitate dogma in eorum Synodo Dordracena definitum, non minus moralem Christianam corrumpit, & in omnium vitiorum sentinam pręcipitare potest, quam spurcissimum, & omni execratione dignum dogma *Quietistarum*, seu Discipulorum *Michaelis Molinos*, qui ut superius observavimus, asserebant, eos qui semel ad statum perfectionis provecti, per Orationem Quietis Deo amore puro uniti sunt, adeo justos evadere, ut ex illo perfectionis, ac justitię statu excidere deinceps non possent, etiamsi horrendis flagitiis & turpissimarum libidinum monstris se se fędarent. Hujus detestabilis tam Calvinistarum, quam Quietistarum Dogmatis non solum impietatem, sed & manifestam contradictionem, nemo est, si micam sensus communis, vel scintillam rationis habeat, qui statim non percipiat. Quis enim non videt, impossibile omnino esse, ut idem homo simul & eodem tempore sit Deo exosus per peccatum & ipsi gratus per justitiam: vivus simul & mortuus; a Deo dissitus & ipsi unitus; mundus simul & inquinatus; objectum divinę dilectionis simul & odii divini; habens jus ad hęreditatem patrię, & dignus tamen ęterno supplicio; Deo serviens & mammonæ,

næ, filius Dei & Diaboli; *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?* Inquit Apostolus *Paulus* Epistola 2.ad Corinthios c.6. Alterum perinde puritati Moralis Christianæ infestum dogma in hac Synodo Dordracena pseudo-Ministri Calviniani constituerunt, definieruntque, justificatos per Fidem in Christum Fide divina credere debere, se plenam & omnimodam habere certitudinem de sua salute. Quod quidem, ut nemo non videt, superbiam ingenerat, & extinguit in justis sanctum illum timorem, quem tam sæpe commendat Scriptura Sacra, dum ait: *In timore & tremore salutem vestram operamini: Nemo scit an odio, vel amore dignus sit: Qui stat, videat ut cadat: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne dum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar &c.* Hinc quotquot viri justi ac solide pii invigilant incessanter, & incumbunt in comprimendis suis cupiditatibus, virtutum officiis jugiter & indefesse funguntur, jejunia frequentant, orationibus noctes diesque vacant, eleemosynas profundunt, conscientiam pro virili humanis affectibus expurgant, & quamvis inde multam non immerito spem, fiduciamque de misericordia Dei, & de sua æterna salute concipiant, non plenam tamen & omnimodam certitudinem ac securitatem, (quam promittunt, & non dant Calviniani aliique Hæretici) habent, sed sancto timore concussi salutem suam operantur, sataguntque bonis operibus certam suam vocationem facere. Contra vero Calvinistæ, aliique Hæretici, qui falso reformatorum nomen ambiunt, non tantum credunt, se justificari per solam Fidem in Christum absque bonis operibus, eamque Fidem justificantem nunquam se deperdere posse, etiam in omnium vitiorum ac libidinum cœno immergantur; sed etiam profitentur, divina Fide credere, se habere omnimodam certitudinem de sua salute, quamvis voluntariam mortificationem, castitatem, pro satisfactione peccatorum admissorum laboriosam pœnitentiam, aliaque virtutum officia contemnant, & explodant, quia sibi persuadent, omnia peccata, etsi gravissima, quæ committere possunt, per solam Fidem, quam habent in Christum, deleri, nec sibi imputari. Ex quibus hæreticorum doctrinæ principiis necesse est ut apud ipsos erumpat maxima in moribus corruptela, & impune regnet effrænis licentia peccandi, cum nullo amplius retinente fræno, sponte in peccata corruat accensa cupiditate fragilitas humana. Quod si respondeant hæretici, in Ecclesia etiam Romana multas circa moralem Disciplinam laxas opiniones doceri, quibus ad omnem corruptelam aditus patet: Si id, inquam, respondeant hæretici, facile erit hanc calumniam depellere, & aperte demonstrare, parem ea in re non esse utrobique rationem, sed potius longum latumque intercedere discrimen. At enim, licet negari haud possit, extitisse aliquos laxiores in Ecclesia Romana Theologos, seu Casuistas, qui ad excusandas excusationes in peccatis Legem Dei plus æquo emollierunt, & nefariis novitatibus Moralis Christianæ integritatem corruperunt; certum tamen est ejusmodi corruptelas in morum Disciplinam ab illis laxioribus Casuistis invectas, circa usuras, simonias, restitutionis onus, injuriarum tolerantiam, homicidii veniam, & aliorum præceptorum Dei, & Ecclesiæ observantiam, statim Summorum Pontificum Decretis, Episcoporum censuris & Conciliorum canonibus fuisse proscriptas, & in eas insurrexisse omnes Catholicos, simul ac pestiferum illud venenum retectum est, sicut in superiori Colloquio commonstravimus. Quæ cum ita sint, impium omnino foret in Ecclesiam Romanam refundere quorumdam privatorum errores, & aliquorum contagione membrorum totum corpus infectum existimare. At de Hæreticis longe dispar ratio est. Ipsi quippe in suis Synodis, quas Sæculo XVII. celebrarunt, præsertim in Synodo Dordracena, definierunt, & in suis confessionibus Fidei credenda proposuerunt propudiosa dogmata, quæ recta ad perniciem, & integrum Moralis Christianæ exterminium collimant, omnesque hæreticorum Sectis addictos obstringunt, ut Fide divina credant primo, se justificari per solam Fidem in Christum, absque bonis operibus. Secundo, nunquam hanc Fidem justificantem nullo, quantumvis gravi peccato, excepto solo infidelitatis, seu Apostasiæ a Fide delicto, amitti posse, ita ut fures, homicidæ, adulteri haberi debeant tanquam justi, filii Dei, & hæredes Regni cælestis. Tertio, ut credant, se habere omnimodam certitudinem de sua salute, etiamsi omnibus vitiis se dedant, quia peccata habentibus Fidem in Christum non imputantur, ac subinde tanquam superstitiosam damnari debere eam Sacramenti Pœnitentiæ & rigoris Ecclesiastici disciplinam, quam ad expianda peccata necessariam esse docet Ecclesia Romana. Hæc nefaria dogmata, quibus ad corrumpendos mores nihil unquam pestilentius fingi & excogitari potuit, non solum suis sectariis, *Lutherus*, *Calvinus*, *Socinus*, credenda proposuerunt, sed etiam eorum discipuli in suis Synodis confirmarunt, in suis Confessionibus Fidei inseruerunt, & in libris, quos ediderunt, magno animorum æstu propugnarunt, ita ut in dubium revocari minime possit, hæc virulenta Dogmata, quæ absque horrore audiri non possunt, etiamnum hæreticis probari tanquam præcipua doctrinæ suæ capita, sicut invictis momentis petitis ex eorum Synodis, Confessionibus Fidei & Operibus demonstrat clarissimus *Antonius Arnaldus*, in aureo libro, quem adversus illos Gallico idiomate lucubravit, & cui titulus est: *Le renversement de la Morale de Jesus Christ par les erreurs des Calvinistes touchant la justification*, idest, *Doctrina Moralis Jesu Christi erroribus Calvinistarum de justificatione omnino profligata*.

D. Hæ Synodi, quas hactenus percensuisti, quæque tum a Græcis Schismaticis, tum ab hæreticis Sæculo XVII. fuerunt celebratæ, duo mihi luculentissima suppeditant argumenta ad proban-

dum Sectas Lutheranorum, Calvinistarum, & aliorum nostri temporis Hæreticorum esse Synagogas Satanæ. Sic enim primum argumentor: Illæ Sectæ sunt Synagogæ Satanæ, quæ ea Fidei dogmata credere nolunt, quæ perpetua utriusque Ecclesiæ, Latinæ videlicet, ac Græcæ consensione probantur; atqui ex Synodis, quas Græci Schismatici in Ecclesia Orientali Sæculo XVII. contra Lutheranos, & Calvinistas convocarunt, liquido constat, Sectas horumce hæreticorum nolle ea Fidei credere dogmata, quæ perpetua utriusque Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ consensione probantur: ergo Lutheranorum, Calvinistarum, aliorumque nostri temporis hæreticorum Sectæ sunt Synagogæ Satanæ. Aliud argumentum sic instauro. Hę Sectę sunt Synagogę Satanę, quæ præcipua doctrinæ suæ capita in Synodis variarunt, mutarunt, interpolarunt, atque doctrinam Moralem Christianam, inductis perniciosis dogmatibus, corruperunt; atqui Sectæ Lutheranorum, Calvinistarum, aliorumque hujus tempestatis hæreticorum præcipua, &, ut vulgo ajunt, fundamentalia doctrinæ suæ Capita in Synodis Sæculo XVII. habitis variarunt, mutilarunt, interpolarunt, atque Doctrinam Moralem Christianam execrandis laxitatibus corruperunt: ergo Lutheranorum, Calvinistarum, aliorumque hujus temporis hæreticorum Sectæ sunt Synagogæ Satanæ. Sed in proponendis adversus illorum hæreticorum Sectas argumentis, quorum evidentia sat, superque patet ex his, quas hactenus memorasti, Synodis, diutius immorari non debemus. Prestat nunc, ut ea percurramus Concilia Provincialia, Nationalia, vel Dięcesana, quę Sęculo XVII. in Ecclesia Romana, sola ac vera Christi Sponsa, tum ad proscribendos enatos errores, tum ad sanciendam Ecclesię disciplinam, dum denique ad reformandos mores fuerunt celebrata.

M. Incipiam a Conciliis, quę Sęculo XVII. in Galliis habita fuerunt, eaque juxta ordinem Chronologicum percensebo. Primum Concilium Provinciale, quod in Gallia Sęculo XVII. fuit celebratum, est Concilium Narbonense, a *Ludovico de Vervins* Archiepiscopo, & Primate Narbonensi anno 1609. indictum, in quo multa statuta ac decreta sunt, ex quibus pauca, quę singulari observatione digna videntur, hic inseram. In primis, *circa Doctrinam Christianam* districte prohibet istud Concilium Narbonense, ne quis Sacra Biblia, Gallico idiomate conscripta, legere, aut domi retinere possit, nisi ab Episcopo, aut ejus Vicario Generali obtenta licentia, quam non concedent, nisi prius iisdem visis, lectis, & approbatis, ne venenum ab hæreticis sparsum, in permultis Versionibus blande serpens, animas alioqui pias inficiat. Secundo, ut nemo a Quadragesimalis jejunii lege absque legitima causa se se eximere posset, pręcipit istud Concilium Narbonense Medicis, ut, proprię suæ salutis memores, sedulo caveant, ne nimia facilitate cujuspiam male affectam sanitatem testentur, sibique parent gehennam, alios nimia adulatione perdentes. Tertio, circa Sacramentorum administrationem decernit Concilium Narbonense, ut Parochus, ad quem Sacramentorum administratio spectat, purus sit & ab omni lethalis peccati labe alienus, eosque a participatione Sacramentorum arceat, qui ad ea suscipienda elata fronte, vel arma gestantes accedunt, & exteriori corporis gestu internam non produnt devotam animi submissionem. Statuit etiam idem Concilium, ut nullo pacto permittatur fœminis ad Altare propius accedere, cum Divina peraguntur, nec eis licitum sit parare Altare, aut Sacerdoti Missæ Sacrificium celebranti ministrare, cum fœminæ silere debeant in Ecclesia, & propter Sacerdotes faciem velare. Denique, Concilium Narbonense Episcopis præbet salubertima documenta, videlicet, ut quotidie certam sibi horam sumant, quam in studio, & exercitatione Divinarum contemplationum insumant, profestis diebus Missæ sacrificio intersint, Dominicis vero & festivis diebus Missam celebrent, & Divinis officiis adsint: Ut Officiarios, & maxime officiales, ac Promotores, Viros probos vita & doctrina conspicuos instituant: Ut se faciles adeuntibus præbeant, egentibus largas eleemosynas concedant, inimicos reconcilient, infirmos visitent; convivia non faciant frequentia, a Laicorum nimia familiaritate abstineant, petentibus Consilium dent, & afflictos benigne consolentur; in domibus suis fęminas non admittant, domesticos de Fide benę sentientes, modestos, & pios habeant, quos semel in mense confiteri, & Sacram Eucharistiam sumere procurent, & lectionem sacrorum Librorum in mensa per Clericum faciendam: Ut frugali mensa & mediocri supellectili contenti sint, atque in reliquo vitæ genere frugalitatem sectentur, & mediocritatem, caveantque, ne quid in tota familia sua ab hoc sancto Instituto alienum appareat, quodque simplicitatem, pietatem, divini cultus ardorem, & vanitatis, mundique contemptum non præseferat. Ut tonsuram semper conspicuam gerant in capite grandiorem multo quam ceteri Sacerdotes, tanquam a terrenis curis magis abstracti: Ut picturas omnes, profanas res repræsentantes, domi non retineant, omnino rejiciant, easque tantum habeant, quæ ad pietatem promoveant intuentes: Denique, ut universam Diœcesim, si non singulis annis, tertio saltem quoque anno visitent, moderato tamen comitatu, ne subditos nimiis sumptibus opprimant, domique habeant Clericos decenti seu Clericali habitu indutos, illosque non retineant, nisi sint bonæ existimationis, seu morum probitate bene apud omnes audiant. Hæc sunt utilissima, quæ Concilium Narbonense Episcopis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam suam, suppeditavit documenta, ad quæ si ipsi vitæ suæ rationem, uti par esset, exigerent, pristinus Ecclesiæ propediem restitueretur splendor, & Disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ temporum injuria collapsa est, restauraretur vigor. Aliud Concilium, quod in Galliis Sæculo XVII. habitum est, vulgo dicitur Senonense, eo quod a *Jacobo Davio Perronio*, Cardinali, Archiepiscopo Senonensi, indictum sit, licet fuerit Parisiis celebratum anno

anno 1612. tempore *Pauli V.* Pontificis Max. & *Ludovici* XIII. Galliarum Regis. In hoc Concilio Senonensi libellus, cui, absque nomine Auctoris, & Typographi, titulus erat: *De Ecclesiastica Potestate*, damnatus est, ob multas, quas continebat, propositiones, expositiones, & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, schismaticas, & hæreticas. Verus libelli Auctor fuit *Edmundus Richerius*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, sicut in superiori Colloquio jam observavimus. Censuram latam in hunc *Edmundi Richerii* libellum vehementer approbavit *Paulus V.* Pontifex Max. & *Andreas Duvallius* Doctor Sorbonicus, ac Regius Theologiæ Professor, qui prædictum libellum confutavit, plurimum commendat Episcopos, qui in hoc Concilio Senonensi prædictum libellum censorio stigmate confixerunt, aitque, illos veterum Galliæ Episcoporum in retundendis erroribus, & fugandis hereticorum monstris zelum fuisse imitatos. Verum, cum hic *Edmundi Richerii* libellus *De Ecclesiastica, & Politica Potestate*, per Gallias sparsus, in multorum manibus versaretur, ac periculum esset, ne novæ, erroneæ, & perversæ sententiæ in eorum animos irreperent, & in Ecclesiæ perniciem impune grassarentur; hoc periculum avertere volens *Paulus Huraltus Hospitalius*, Archiepiscopus Aquensis, eodem anno 1612. Episcopos Provinciæ Aquensis, ad Aquas Sextias (quæ urbs est Gallo-Provinciæ) convocavit, ibique Concilium, dictum Aquense, celebravit, in quo hic libellus iterum damnatus est. Hac utriusque Concilii, Senonensis, & Aquensis, censura perstrictus *Edmundus Richerius* hujus male consarcinati libelli Auctor, divina affulgente gratia, resipuit, & ab erroribus quibus suum libellum resperserat, resilhit. Nec solum, ut in superiori Colloquio jam annotavimus, coram dignis testibus *Edmundus Richerius* declarationem a se anno 1629. scriptam consignavit Eminentissimo Cardinali *Richelæo* Provisori Domus Sorbonæ, in qua diserte profitetur, se, libellumque suum *De Ecclesiastica, & Politica Potestate*, ac quascumque ejus propositiones, Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio subjicere, & quatenus contrariæ illæ essent eidem Ecclesiæ Romanæ (quam Matrem & Magistram omnium Ecclesiarum, & infallibilem veritatis agnoscit) declarat, eas a se sincero animo improbari ac damnari; sed etiam ea declaratione non contentus *Edmundus Richerius*, cum aliquanto post editam declarationem lethali morbo correptus lecto decumberet, sumpto a Parocho suo Sacratissimo Viatico, coram illo, & multis adstantibus palam professus est, se sponte, & absque ullo potentissimorum Virorum, ut plerique clanculum susurrabant, declarationem prædictam edidisse, immo, se ad eam redintegrandam seu repetendam paratissimum esse. Quod coram Notario Apostolico plures probatissimæ fidei, & omni exceptione majores occulati, & auriti testes declararunt, ac prædictæ declarationis, ejusque jam imminente morte, renovationis exemplaria, cum testium subscribentium nominibus, *Andreas Duvallius*, Parisiensis Doctor, jam a me laudatus, præmisit suo Tractatui *De Suprema Summi Pontificis Potestate*, in Admonitione ad Lectorem in Tomo posteriori suorum Operum editionis an. MDCXXXVI. Si plura de infausta sorte, quam nactus est hic libellus *De Ecclesiastica, & Politica Potestate* ab *Edmundo Richerio* editus, & de turbis, quæ in pluribus Comitiis Sacræ Facultatis Parisiensis illius occasione excitatæ sunt, scire desideres, legesis *Bibliothecam juris Gallici*, idiomate Gallico conscriptam, ubi verbo, *Syndicus*, turbæ, quas in Galliis excivit seditiosus hic libellus, accurate referuntur, a quibus omnibus repræsentandis hic consulto abstinebimus, quia non minus paci, quam brevitati consulendi nobis incumbit necessitas. Galliam non multo post turbavit etiam alius libellus, hunc præferens titulum: *Optatus, Gallicus de cavendo Schismate*, absque Auctoris, & Typographi nomine, furtive in lucem emissus; qui cum multa contineret, quæ magis ad servitutem Ecclesiæ tendere, & ad Schismata viam sternere videbantur, primum a Consistorio regio prohibitus est distrahi ac vendi: deinde, in Cœtu Eminentissimorum Cardinalium, ceterorumque Gallicanæ Ecclesiæ Antistitum, qui tunc Lutetiæ reperti sunt numero undeviginti, censura notatus ac damnatus est. Ex quo quilibet facili negotio intelligere potest, securius esse sibi & Musis intra spatium canere, quam temere velle se se ingerere in negotio & jurisdictione utriusque Potestatis, Ecclesiasticæ videlicet & Politicæ, eosque omnes, qui absque ea, quæ debetur, circumspectione maxima, de utraque potestate loqui aut scribere præsumpserunt, quasi ad lapidem caput impingentes, fuisse contritos, juxta illud Matthæi cap. 21. *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem vero ceciderit, conteret eum.* Ad sanciendam Ecclesiæ Disciplinam Concilium Provinciale Eminentissimus Cardinalis *Franciscus Surdisius*, Burdigalensium Archiepiscopus, Aquitaniæ Primas, convocavit Burdigalæ anno MDCXXIV. sedente Summo Pontifice *Urbano VIII.* & regnante in Galliis *Ludovico XIII.* In eo Burdigalensi Concilio actum est de Disciplina, & morum reformatione, ac jurisdictione Ecclesiastica, atque inter alia Decreta, quæ in eo edita sunt, statuitur primo, ut Episcopus his, qui ejus Ecclesiæ ac jurisdictioni subditi sunt, per semetipsum Ordines conferat, nisi ægritudine aut alia justa causa impediatur; qua subsistente, subditos suos non aliter quam jam probatos, examinatos, & de quorum probitate, moribus, & conversatione per denunciationes in Ecclesia factas sibi constet, ad alium viciniorem Episcopum, seu alios certos, non quoscumque dimittat, causam in litteris exprimendo, cur a se non potuerint ordinari; neque ad plures Ordines Sacros suscipiendos, sed ad unum Ordinem duntaxat mittantur. Quod quidem ut summa diligentia observari possit, ibidem districte præcipitur, ut nullus deinceps a quoquam Episcopo, etiam cujusvis generalis aut specialis Rescripti vel privilegii prætextu, etiam

statis temporibus, promoveatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur: *si secus fiat*, ait illud Burdigalense Concilium, *Ordinans a collatione Ordinum per annum, juxta Sacri Concilii Tridentini Decretum, & Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus*. Præterea, idem Concilium Burdigalense doctrinæ Moralis Christianæ puritati consulere volens, tulit in libro cujusdam *Petri Milhardi* de casibus conscientiæ censuram, his verbis conceptam: *Quia vero inter casus conscientiæ a Petro Milhardo vulgari sermone in lucem editus, multa sunt, quæ potius animas pusillorum offendunt, quam ædificant dum Simoniæ & Usuræ circumstantiam ita delineat, ut ejusmodi peccatis, quasi viam aperire magis, quam præcludere videatur, necnon libertinis ansam aliquam dare, prætextu pravæ multorum consuetudinis, impune violandi generalia illa præcepta Ecclesiastica de audiendo sacro diebus festis, & jejunandis Quadragesimæ temporibus: Nos his, aliisque permultis de causis lectionem librorum omnium, quam prædictus Milhardus de casibus Conscientiæ quovis idiomate conscripsit, & quocumque titulo censeantur, omnibus Provinciæ fidelibus omnino interdicimus: invigilent Ordinarii censuris, cum opus fuerit, adhibitis, ne ejusmodi, aut aliis erroribus sibi commissæ plebes inficiantur*. Missa facio, ne longior sim, alia Concilii Burdigalensis Acta ac Decreta, quæ Parisiis anno MDCXXV. typis edita sunt, & Disciplinæ Ecclesiasticæ, morumque spectant reformationem. Ejusdem Concilii Burdigalensis, sicut & aliorum Conciliorum Provincialium Galliæ, quæ mox indicavimus, videlicet Narbonensis, Senonensis, & Aquensis, Acta & Decreta extant in Tomo XI. Conciliorum Generalium, quæ Joannes Harduinus, e Societate Jesu, Parisiis in Typographia Regia anno 1715. excusa publicavit.

D. Hæc sunt itaque omnia Concilia Provincialia, quæ Ecclesia Gallicana Sæculo XVII. celebravit?

M. Præter hæc, jam a me laudata, Concilia Provincialia, Episcopi Gallicani singulis quinquenniis habuerunt Sæculo Ecclesiæ XVII. Comitia Generalia, quæ vulgo dicuntur Conventus Cleri Gallicani, & sunt instar Synodorum Nationalium, quem morem etiamnum retinet Clerus Gallicanus. Infinitus profecto essem, si hic vellem singillatim percensere omnes Cleri Gallicani Conventus, qui simul collecti, & sex Tomis in Folio comprehensi; Parisiis anno MDCLXXV. in lucem editi sunt, hunc titulum præferentes: *Recueil des Actes, Titres, & Memoires concernant le Clergé de France*, seu *Collectio Actorum, Titulorum, ac Documentorum Clerum Gallicanum spectantium*. Non permittunt itaque nostrorum Colloquiorum angustiæ, ut de his omnibus Cleri Gallicani Conventibus disseramus, immo, cum omnes illi Conventus ad eumdem finem referantur, videlicet ad extirpandas penitus in Galliis reliquias Sectarum *Lutheri* & *Calvini*, ad obtinendam a Rege Christianissimo promulgationem Concilii generalis Tridentini in Galliarum Regno, ad damnandos emergentes errores, potissimum *Jansenii*, ad sanciendam Disciplinam Ecclesiæ, ad stabiliendam ac vindicandam anctoritatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam, ad conservandam puritatem doctrinæ Moralis Christianæ; & demum ad instituendam rerum temporalium Cleri Gallicani rectam administrationem: cum, inquam, ad eumdem finem referantur omnes Conventus Cleri Gallicani, supervacaneum omnino esset de his singulatim impræsentiarum agere, tibique earumdem rerum, quæ in his statutæ sunt, iterata repetitione fastidium intempestive creare. Abunde igitur sufficiet duos celebriores hic proferre Cleri Gallicani Conventus, in quorum primo accurate præscribuntur omnia, quæ ad restaurandam Ecclesiæ Disciplinam conducere possunt: in altero damnantur tum errores *Cornelii Jansenii*, Episcopi Iprensis, tum etiam quorumdam laxiorum Casuistarum, qui Sæculo XVII. doctrinam Moralem Christianam multis corruptelis labefactare moliti sunt. Prior Cleri Gallicani Conventus, qui totam complectitur Disciplinam Ecclesiæ Gallicanæ, quam ceteri postea ejusdem Cleri Conventus Sæculi XVII. confirmarunt, dicitur Melodunensis, eo quod Meloduni sub finem Sæculi XVI. hoc est, anno 1579. fuerit convocatus, continetque quadraginta Titulos, Disciplinam Ecclesiæ, morumque reformationem spectantes, quos breviter indicabimus, & res, quæ in præcipuis Titulis sunt majoris momenti, summatim delibabimus. Primus Titulus obligat omnes fideles ad profitendam publice Catholicam Fidem Ecclesiæ Romanæ. Secundus Titulus hortatur Prælatos, ut jugiter excubias agant, summaque diligentia caveant, ne serpant Hæreses, & Hæretici irrumpant in Ovile Christi. Tertius est contra Blasphemos, qui gravibus pœnis subjacere debent. Quartus est contra Magos, Ariolos, Divinatores, Sortilegos, Necromanticos, Pyromanticos, Chiromanticos, Hydromanticos, & alios hujusmodi, aut alterius generis hujus superstitionis macula pollutos. Quintus Titulus præfigit Ecclesiarum Visitationem, & cuncta, quæ ab Episcopis tempore Visitationis fieri & observari debent. Sextus Titulus dierum Festorum cultum imperat, prohibetque, ne festivis diebus officinæ omnino, aut aliqua ex parte aperiantur; ne Aurigæ, aut quivis alii vectores suas publicas vecturas exerceant: ne nundinæ, præcipue in Templorum Vestibulis, claustris, aut portis exerceantur, aut culinæ admittantur: ne Moriones, & Saltatores Festa Suburbiorum cum tympano prænuntient populis urbium, ut eos ad luxum, voluptates, & ebrietates a sua Parœcia evocatos ad se trahant: ne ludi equestres, certamina, saltationes, aut alia inania ludrica, & prophana diebus Festis peragantur, sed potius instruantur & edoceantur populi ad memorias Sanctorum recolendas, ad sectanda eorum vestigia, ad participationem & meritorum & precum Sanctorum, quæ omnia ut assequi valeant, monendi erunt, ut &

ut & prædicationi Verbi Dei, & Horis ac divinis Officiis, Sanctorum recolendis virtutibus, ac præcipue Dei eximiis in memoriam revocandis beneficiis, intersint assidue. Septimus Titulus spectat Sacramenta in genere, præcipitque Parochis, ut Sacramentorum Vim pro subditorum captu sæpissime explicent, hortenturque eos ad assiduam pœnitentiam, & Eucharistiæ perceptionem, prætertim in Nativitatis Christi, Paschatis, & Pentecostes, ac aliis Ecclesiæ solemnitatibus. Titulus octavus agit de Sacramentis in specie, & primum de Baptismo, damnatque abusum a quibusdam invectum, qui in Baptismo nomina turpia, ridicula & prophana imponebant; atque ad tollendum de medio prædictum abusum, jubet ut honestiora duntaxat & pietatem Christianam redolentia nomina, quæ in Catholica Ecclesia recepta sunt, admittantur in Baptismo. Nonus Titulus versatur circa Confirmationem, & injungit Parochis, ut populos suæ curæ concreditos ad hujus Sacramenti susceptionem vehementer adhortentur, eosque edoceant, quanta cum fiducia & animi puritate illud suscipere debeant, quo cælestibus ex eo perceptis gratiis roborari, adversus ingruentes insidias Diaboli, Mundi, & Carnis impetus facile victores evadere possint. Decimus Titulus ponit ea, quæ attinent ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, statuitque ut ad frequentem communionem cum Fidei sinceritate, spei confidentia, charitatis ardore, ac animarum puritate populi excitentur: Ut convicti concubinarii, fœneratores, ac juratores blasphemi, aut alii publice peccantes, ad Sacram Communionem, donec resipiscant, & mores emendent, non admittantur: Ut juvenes, qui primum ad tanti Sacramenti sumptionem admitti volunt, per dies aliquot, antequam fiant illius Sacramenti participes, ad Fidei sinceritatem, usum, & fructum tam augusti Sacramenti diligenter instituantur: Undecimus Titulus præscribit ea, quæ spectant celebrationem Missæ, decernitque, ut omnis turpis ex Missarum celebratione abarceatur quæstus, & omnis superstitiosæ incantationis impietas, aut sortilegii: Ut dum Missæ celebrantur, absint ab Ecclesia deambulationes, sive Clerici, sive Laici sint; si vero incorrigibiles sint, ab Episcopo castigentur, & si necessitas exigat, Excommunicationis pœna feriantur: Ut a novarum (sicut vulgo dicitur) Missarum celebratione choreæ, sumptuosa convivia, & alii, si qui irrepserunt, abusus penitus abigantur, & in tanta Mysteriorum celebratione adsit omnis modestia, & gravitas, absitque omnis indecens gestus ac celebritas, & audientes Missam pariter orantes devote & decenter se componant. Titulus Duodecimus tractat de Sacramento Pœnitentiæ, sancitque, ut tales seligantur excipiendis Fidelium Confessionibus, qui sint pietate, doctrina, & prudenti judicio præditi, ne animarum medela imputis, imperitis, & imprudentibus committatur: Ut beneficio absolutionis non donentur hi, qui sunt usurarii, vel concubinarii publici, aut qui renuunt satisfactiones, vel restitutiones qualescumque facere: Ut publice peccantibus publica injungatur pœnitentia, sicut a Synodo Tridentina præceptum est. Titulus decimus tertius statuit, ut ab omnibus observetur Quadragesimæ & quatuor Temporum jejunium, quod ornari debet precum assiduitate, victus honesta tenuitate, & eleemosynarum pia largitione. Prohibet insuper omnia mala, videlicet luxum, ebrietates, ludos, & alia sorte deteriora, quæ, appetente Quadragesimæ tempore, idest, in carnisprivis, & in ludicris festis genialibus, quæ vulgo Bacchanalia dicuntur, cum gravissimo multorum damno & scandalo fieri solenne est; quasi Sacra Quadragesima ingluviem & impietatem omnem initii sui loco habere debeat, & impio superstitiosæ gentilitatis more conspurcari. Decimus quartus Titulus, qui est de Extremæ Unctionis Sacramento, præcipit Parochis, ut omnem operam adhibeant, quo infirmi, dum adhuc sunt sanæ mentis, ac sui compotes, cum omni in Deum fiducia, & omnium terrenarum rerum abjecta cura, hoc Sacramentum suscipiant. Decimus quintus Titulus, qui est de Sacramento Matrimonii, monet nubentes, ut sedulo caveant, ne Sacræ Christianorum nuptiæ in Bacchanalia convertatur; eosque excommunicatione percelli debere declarat, qui sortilegia, veneficia, aut incantationes in illos qui matrimonia contrahunt, aut benedictionem nuptialem suscipiunt, sacrilego ausu exercent. Decimus sextus Titulus, qui est de Sacramento Ordinis, & de vita ac honestate Clericorum, injungit Clericis, ut maxima cum attentione, ex affectu cordis & elevata mente, nocturnum diurnumque Officium recitent. Quod si cordis puritas, animi ardor, & summa attentio requiruntur in precibus Horariis recitandis, quantum putamus decere eos, qui ad tremenda Mysteria peragenda accedere curant! *Animo ergo*, sunt ipsissima verba Episcoporum Ecclesiæ Gallicanæ, *assidue revolvant Presbyteri duplicem ab Apostolo relatam in temere id præsumentes ultionem: alteram, qua ait:* judicium sibi manducat & bibit*: Alteram vero*: Propterea infirmi multi, & dormiunt multi; *addentes illud Christi:* nolite Sanctum dare canibus: *ac Judæ temerarii ultionis perpetuo memores, in quem, post acceptam bucellam, introiisse Satanam legimus, non quia malum malus accepit, sed quia bonum male malus accepit, ut ait Sanctus Augustinus.* In Titulo decimo nono Episcopi Ecclesiæ Gallicanæ tres causas referunt; ob quas male audit Clerus. Prima est omnium malorum radix cupiditas, ex qua sacrilegia, simoniæ, & omnis ferme malorum cohors prodiit. *Abstineant ergo Sacerdotes* (sic præcipiunt Episcopi Gallicani) *primum a rerum terrenarum cura, & omni etiam nepotum tutela & curatela, nisi aut religionis causa aut necessitas suadeant. Caveant a litibus & processibus. Servos Dei non oportet litigare: multo magis a forensi, procurationis, aut causidico munere, nisi quantum per canones licet, abstinere debent. Sic procul omnis turpis lucri aviditas, & proinde ab omni, lucrandæ pecuniæ gratia, sordida arte recedant.*

Non

Non theatricam profiteantur vanitatem, hoc est, non histriones agant, non citharœdos, non caupones, quandoquidem olim tanta in Clero optabatur honestas, ut ne nuptialibus quidem parentum, aut amicorum conviviis interesse liceret; nec tabernas, nisi urgente necessitate ipsa, intrare attentent. Non sortilegia, veneficia, multo minus autem incantationes sectentur, turpis lucri gratia. Duas alias causas, ob quas Clerus male audit, ajunt Episcopi Gallicani, esse luxum & fastum. Sed nihil tam indecens & inhonestum esse censent iidem Episcopi Gallicani, quam dum Clerici & Sacerdotes, ventris aut cupiditatis gratia, fiunt Laicorum mancipia, ac mulierum deambulones, aut procuratores, vel domus Laicæ Præfecti, ita ut, hi quos gregis Dominici decebat esse Duces, fiant totius populi caudæ, & turpissimæ alligentur servituti. Titulus decimus octavus, qui est de promotione ad Ordines Sacros, mandat, ut tales ad Ordines Sacros promoveantur, quales & populi salus, & temporum necessitas, ac muneris gravitas exigunt, sicut statuit sancta Tridentina Synodus, qui videlicet sint pietate, doctrina, & morum integritate ornati, & qui diebus Dominicis ac festivis, nisi jure impediantur, sacrum facere non omittant. Canonicarum Horarum Officium & preces persolvant diebus singulis, sub fructuum Ecclesiasticorum privatione, si sint aliquo Beneficio donati. Titulus decimus nonus, qui est de Episcopis, hanc unam eis proponit Apostolicam Regulam, ut nimirum sint irreprehensibiles, sobrii, prudentes, ornati, bene præpositi, non Neophyti, sed testimonium bonum habentes ab iis, qui foris sunt. Titulus vigesimus, qui est de Canonicis, statuit, ut Canonici preces & divina Officia non cursim, sed devote, attente, & graviter in Choro recitent, iisque districte inhibet, ne in Ecclesia deambulationes agant, ne in Choro, dum sacra Officia celebrantur, aut vagentur, aut loquantur una, aut otiose taceant, sedeant indecore, aut strepitus edant. Titulus vigesimus primus, qui est de Parochis, mandat his, quibus incumbit cura animarum, ut instruendis ad Fidem & morum integritatem gregibus diebus singulis, vel saltem Dominicis, sedulo invigilent, ad populum sacram concionem habeant, pauperum, Orphanorum, Viduarum, ac Virginum sollicitudinem haud parvam habeant, vitia publica & privata prudenter corrigant, & corrigenda curent, lites componant, ab omni simoniæ labe puri sint, dies Festos rite & christiane servari satagant, & ab omni cupiditate atque avaritia sint alieni, verbi Apostolici jugiter memores, dicentis: *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*. Titulus XXII. est *de Residentia*. Titulus XXIII. complectitur *Capita de Reformatione Regularium*. Titulus XXIV. præstituit leges observandas in Seminario, quod juxta Concilii Tridentini Decretum Sessione 23. cap. 18. institui debet in quavis Diœcesi. Denique insequentes Conventus Melodunensis Tituli spectant *res temporaneas*, *Hospitalia & Infirmarias*, quas vulgo *Leprosarias* vocant: *Causas pias; cultum, & ornatum Ecclesiarum; funus & exequias Catholicorum; conservationem bonorum Ecclesiasticorum; Forensem Episcoporum jurisdictionem: pœnas, quæ publicis criminibus, præsertim Meretricibus, Lenonibus, Concubinariis, & Usurariis infligi debent; & ea quæ Ludimagistri, Vicarii Foranei, & Archipresbyteri tenentur obire Officia &c.* Quæ omnia late explicantur in hujus Episcoporum Galliæ Conventus Melodunensis Constitutionibus, quæ extant Tomo I. *Collectionis Actorum, Titulorum, Documentorum Clerum Gallicanum spectantium* a pag. 336. usque ad pag. 475. Hæc autem Disciplinæ Ecclesiasticæ Capita, in hoc Cleri Gallicani Conventu Melodunensi sancita, alii deinceps ejusdem Cleri Conventus generales, qui Sæculo XVII. fuere celebrati, confirmarunt, quos proinde hic referre superfluum omnino foret. Sufficiet observare, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & cæteros ex cunctis Galliarum Regni Provinciis Delegatos Viros Ecclesiasticos, qui a Regibus Christianissimis nunquam obtinere potuerant, frequentissimis licet precibus, ut Generale Concilium Tridentinum regia auctoritate in Galliarum Regno promulgaretur, tandem in generali Conventu Cleri Gallicani ann. MDCXV. Lutetiæ Parisiorum habito, Sacrum Concilium Tridentinum unanimi consensu recepisse, illudque se observaturos promisisse ac jurasse, promovente id imprimis ingenti Fidei ac Disciplinæ zelo Cardinali Francisco *Rupifolcadio*, natalibus, pietate, doctrina, omniumque virtutum genere, longe etiam supra dignitatem conspicuo.

D. Ex Constitutionibus, quas in hoc Conventu Melodunensi edidit Clerus Gallicanus, probe compertam habeo Disciplinam, quæ Sæculo decimo septimo obtinuit in Ecclesia Gallicana. Quapropter, missis aliis generalibus Conventibus, quos ad eamdem Ecclesiæ Disciplinam vel confirmandam, vel restaurandam eodem Sæculo frequenter indixit Clerus Gallicanus, paululum nunc differamus de alio celebri Cleri Gallicani Conventu, in quo, ut mox ajebas, Galliarum Episcopi damnarunt tum errores *Cornelii Jansenii*, Episcopi Iprensis, tum laxiorum Casuistarum, qui Sæculo decimo septimo in moralem Theologiam plures corruptelas, & novas opiniones, in salutis negotio admodum periculosas, invexerant.

M. Clerus Gallicanus in Conventu Generali anno MDCC. habito in Palatio Regio San-Germano congregatus, Censuram tulit in centum viginti septem propositiones, quarum bene multas, quæ de industria a laxioribus Casuistis excogitatæ fuerant, sive ad tollendam necessitatem præceptorum de dilectione Dei & amore proximi, sive ad excusanda homicidia, duella, fornicationes, adulteria, furta, falsa testimonia, mendacia, perjuria, usuræ, simoniæ, & calumniæ, peccata, jam Summi Pontifices *Innocentius X.* & *Alexander VII.* in suis Constitutionibus confixerant, sicut in superiori Colloquio agendo de Hæresibus, & erroribus Sæculi XVII. sat superque commonstravimus. Ne igitur actum agere videamus,

mur, consulto abstinebimus a recensendis illis corruptelis, seu erroneis ac flagitiosis laxiorum Casuistarum opinionibus, quarum damnationem jam a Summis Pontificibus, mox a me laudatis, Romæ promulgatam, publicarunt Episcopi Gallicani in ea Censura, quam in materia Fidei & Morum ediderunt in eo Generali Conventu habito in Palatio Regio San-Germano prope Parisios, easque duntaxat hic referemus propositiones, quæ post obitum Summorum Pontificum *Innocentii X.* & *Alexandri VII.* a Jansenistis, & laxioribus Casuistis per Gallias disseminatæ, jure optimo, ne dirum virus latius serperet, a Galliarum Episcopis in hoc Conventu San-Germano proscriptæ ac censuris confixæ fuerunt. In primis, doctissimi illi Galliarum Episcopi causam, quæ potissimum illos adduxit, ut has centum viginti septem propositiones, & præsertim illas, quæ Moralis Doctrinæ Christianæ puritatem labefactabant, censura notarent, aperiunt his verbis: („ Sed enim incredibile dictu est, ex pessimis principiis, tota licet reluctante Ecclesia, quanta malorum incrementa provenerint; subtilioribus ingeniis in id unum intentis, ut eo quisque se vel maxime Theologum videri velit, quo plura ejusmodi inventa in probabilitatis auctoritatem adduxerit. Verum, hæc constabilire, aut per eam speciem mentes infirmorum in falsam & noxiam securitatem inducere, nihil est aliud quam animas perdere, ac doctrines & mandata hominum, vanasque traditiones, exemplo Pharisæorum, divini mandati loco obtrudere. Quare, tot errorum experientia victi, necesse habuimus ipsam malorum radicem exscindere, eam scilicet opinandi rationem, quæ ignota Sanctis Patribus, tanta de rebus maximis diffidia peperit &c.,) Hac præmissa admonitione, Episcopi Gallicani censura perstrinxerunt centum viginti septem propositiones, quarum duntaxat aliquas hic subjiciemus, illis in integrum prætermissis, quas jam a Romanis Pontificibus *Innocentio X.* & *Alexandro VII.* proscriptas in superiori Colloquio descripsimus. Prima propositio in Conventu Cleri Gallicani congregati in Palatio San-Germano damnata his verbis concepta est: („ Jam tandem Ecclesiæ & Regnorum Principes ex hoc clarissimo argumento agnoscunt, phantasma Jansenii quæsitum ubique, sed nusquam repertum, præterquam in laborante quorumdam phantasia. *Altera propositio*. Constitutione *Innocentii X.* nihil aliud actum, quam ut renovarentur, & exacerbarentur disputationes ... In eandem viam pertractus est *Alexander VII.* ut homo ab hominibus facile impellendus in eas res, quæ parum ejus officio convenirent ... *Innocentius* quoque XII. cum ex officio teneretur claram proferre sententiam, generalibus æquivocisque verbis adhibitis, dat locum existimandi, se non ausum esse clarius loqui, tamquam errare metuentem .... atque illud, *in sensu obvio*, ejusdem Pontificis, magis adhuc generale est & vagum, quam verba *Alexandri VII. in sensu a Jansenio intento* ... Episcopi denique Gallicani Libertates Ecclesiæ Gallicanæ, sub earum asserendarum specie, labefactarunt super suscipienda Constitutione *Innocentii X.* contra Jansenium. *Tertia propositio*. Aliquam huic malo medicinam attulisse videbatur *Innocentius XII.* in Brevi suo die 6. Februarii an. 1694.... Verum mitigationem illam præsumptam non parum extenuavit Brevi dato die 24. Novembris an. 1696. ubi Pontifex diserte negat, Constitutionem, aut Formularium *Alexandri VII.* Brevi suo alterata aut reformata ... in aliqua minima ejus parte ... Nec placet eorum opinio, quæ ex ipso primo Brevi die 6. Februarii anni 1694. edito, aliquid mitigationis circa factum tentavit exculpere ... Sed & nihilo majorem in quæstione juris progressum factum esse jam quoque convenit ostendere. *Quarta propositio*. Circa condemnationem Augustini Jansenii, opus esset Collatione regulari habita, vel coram judicibus a Romano Pontifice, vel a Rege datis ... Nondum omnes interierunt, qui sciunt deliberationes (de Jansenianо negotio) quas nunc Episcopi ut regulas suarum hodiernarum deliberationum (circa novum Quietismum sumunt) Cleri Gallicani æternum fore præjudicium. „) His quatuor propositionibus, quæ Jansenismum spectant, Clerus Gallicanus hanc Censuram inussit: *Hæ quatuor propositiones, quibus inquieti homines Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones, Innocentii quoque XII. Brevia æquissima, & ab omnibus approbata, aperte contemnunt, Episcopos Gallicanos, rebus judicatis adhærentes, incessunt maledictis, & causam hanc de integro retractari postulant, tanquam tot Constitutionibus Apostolicis, etiam accedente Ecclesiarum consensione, causa nondum finita fuerit; falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, contumeliosæ in Clerum Gallicanum, Summos Pontifices, & in universam Ecclesiam, Schismaticæ, & erroribus condemnatis faventes*. Præter has quatuor propositiones, quæ Jansenismo favent, aliæ duæ sequentes, quæ Semipelagianismum instaurant, ab eodem Clero Gallicano fuerunt itidem damnatæ, quarum prima hæc est: *Axioma illud Theologicum:* Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, *non solum verissimum est, atque doctrinæ Scripturæ Sacræ, Conciliorum & Patrum maxime consentaneum, verum etiam per illud significatur obligatio, quam Deus habet dandi gratiam facienti quod in se est, nec solum facienti quod est ex se viribus gratiæ, sed etiam illi, qui cum non habeat gratiam, facit quod est in se Viribus naturæ*. Altera propositio, quæ perinde sapit Semipelagianismum, ista est. *Quia tamen opera solius naturæ viribus elicita, omnino sterilia sunt, atque incapacia merendi dona intrinsece, & theologice supernaturalia: ideo dicimus obligationem, quam Deus habet conferendi gratiam facienti quod est in se viribus naturæ, non oriri ex bonitate talium operum, sed ex pacto inter Christum fidejussorem nostrum & Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam propter merita Christi, respiciendo ea opera naturalia ut purum terminum, non ut meritum ullum, aut rigorosam conditionem*. Has duas propositiones Semipelagianismum redolentes Clerus Gallicanus ea Censura notavit: *Hæ duæ propositiones, qua parte causam discernendi inter justos & non justos, in opera mere natu-*

ralia

ralia referunt, Semipelagianismum instaurant, mutatis tantum vocibus. Pactum autem quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante Scriptura Sacra, & SS. Patrum traditione prolatum. Ad infirmanda Motiva credibilitatis, quibus vulgo contra Judæos & Infideles probant Theologi, Christianam Religionem esse veram, quidam laxiores Casuistæ in Galliis hanc propositionem propugnaverant, his verbis conceptam: *Religio Christiana est evidenter credibilis; nam evidens est prudentem esse, quisquis eam amplexatur: non evidenter vera: nam aut obscure docet, aut quæ docet obscura sunt, immo qui ajunt, Religionem Christianam esse evidenter veram, fateantur necesse est falsam evidenter esse. Infer hinc evidens non esse primo, quod existat nunc in terris aliqua vera Religio: unde enim habes, non omnem carnem corrupisse viam suam? Secundo, quod omnium, quæ in terris existunt Religionum, veræ simillima sit Christiana: an enim terras omnes aut peragrasti, aut peragratas ab aliis esse nosti? Tertio, quod & Apostolis & dæmonibus manifesta fuerit divinitas Christi, id enim si doces, docere te oportet, Christum manifeste Deum esse. Quarto, quod afflante Deo fusa sint Prophetarum Oracula; quid enim mihi opponas, si vel negem illa fuisse vera Vaticinia, vel affirmem fuisse conjecturas? Quinto, quod vera, fuerint, quæ a Christo edita fuisse commemorantur miracula, quamquam negare hæc nemo prudenter potest.* Hanc laxiorum Casuistarum propositionem sequenti Censura perculit Clerus Gallicanus: *Doctrina hac propositione contenta impia est, blasphema, erronea, & inimicis Christianæ Religionis favet.* Plures laxiorum Casuistarum Propositiones circa dispositiones & absolutionem Pœnitentis damnavit Clerus Gallicanus, quarum duas duntaxat hic subnectam. Prima hæc est: *Attritio ex metu gehennæ sufficit, sine ulla dilectione Dei, sive sine ullo ad Deum offensum respectu; quia talis honesta & supernaturalis est.* Altera propositio sic habet: *Concilium Tridentinum adeo expresse definivit, Attritionem, quæ non vivificet animam, quæque supponatur sine amore Dei esse, sufficere ad Absolutionem, ut anathema pronunciet adversus negantes.* Primam ex his duabus propositionibus Clerus Gallicanus damnavit his verbis: *Hæc propositio, qua a dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa & in Hæresim inducit.* Alteram propositionem hac censura ferit Clerus Gallicanus: *Hæc propositio falsa est, temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in Hæresim inducit.* Circa peccatores obduratos, qui videlicet diuturna & inveterata peccandi consuetudine eo tandem pervenerunt, ut nullis amplius exagitati conscientiæ stimulis in vitiorum luto hæreant immersi, quidam in Galliis e laxiorum Casuistarum grege hanc protulit & docuit propositionem: *Si peccatores consummatæ malitiæ, cum blasphemant, & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali, quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hisce actionibus non peccare.* Quam propositionem Clerus Gallicanus hac censura perstringit: *Hæc propositio falsa est, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blasphemias, aliaque peccata excusat, & ut talis a Clero Gallicano jam damnata est.* Denique, ut ceteras propositiones a Clero Gallicano damnatas, brevitatis ergo, prætermittam, hanc laxiores Casuistæ propositionem circa Regulam Morum & Probabilitatem docuerunt: *Puto omnia esse hodie melius examinata, & hanc ob rem in omni materia & præcipue in Morali libentius juniores, quam antiquiores lego .... Doctrina Fidei a Veteribus, Doctrina morum magis a junioribus petenda.* In quam propositionem Clerus Gallicanus hanc Censuram tulit: *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, SS. Patribus, & antiquis Doctoribus contumeliosa; spreta in moribus Christianorum componendis necessaria Scripturarum ac Traditionis auctoritate & interpretatione Moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones, & doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas.* Post absolutas Propositionum Censuras, idem Conventus Cleri Gallicani, in Palatio Regio San-Germano congregari, *Declarationem* edidit *de Dilectione Dei in Pœnitentiæ Sacramento requisita, & de Probabilium Opinionum Usu*, quam hic integram inferere necessarium esse duxi, eo quod ad quædam dubia pro rei gravitate enucleatius exponenda, & ab ipsis principiis in apertam lucem deducenda, plurimum conducere potest. Sic autem habet hæc Conventus Cleri Gallicani declaratio: Et quidem de dilectione Dei, sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est laboriosus Baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus, hæc duo in primis ex Sacro-Sancta Synodo Tridentina monenda & docenda esse duximus; Primum, ne quis putet in utroque Sacramento requiri, ut præviam Contritionem, eam, quæ sit Charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, *antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliet*, ut ait Synodus Tridentina Sessione XIX. cap. IV. Alterum, ne quis putet, in utroque Sacramento securum se esse, si præter Fidei & Spei Actus, non *incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem*, sicut statuit eadem Synodus Tridentina Sessione VI. cap. VI. Neque vero satis adimpleri potest utrique Sacramento Vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si Pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum divina opitulante gratia, sese excitet ac provocet. Placet etiam caveri a Sacramentorum Administris, ne in Pœnitentiæ Sacramento, aliisque Sacramentis conferendis, sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; neve Pœnitentes, ipsorum fidei animam suam committentes, admonere cessent, ut in pœnitendo inchoatæ saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit, graviter peccaturi in hoc salutis discrimine, *vel eo solo quod certis incerta præponant*, sicut

cut docet *S. August.* lib. 1. contra Donatistas c. 3. & 5. Hęc quantum ad primum caput, quod est de *Dilectione Dei in Sacramento Pœnitentiæ requisita*, postquam declaravit Conventus Cleri Gallicani, alterum deinde caput, quod est de *Probabilium Opinionum Usu*, explanat his verbis: Absit vero, ut probemus eorum errorem, qui negant, *licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*; sed ad rectum usum probabilium opinionum, has Regulas à jure præscriptas agnoscimus. Primum, ut in dubiis de salutis negotio, ubi ęqualia utrimque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur quod tutius, sive quod est eo in casu unice tutum: neque id consilii, sed pręcepti loco habemus, dicente Scriptura: *Qui amat periculum, in illo peribit*, hęc prima Regula. Altera, ut circa probabiles de Christiana Doctrina Sententias, sequamur id, quod Viennense Oecumenicum Concilium circa infusas tam parvulis, quam adultis in Baptismo virtutes decrevit his verbis: *Nos hanc opinionem tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem duximus eligendam*. Quod Concilii judicium eo magis ad tegendos mores pertinere constat, quo magis ex ipsis Fidelium Sanctitas ac salus pendet. Ex hac igitur Regula fit consequens, primum, ut in rebus Theologicis ad Fidei, & morum Dogmata spectantibus, Theologos quidem etiam modernos audiamus, si tamen consonas Sanctis Patribus tradant sententias. Deinde, ut, si ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur cursus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuetur auctoritas; denique ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit. Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis ac notis Auctoribus postremo demum Sæculo proditum, & ab iisdem pro regula morum positum, repugnat huic Effato a Patribus celebrato: *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus*; nec habere potest Christianæ Regulę securitatem. Hoc initium malorum esse, atque omnium antedictarum corruptelarum caput, & doctrinę consecutio & series temporum ostendit. Hoc ab Antecessoribus nostris, viris fortibus ac religiosis, censorie notatum, hoc sæpe reprehensum, hodieque reprehendi, nullo incusante, immo, bonis probantibus, diffiteri nemo potest. Nos quoque iis de causis, has novas sententias, in salutis negotio periculosas, re diligenter inspecta, summa ope caveri, ac prohiberi oportere censuimus ac censemus. Placeat autem illa prudentia, ut ante omnia custodiamus, & in tuto collocemus id quod *unum est necessarium*. Lucæ cap. X. fiatque illud Dominicum, cap. X. Matthæi: *Estote prudentes sicut serpentes*, qui protecto, quod præcipuum est, capite, sibi consulunt: neque quisquam in dubio salutis ad actum prosiliat, nisi ipso dubio non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione deposito, dicente Scriptura: *Rationabile obsequium vestrum*, Epist. ad Rom. cap. 12. & iterum: *Sapiens timet, & declinat a malo: stultus transilit, & confidit*. Prov. cap. 19. Postremo, audiatur Apostolicum illud: *Omnia probate, quod bonum est tenete*, Epist. 1. ad Thessalonicenses cap. 5. & iterum: *Omne quod non est ex fide*, idest, ex conscientia, sive ex persuasione, *peccatum est*. Epistola ad Rom. cap. 14. Denique, ut ait idem Apostolus Paulus *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum*, non aliorum, seu ipsorum, & sua. Hæc est declaratio quam Conventus Generalis Cleri Gallicani in Palatio Regio San-Germano congregatus edidit ad exponenda duo præcipua Christianæ Moralis Doctrinæ Capita; videlicet de dilectione Dei in Sacramento Pœnitentiæ requisita, & Probabilium Opinionum usu. Hanc autem declarationem suam idem generalis Conventus Cleri Gallicani ista utilissima admonitione concludit: Admonemus autem (sunt verba doctissimi illius Cleri) Compresbyteros nostros, sive Sæculares, sive Regulares, quicumque Episcoporum auctoritate, vel Verbum Dei prædicant, vel Sacramenta administrant: *Ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema Veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti sinant, plebemque Christianam ab ejusmodi spatiosa lataque, per quam itur ad perditionem, via in rectam semitam evocent*. Quæ Christi verba ab *Alexandro VII.* (in Præfatione sui Decreti dati die 24. Septembris ann. 1665.) inculcata altis animis insidere optamus & oramus; speramusque in Domino, fore ut quicumque hactenus laxiores illas sententias, nulla certa ratione, sed alii alios secuti docuerunt, docere ipsas jam desinant, quippe quas & Episcopi, ipsique Romani Pontifices reprehendant: Hæretici vero, immerito illi quidem, sed tamen pro more suo Ecclesiæ imputent, atque invidiæ vertant: filii quoque Sæculi ut vanas rideant. Quare inanem, Deoque & hominibus exosam Sophisticem aliquando aversati, auctore Sancto *Hieronymo* in cap. 3. *Michææ* Prophetæ, ad recta se conferant: *Ut qui prius populum blandimentis decipiebant, postea vero annuntiando deterreant, & ad rectam revocent viam; & qui causa erroris fuerant, incipiant mederi vulneribus quæ intulerunt, & esse occasio sanitatis*. Hanc Censuram & Declarationem Generalis Conventus Cleri Gallicani, in Palatio Regio San-Germano anni MDCC. habiti jam præcesserant aliæ gravissimæ Censuræ, quibus Episcopi Gallicani laxiorum Casuistarum perniciosas opiniones, & præsertim vagam illam, & luxuriantem probabilitatem damnaverant. At enim, ut obiter dicam, Clerus Gallicanus die 1. Februarii anni MDCLVII. jussit ut *S. Caroli Borromæi* Institutiones in lucem ederentur, quibus (sunt verba ejusdem Cleri Gallicani) *grassantes ad Evangelicæ morum institutionis perniciem novarum opinionum labes, opposito velut obice, coercerentur, & tanquam aliqua mole reprimi posset novarum opinionum torrens, qui Christianam morum doctrinam perditum ibat*. Paulo post, seu die 4. mensis Septembris an. MDCLVIII. Illustrissimus Archi-

Archiepiscopus Senonensis, spectante ac plaudente Synodo Episcopali, hanc Censuram tulit: *Hæc doctrina, qua Auctor fas esse censet, neglecta probabiliori ac tutiori, sequi opinionem minus probabilem & minus tutam, idest, amplecti & exequi quod illicitum esse, quam licitum, probabilius putant; atque ad probabilitatem opinionis, unius Scriptoris auctoritatem sufficere affirmat; falsa, & periculosa est, innumeris corruptelis viam aperit, bonam conscientiam, quæ est secunda humanarum actionum regula, prorsus extinguit, ac proinde erronea est, ac Beato Paulo contraria, & Christianos ad certam salutis perniciem inducit*. Succinuit huic Censuræ Ecclesia Parisiensis, quæ eamdem doctrinam *temerariam*, *periculosam*, *omnem morum disciplinam perturbantem*, *a Veritatis inquisitione & inventione avocantem*, & *corruptæ naturæ cupiditatibus obsequi sinentem*, disertissime pronunciavit. Catervatim accurrerunt alii Galliarum Episcopi, certatim Censuras Censuris adjicientes, quos inter quinque, videlicet Alectensis, Apamiensis, Convenarum, Vasanensis, & Conseranensis, simul congregari, probabilitatis doctrinam, variasque inde perniciosas sponte fluentes corruptelas, Episcopali Censura die 24. mensis Octobris anni MDCLVIII. perculere his verbis: *Judicamus probabilitatis doctrinam, prout ab Apologia explicatur, & ad omnia promiscue morum decreta extenditur, falsam esse; simplicitati Christianæ, Spiritus Christi sinceritati, traditæ nobis ab Apostolis illius nomine doctrinæ contrariam, animasque fallacis spe securitatis ad certam salutis perniciem impellere*. Missas facio cæteras censuras per totum Galliarum Regnum sparsas, Episcoporum Bellovacensis, Venciensis & aliorum, qui gliscentem Sæculo decimo septimo effrænem illam in materia morum opinandi licentiam, & latam probabilitatem, omnium corruptelarum scaturiginem, improbarunt. Legesis, si plura desideres, Epistolam Conventus Generalis Cleri Gallicani, qui, ut mox diximus, in Palatio Regio San-Germano anno 1700. habitus est, directam ad Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, & universum Clerum per Gallias consistentem, & confestim intelliges, quanto studio Episcopi, aliique Viri Ecclesiastici in Generalibus Conventibus Cleri Gallicani Sæculo XVII. habitis, in restituenda morum disciplina, a modernis Casuistis corrupta, insudarint.

D. Cum Epistolam Encyclicam hujus Conventus Generalis Cleri Gallicani anno 1700. in Palatio Regio San-Germano habiti, ad manum non habeam, eamque haud facile reperire possem; pergratum mihi esset, si illam hic integram exhibere velles, ut ex ipsius lectione accuratam rerum, quæ præcipue in doctrina Morali in Conventibus Cleri Gallicani Generalibus Sæculo decimo septimo celebratis ventilatæ ac definitæ sunt, notitiam haurire possem.

M. Eo lubentius hujus Conventus Generalis Cleri Gallicani integram hic describam Epistolam Encyclicam, quod ex ejus lectione actutum percepturus sis, quid doctissimus ille Clerus, in suis Generalibus Conventibus Sæculo XVII. habitis egerit ad restituendam morum Disciplinam, ac subinde, quanto tu studio cavere debeas, ne unquam animum tuum incessat libido legendi libros laxiorum Casuistarum, qui Moralem Theologiam variis corruptelis infestarunt. Porro, Epistolæ Encyclicæ hujus Conventus Generalis Cleri Gallicani, hic tenor est: Fuit is pridem decor Christianæ Disciplinæ, quem Beatus Paulus cap. 4. Epistolæ ad Philippenses commendarat his verbis: *De cætero, fratres, quæcumque sancta, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate*. Hæc enim est illa pulcritudo justitiæ: hoc veri studium: is splendor sanctitatis: hæc amabilitas morum: hæc Christiani nominis fama, quæ ad Christum omnia facile pertraheret: neque aliud fuit, quo scandalum Crucis, quo prædicationis stultitia magis nobilitari posset. Quare, cum ad extrema ventum est tempora, in quibus decor pristinus, imminuta Fide, refrigescente Charitate, labente Disciplina morum corruptelis, ac denique, ut fit, fallacium opinionum illuvie deteri videbatur; id egerunt omnes pii, atque ipsa præsertim Ecclesia Gallicana, ut Moralis Theologiæ dignitatem vindicarent. Huic igitur operi ut jam vel maxime salutares admoveatis manus, & nostra judicia vestra consensione firmetis, communis officii ratio, & charitatis vinculum, & Collegii nostri unitas & auctoritas suo quodam jure postulant. Et quidem doctissimæ ac celeberrimæ Theologicæ Facultates, maxime vero Parisiensis cum Lovaniensi conjuncta, etiam interrogantibus Episcopis, pro officio suo gliscentem novandi libidinem represserunt. Compresbyteri quoque nostri Parochialium Ecclesiarum Rectores, cæterique Doctores in amplissimis civitatibus constituti, ad nostra usque tempora non cessarunt exaltare vocem suam in plateis Sion, atque Episcopos in altiore specula collocatos assiduis efflagitationibus incitarunt; qui quidem eorum vocibus, & ipsa rei necessitate commoti, pro loci sui auctoritate, valentiore manu *gladium spiritus* assumpserunt *quod est verbum Dei*, ad dirumpenda *cervicalia*, & *pulvillos* inani arte consutos *sub omni cubito manus*: ne infelices animæ in morte obdormiscerent, ac per falsæ pacis somnium ad æterna supplicia raperentur. Neque tantum fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi in suis quisque Diœcesibus ascenderunt ex adverso, sed & plenitudo exercitus Israel, ipsi nempe Conventus Cleri Gallicani, in Christi nomine rite adunati, de Fide & Moribus ediderunt præclara constituta, gravesque censuras, quarum haud exiguam partem commemorandam repetendamque censuimus. Nec tacere possumus, Religiosissimi Patres, memorabilem Sententiam, qua maximus, & doctissimus Cœtus anno 1655. & sequentibus, Parisiis congregatus gravissimo judicio suo damnavit perversam, ac falsi nominis scientiam, qua instructi homines *non jam accommodarent mores suos ad Evangelicæ doctrinæ normam sed & ipsam potius regulam, ac sancta mandata ad cupiditates suas inflecterent*, & *detorquerent*, *novaque inani Philoso-*

losophia Christianam Disciplinam in Academicas quæstiones, ac dubias, fluctuantesque sententias verterent. Hæc illi, qua Sententia versatilem illam ac noxiam opinionum flexibilitatem, hoc est ipsum mali caput conterebant. Illud vero judicium, Sancti *Caroli Borromæi* Commonitionibus ad Ministros Pœnitentiæ datis præfixum, ad Collegas suos Ecclesiarum Gallicanarum Episcopos transmiserunt, ac deplorata Sæculi cæcitate id quoque indoluerunt, quod in ipso Comitiorum exitu oppressi negotiis, congrua medicina grassantes morbos propellere non potuerint. Quibus sane verbis ea remedia non omisisse prorsus, sed in opportuniora tempora distulisse, eamque provinciam secuturis Conventibus demandasse visi sunt. Hanc paternam velut hæreditatem Cleri Gallicani Cœtus anno 1682. Parisiis congregatus exceperat; sed Conventu interrupto, ne salutaris consilii memoria intercideret, sapientissimi Patres pravarum Propositionum Indiculum texuerunt antequam discederent, ac per Ecclesias mitti voluerunt, ut futuris Conventibus velut digito indicarent, quid tum Gallicana pararet Ecclesia, aut quid a posteris expectari par esset. Ex his profecto liquet, Episcopis Gallicanis ad Dei gloriam semper intentis, non animum unquam sed opportunitatem defuisse, quam nacti occulta quadam divini Numinis providentia, opus in manus resumpsimus, hoc vel maxime tempore, quo fratres nostros a Fide Catholica devios, maximo Rege præeunte, revocare nitimur ad Ecclesiam, cum nihil sit quo magis optimi ac Religiosissimi Principis studia adjuvare possimus, quam si demus operam, ut Christianæ de Moribus Regulæ castitas & honestas, magis magisque in dies, nec tantum decretis atque sententiis, verum etiam factis & executione enitescat: quippe qua vel maxime ad Christum omnia trahi, atque etiam infideles ab extremo Orbe ad Fidem converti solere diximus. Nec defuturam speramus Ecclesiæ laboranti eam, quæ semper adfuit, Regiam Auctoritatem. Extant nostris temporibus (seu anno 1644.) Rege ipso præsente, Regii Consilii suprema judicia de coercendis erroribus, qui ad Ecclesiæ ac Reipublicæ exitium publice docerentur, castigatis quoque ac repressis eorum Auctoribus. Neque quidquam est boni utilisque consilii, quod *Ludovici Magni* temporibus non expectari possit: aut est quidquam hujus Regni gloriæ ac splendori congruentius, quam ut Religionis & Disciplinæ puritas sanctitasque floreat. Hujus ergo rei gratia, nos in Spiritu sancto, & in Christi nomine adunati, ejusque ope freti, non tam novum opus aggredimur, quam sancta Decreta, quoad fieri potuit, colligimus, ordinamus, adhibitis notis certisque principiis indicatis, quibus instructi Cooperatores nostri Sacramentorum Administri, errores subinde in Ecclesia renascentes non modo perspicere, verum etiam facile confutare possint. Hoc opus non tam nostrum quam vestrum, vestris quippe auspiciis, vestro spiritu gestum, sanctissimi, & religiosissimi Consacerdotes vestræ pietati, vestræ fidei commendamus, hoc in tutela præsidioque vestro ponimus: hoc fidele depositum cum ceteris egregiis Monumentis vestrorum Cœtuum componendum, & in communes Ecclesiarum usus adhibendum relinquimus, ut in Christo Jesu, quo uno confidimus Ecclesiæ Gallicanæ, immo etiam Catholicæ gloria inclarescat. Valete in Domino. Datum in Palatio Regio San-Germano Kalendas Octobris anni MDCC. Hæc Conventus Cleri Gallicani Epistola Encyclica, quam hic integram dedimus, aperte prodit zelum Illustrissimorum Galliarum Regni Antistitum, qui ad restituendam morum Disciplinam in Generalibus Cleri Gallicani Conventibus Sæculo XVII. habitis omnem operam adhibuerunt, & serpentibus lateque sese fundentibus quorumdam laxiorum Casuistarum corruptelis veritatis & antiquitatis firmissimos aggeres objecerunt, pestiferum venenum exitu salutari retexerunt, ac Decretis Apostolico spiritu plenis populum fidelem monuerunt, ut doctrinæ flagitia, ex virulento vagæ probabilitatis fonte manantia fugerent, & pestiferum ipsum fontem quam studiosissime caverent.

D. Impense quidem gratulor doctissimo Clero Gallicano, quod ad componendos Christianorum mores, ad rectam Sacramentorum administrationem, ad sartam tectam Theologiæ Moralis puritatem conservandam saluberrima in suis Conventibus Generalibus Sæculo XVII. habitis ediderit Decreta, quibus religiosissimi Antistites procul a suis Diœcesibus eliminarunt contagionem corruptelæ in Moralem Christianam his temporibus invectæ, quæ præcepta & regulas a Christo positas, cupiditati, ambitioni, & voluptatibus carnalium hominum præpostere accommodabat, & puritatem Moralis Christianæ exquisitis cavillationibus, & stupendis opinionum figmentis depravabat. At quamvis hanc singularem gloriam Galliarum Episcopis lubens concedam, non dubito tamen, quin Deus Optimus Maximus, qui Ecclesiæ suæ semper in necessitatibus ac tribulationibus succurrit, excitarit non solum in Gallia, sed ubique gentium, & præsertim in Italia, Sanctissimos Antistites intrepidos veritatis defensores, qui in Conciliis Sæculo XVII. a se convocatis avitam cum Disciplinæ Ecclesiasticæ, tum Doctrinæ Morum puritatem ardenti zelo vindicaverint, ac piis sancitis Constitutionibus, populum sibi a Deo commissum monuerint, ut sibi caveret a fallaci fuco depravatæ illius doctrinæ, quæ eo periculosior est, quo sensibus & naturæ corruptæ nimium blanditur. Quo circa, maximam a me inibis gratiam, si hic annectere velis ea Concilia Provincialia, vel Diœcesana, quæ in Italia Sæculo XVII. sive ad restaurandam collapsam Ecclesiæ Disciplinam, sive ad illibatam Doctrinæ Morum puritatem retinendam fuerunt variis in locis celebrata.

M. Omnia Concilia Provincialia, vel Diœcesana, quæ in Italia Sæculo Ecclesiæ XVII. fuerunt celebrata, si percensere, eorumque Acta ac Decreta hic inserere mihi animus esset, longius, quam par esset, nostrum protraheretur Colloquium,

quium, & in tanta rerum dicendarum copia vix exitum posset reperire oratio. At enim, præter triginta quatuor Concilia Beneventana quæ convocavit & publicam in lucem emisit Eminentissimus *Vincentius Maria Ursinus*, S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Beneventanus, Ord. Prædicatorum, qui vere Pastorali & indefesso zelo succensus, amplissimam suam Diœcesim singulis annis perlustrat, Provincialem Synodum cogit, ac totus in id incumbit, ut Clericis, populoque præeat ad sanctitatem Vitæ, atque ut Clerus Sacrorum Canonum pleniore doctrina imbutus, ad sanctiorum Disciplinæ Ecclesiasticæ legum normam mores suos componat; præter hæc, inquam, triginta quatuor Concilia Beneventana, quæ Eminentissimus ille, & omni laude superior Cardinalis habuit, quæque ipse tanquam totius Disciplinæ Ecclesiasticæ promptuarium suspexit, alia quamplurima sunt Concilia Provincialia & Diœcesana in Italia Sæculo XVII. celebrata, inter quæ potissimum numerantur Concilium Mediolanense septimum a *Federico* Cardinali Borromæo *S. Caroli* Borromæi nepote, successore, & virtutum imitatore, congregatum; Concilium insuper Senense, a *Francisco Maria Taurusio* Cardinali habitum, duo etiam Neapolitana, tria Sanctæ Severinæ, Ravennatense, Florentinum, Urbinatense, Turritanum in Sardinia, duæ Synodi Æsinæ sub Cardinali *Matthæo Patricio*, Episcopo Æsino, Albiganensis Synodus, Amerita, sub *Antonio Maria Gratiano* Episcopo, Synodus Assisiensis sub Cardinali *Nerlio*, Synodus Aversana, Synodus Bononiensis, sub Cardinali *Jacopo Boncompagno*, Synodus Cæsenatensis sub Cardinali *Denhoff*, Synodi Lunensis, & Sarzanensis sub Cardinali *Benedicto Lomellino*, Synodus Auximana sub Cardinali *Antonio Maria Gallo*, Synodus Montisfalci sub Cardinali *Marco Antonio Barbadico*, Synodus Nolantulæ sub Cardinali *de Angelis*, Synodus Sybinensis sub Cardinali *Ptolomæo Gallo*, Synodus Sutrina sub Cardinali *Julio Spinola*, & aliæ ejusmodi Synodi, Eugubina, Genuensis, Asculana, Rossanensis, Venusina &c. quarum omnium Synodorum, quæ in Italia Sæculo XVII. habitæ sunt, & Acta & Decreta, quæ in eodem argumento versantur, seu ad eadem pro sancienda Ecclesiæ Disciplina Capita referuntur, cum hic in medium adducere infinitus pene & valde mihi operosus, tibi vero fastidiosus, aut saltem parum utilis labor esset, consultius esse duxi, prætermissis omnino hisce Italiæ Conciliis cum Provincialibus tum Diœcesanis, unam duntaxat breviter expendere insignem Italiæ Synodum, quam ceteris aliis Italicis Synodis præferendam esse puto, non solum quia omnia Capita, Disciplinam Ecclesiasticam ac Morum Disciplinam spectantia, quæ in aliis Italiæ Synodis statuuntur, clarius juxta ac elegantius complectitur, sed quia etiam in ejus directione diligentissimam operam navavit idem ille *Joannes Franciscus Albanus* (dum adhuc in minoribus esset) qui postea clavum universæ Ecclesiæ gubernavit, *Clemens* divina providentia Papa XI. appellatus. Hæc autem Italiæ Synodus, cujus præcipua Acta ac Decreta hic breviter, quoad ejus fieri poterit, sum descripturus, est Synodus Diœcesana insignium Abbatiarum, *S. Mariæ Farfensis*, & *S. Salvatoris Majoris*, Ordinis *S. Benedicti*, quam Eminentissimus *Carolus Barberinus*, Presbyter Cardinalis Tituli *S. Laurentii in Lucina*, & Sacro-Sanctæ Basilicæ Principis Apostolorum Archipresbyter, & Sacrorum Monasteriorum earumdem Abbatiarum Abbas & perpetuus Commendator, nec non earumdem Diœcesum ac jurisdictionum Ordinarius, celebravit anno 1685. Hujus Synodi Farfensis Acta ac Decreta, in varia Capita distributa, cum summa animi oblectatione perlegi, & in his pretiosum totius Disciplinæ Ecclesiasticæ thesaurum & sanctioris morum doctrinæ regulas offendi, quarum nonnullas eo lubentius ac securius hic inseram, quod ad calcem hujus Synodi hæc verba apposita legerim: *Synodum hanc*, seu Farfensem, *interventu suo cohonestarunt illustrissimi*, & *Reverendissimi Domini Franciscus Giangerolami Episcopus Civitatis Ducalis*, & *Joannes Franciscus de Laurentiis*, *Episcopus Venefinus* ..... *Quibus accessit Joannes Franciscus Albanus*, *Vicarius in Sacro-Sancta Vaticana Basilica ejusdem Eminentissimi Cardinalis* (Caroli videlicet Barberini) *illius Basilicæ Archipresbyteri*, *cui etiam ipse in obeunda ab Eminentia sua Visitatione atque præsentis Synodi directione strenuam ac diligentissimam operam navavit*. In primis, Synodus Farfensis cap. 3. admonet Verbi Dei Præcones, ut sæpius animo reputantes altissimam proprii muneris Vocationem, recte tractent & annuncient Verbum Veritatis, non semetipsos, sed *Jesum* Christum prædicantes, non in persuasibilibus humanæ Sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ac subinde sese in omnibus exhibeant ejusdem Christi Ministros & dispensatores Mysteriorum Dei: ut loca, ad quæ diverterint, bono virtutum odore perfundant, seque animarum saluti, non temporalis stipendii lucro inhiare ostendant: Parentibus præcipue inculcent arctissimam obligationem, qua naturali jure & ex præcepto divino tenentur liberos suos bonis moribus imbuere & in viam Dei dirigere, adeoque illos moneant, ut filios ipsi instruant, & ad Ecclesias Doctrina Christiana erudiendos mittant. Denique, Verbi Dei præconibus præcepit Synodus Farfensis, ut vitia omnia generatim reprehendant, eaque præsertim, quæ ex Parochorum relatione frequentiora & manifestiora esse noverint in locis, ubi concionantur. Capite nono, quod est *de Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento*, Synodus Farfensis injungit Parochis, ut caveant, ne quosvis indiscriminatim ad Sacram Communionis mensam admittant, sed potius excludant publice excommunicatos, concubinarios, meretrices, blasphemos, maleficos, usurarios publicos, itemque publice criminosos & eos prætera, qui in odio proximi cum scandalo perseverant, necnon conjuges cohabitare sine causa legitima nolentes, nisi prius ii omnes certum pœnitentiæ cum vitæ emendatione signum dederint. Capite XI. quod est *de Sacramento Pœnitentiæ*, Synodus

nodus Farfenfis præcipit Confeffario, ut, fi Pœnitentes offenderit, qui ad reftitutionem rerum, feu famæ teneantur, eos exacte de fua obligatione commoneat, cui fi fatisfacere expreffe nolint, aut alias nolle eam adimplere liquido judicari poffit, eis abfolutionem deneget, neque eorum pollicitationibus feu ipfi Confeffario, feu aliis pluries factis, & femper effectu carentibus, facile credat; fed eo cafu, nifi ex circumftantiis certa fpes faciendæ ab eis reftitutionis effulferit, abfolutionem tandiu differat, quoufque reftitutione facta, fi poffint, illata damna reparaverint. Eoque diligentiorem in hac materia operam, probatos Auctores legendo & juftitiam præ oculis habendo Confeffarius adhibere debet, quod majus ei periculum imminet, pœnitentium fe peccatis, atque etiam obligationibus irretiendi, fi injufta confilia, etiam per ignorantiam craffam & affectatam, fuggerendo, alieni damni caufa extiterit. Præterea, cum his, qui nec peccata, nec proximas peccandi confuetudines relinquere volunt, abfolutio tanquam indignis deneganda fit, prohibet Synodus Farfenfis, ne Confeffarius abfolutionis beneficium impertiatur Concubinariis, Meretricibus, Ufurariis, blafphemare inter ludendum folitis & tamen ludere pergentibus, odia & inimicitias exercentibus, nec tamen deponentibus, aut ignofcere recufantibus, aliifque hujufmodi, nifi per tantum temporis fpatium ab his fceleribus fe abftineant, ut Confeffarius fpem moraliter certam habeat, eofdem in pofterum vitam emendandi firmum propofitum animo concepiffe. Confeffarius autem (profequitur eadem Synodus Farfenfis) quam maximam curam adhibebit, ut peccatores gravitatem primum peccatorum fuorum ac turpitudinem apprehendant, deinde falutari timore concuffi, fed inconcuffa Fide, Spe certa, & Charitate non ficta erecti, præteritos annos in amaritudine animæ recogitantes vetera commiffa deteftari, & meliorem vitam inchoare incipiant, atque admiffas noxas non folum per humilem miferiarum hujus vitæ perpeffionem, verum etiam per falutares pœnitentias abolere proponant. Et quia fatisfactiones pro peccatis non tantum ad novæ vitæ cuftodiam, & infirmitatis medicamentum, fed ad præteritorum etiam criminum vindictam & caftigationem imponuntur, Confeffarius diligentiffime cavere debet, ne connivendo & indulgentius cum pœnitentibus agendo, pro delictis graviffimis opera leviffima imponat, & fe alienorum criminum participem efficiat. Debebit ergo Confeffarius, quantum fpiritus & prudentia fuggefferit, pro qualitate peccatorum, & pœnitentium facultate, infpecta etiam doloris magnitudine, falutares, convenientes, & peccatorum redemptrices fatisfactiones injungere, & quamvis ob refrigefcentem fidelium charitatem, canonum pœnitentialium rigor paulatim remiffus, multumque relaxatus in Ecclefia reperiatur, poterit tamen Confeffarius illam Sanctiffimorum hominum difciplinam pœnitentibus, de lictis gravioribus obftrictis, ob oculos ponere, ut dum lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manfuetudinem, & fuperbis præcipit humilitatem; ii fcelerum fuorum magnitudinem pœnarum gravitate commetientes, & benignius fecum agi, quam commererentur, videntes; libenter, prompte iejunia ad domandam carnis concupifcentiam, eleemofynas ad frænandam Concupifcentiam oculorum, Orationem denique ad fuperbiam vitæ deprimendam non modo cum injunguntur, fed ultro etiam & fponte complectantur. Ut autem Confeffarii, quos a purioris doctrinæ moralis ftudio ac praxi nunquam recedere oportet, femper præ oculis haberent illos errores, a quibus potiffimum in Sacramentorum adminiftratione præcavere & abhorrere debent; Synodus Farfenfis publicari juffit, & inter Acta Synodalia inferuit Primum Decretum *Alexandri* VII. Pontificis Maximi, datum die 25. menfis Sept. an. 1665. quo viginti octo Laxiorum Cafuiftarum Propofitiones damnantur; infuper alterum ejufdem Pontificis Decretum, datum 18. menfis Martii anni 1666. quo feptemdecim eorumdem mollium Cafuiftarum configuntur propofitiones; denique Decretum *Innocentii XI.* Summi Pontificis, promulgatum die 2. menfis Novembris anni MDCLXXVII. quo profcribuntur fexaginta quinque Propofitiones novellorum illorum Cafuiftarum, qui Chriftianæ Moralis doctrinæ puritatem, perniciofis inductis corruptelis, infufcarunt, ejufque fanctitatem laxiffimis opinionibus, & vaniffimis diftinctionum metaphyficarum nugis inquinarunt. Qua in re ut obiter dicam, Synodus Farfenfis certam Confeffariis præmonftravit viam, quam in regimine animarum intrepide fectentur, ut videlicet ad Difciplinam Ecclefiafticam inftaurandam, Morumque Doctrinæ puritatem confervandam fedulo incumbentes, fine metu falfoque pudore, zelum tamen moderante prudentia Chriftiana, arguant, & in omni patientia & doctrina obfecrent, increpent, ædificent, eradicent, invalefcentibus corruptelis pro viribus reluctentur, pœnitentibus, in momentofo falutis negotio, in quo de fumma rerum agitur, & æternæ mercedis vel pœnæ jacitur alea, tutiores opiniones inftillent, eafque omnino improbent, quæ peccatores falfa fpe fecuros reddunt, & latiffimam ad omne flagitiorum genus viam aperiunt. Semper enim improbavit Ecclefia, femper damnat, & in æternum puniet Deus quidquid contra leges & ftatuta, quidquid contra puræ difciplinæ moralis regulas a Confeffariis in foro interno, in quo funt Judices, ignavia ac mollitie peccatur. Sed profequamur alia Synodi Farfenfis Statuta, quæ ad conciliandum Difciplinæ Ecclefiafticæ fplendorem, retinendamque Morum Doctrinæ integritatem plurimum conducere poffunt. Cap. 18. quod eft *de Feftorum Obfervantia*, prædicta Synodus Farfenfis onus imponit Parochis folicite invigilandi, omnemque adhibendi operam, ut populi fibi commiffi dies feftos rite obfervent, fimulque eos docendi, dierum feftorum obfervantiam confiftere in perfecta & plena applicatione ad Divina, & in religiofa ab omni opere fervili, five illud mechanicum, five rurale fit, ceffatione; atque adeo totos facris meditationibus, precibus, aliifque charitatis & religionis operationibus effe impendendos. Præcipit infuper Parochis, ut præcipue doceant,

teneri sub pœna peccati mortalis omnes fideles singulis diebus Dominicis & Festivis assistere ea, qua par est, pietate, mentisque attentione, integræ Missæ Sacrificio, ita ut, dum Missa, Officia Divina, Sacra Concio, Doctrina Christiana, vel quæcumque alia functio peragitur, nulli in Ecclesia, vel prope illam strepitus, clamores, aut importunæ confabulationes permittantur; cantilenæ autem, instrumentorum concentus, saltationes, luctæ, spectacula, Circulatorum ineptiæ, ludive quilibet prope Ecclesiam nunquam, nec etiam alibi per Plateas dierum Festorum tempore ullatenus tolerentur; denique intemperantes compotationes, taxillorum & chartarum lusus toto die Festo, etiam per Carnisprivium, omnino prohibeantur, sicut & Comœdiæ in privatis domibus prædictis diebus, & tempore dum Divina Officia celebrantur. Capite 19. quod est *de Jejunio*, volens Synodus Farfensis, ut Sacrum, & maxime acceptabile Quadragesimæ tempus, eo, quo debet, fructu a populis celebretur, jubet Parochis, ut eos efficaciter & opportune præmoneant, illius observantiam licentia atque intemperantia præcedentium dierum non recte suscipi, nec in peccatis jejunando recte peragi, neque sine magno jejunio, abstinentia scilicet iniquitatum, Paschali cælestis panis saturitate licere frui. Quocirca, ut omnis, non solum culpa, sed etiam culpæ occasio cautius tempore Quadragesimæ quam alias vitari possint, distincte inhibet prædicta Synodus, ne a Feria IV. Cinerum usque ad Festum Paschatis fiant spectacula inania, Comœdiæ, tripudia, compotationes, convivia, alearum & taxillorum ludi, & quælibet licentiosa conventicula sub gravibus pœnis tam contra auctores, quam contra illos, qui eis quomodocumque intersunt. Capite 21. quod est *de Vita & honestate Clericorum*, Sanctissimas leges condidit Synodus Farfensis, quæ utinam omnium Clericorum alte insiderent animis, & ad praxim redigerentur. Et primo quidem præcipit Clericis, ut libros pios crebro evolvant, inanes, scurriles & impuros ne nominari quidem apud se permittant. Secundo, tum Sacerdotibus, tum Clericis sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ vetat, ne taxillis, aleis, foliisque lusoriis ullo pacto ludere, vel domum ad ludendum commodare audeant, vel quovis modo ludi participes aut spectatores esse. Tertio, jubet Clericis, ut a venationibus, in quibus canum, armorum, clamorumque strepitus intervenire solent, omnino abstineant, ut convivia sæcularia fugiant, & ubique victus frugalitati studeant: ut vino, in quo est luxuria, modice utantur: & choreis, spectaculis scenicis, aliisque cœtibus, ubi amatoria, & turpia obscœnis verbis, atque indecoris corporis motibus, lascivoque cantu exprimuntur, nullo modo intersint; ut ad comœdias non accedant, nec larvari, seu personati in publicum prodeant: ut vitent feminarum ædes, familiaritates, congressus, & secreta colloquia, quovis officii aut pietatis prætextu, nullatenus frequententur: ut nullum mercaturæ, aut negotiationis genus, vel per se, vel per alium exerceant, aliena prædia, redditus, vectigalia non conducant, nullisque sæcularibus personis, præcipue fœminis, in procurandis negotiis, aut domus gubernatione famulentur; ut denique domi se, suaque religiosa disciplina componant, raro per publicum, gravique incessu, oculorum, totiusque corporis modesto habitu interiorem animi moderationem, ostendant; in Ecclesia frequentes suo quisque ministerio & Divino cultui intenti, nihil nisi sanctum faciant aut cogitent, ubique morum innocentia, tacendi, loquendi, atque agendi prudentia, in Superiores reverentia, ac obedientia, erga alios benignitate, inter se fraterno amore, vocationis, qua vocari sunt, memores appareant cum omni humilitate & patientia supportantes invicem in charitate &c. Postremo, ut missa faciam brevitatis ergo, bene multa alia, quæ ad resarciendam Ecclesiæ disciplinam, moresque reformandos statuit prædicta Farfensis Synodus, pauca duntaxat addam, quæ eadem Synodus Capite quadragesimo, quod est de *Usuris & illicitis Contractibus*, & ad pestiferam Usurarum luem, utriusque Testamenti pagina, Civilibus, & Canonicis Legibus reprobatam, radicitus extirpandam, in his, qui ineuntur, contractibus necessario observanda decrevit. Hortatur quippe hæc Synodus & obsecrat omnes Parochos, Confessarios, Concionatores, aliosque curam animarum exercentes, ut Sacros Canones, Summorum Pontificum Constitutiones, probatosque Auctores indefesso studio evolventes, sanam de Contractibus doctrinam apprime calleant, quam populis sibi commissis, Contractus Censuum, Societatum, aliosque inire volentibus, omnibus denique, maxime Tabellionibus, aut eorum vice fungentibus, sequendam proponant, occasionemque sæpe & libenter arripiant fidelem plebem enucleare docendi atque monesaciendi, ut in præfatis Contractibus faciendis memores charitatis, justitiæ, æquitatis, bonæ fidei, spontanei consensus, inviolabilis juramentorum & promissorum religionis, nec non Evangelici Moniti: *Mutuum dantes, nihil inde sperantes*, proximorum in se affectum, vitam, justitiam, & gloriam a Deo omnium patre, & justo simul judice consequantur. Monet præterea Synodus Parochos, Confessarios, & Concionatores ut acriter invehantur in eos, qui per vim & metum, per dolos ac fraudes, per collusiones, deceptiones, pauperumque, per fas & nefas, oppressiones, vias Domini rectas subvertunt, & elusis in communem utilitatem latis legibus, nulla in proximos amoris aut æquitatis ratione habita, viscera misericordiæ claudunt, & crudeliter obdurant, nefariasque rapinas, aut palam cum impune possunt, aut si secus clam in pupillorum, viduarum, operariorum, aliorumque miseria oppressorum perniciem exercent. Quamobrem ad gravissimos illos tollendos abusus, prohibet hæc Synodus Confessariis, ne alienorum bonorum raptores, usurpatores, detentores, & præcipue usurarios, debitarumque operariis mercedum fraudatores, atque etiam horum omnium filios, & hære-

hæredes crudeli, & iniqua indulgentia palpent, eosque nisi facta reali restitutione, aut certe detecto in ipsis firmo quamprimum restituendi proposito, a peccatis absolvant, gnari, si secus fecerint, alienis peccatis innecti, &, in defectum suorum Pœnitentium, ad restitutionem obligari. Præcipit quoque eadem Synodus Parochis, ut maxima diligentia invigilent super Censuum, Societatum, aliisque factis, faciendisque Contractibus, quibus, si lædi æquitatis, & justitiæ jura, Summorum Pontificum *Pii* V. Constitutionem 79. & *Sixti* V. Constitutionem 45. infringi liquido cognoverint, quantum possunt, iniri impediant, jamque initos omni conatu rescindi procurent; quorum monitis, & increpationibus si qui manifeste refragentur, perpetua infamia notati, nec vivi ad Sacramenta, nec mortui ad Ecclesiasticam Sepulturam admittantur, nisi prius pro usurarum debito solutione reali satisfecerint, aut fide jussoribus, pignoribusve legitimam cautionem præstiterint. Hæc sunt in summa Synodi Farsensis præcipua circa disciplinam Ecclesiæ, & doctrinam morum Decreta, quæ omnia ferme complectuntur Capita, quæ in aliis superius a me laudatis Synodis tam Provincialibus, quam Diœcesanis, quæ Sæculo XVII. pro Ecclesiasticæ Disciplinæ instauratione, morumque reformatione fuerunt in Italia celebratæ, a quibus proinde in præsentia referendis, ne in immensum diffundar, & eadem, aut similia Statuta obtrudere, aut fastidiose inculcare cogar, in integrum supersedebo.

D. Cum Decreta aliorum Conciliorum, quæ in Italia Sæculo XVII. habita fuerunt, ad eumdem finem referantur, superfluum omnino esset in illis percensendis diutius hic immorari, & eamdem occinere cantilenam. Hoc unum tantum scire percupio, cur hæc Italica Diœcesana Synodus, cujus Acta ac Decreta summatim a te delibata perlubenti animo auscultavi, appelletur *Farfensis?*

M. Hæc Italica Synodus, cujus præcipua Acta ac Decreta compendiosa narratione perstrinxi, ideo *Farfensis* nuncupatur, quod fuerit celebrata in clarissimo Ordinis *S. Benedicti* Monasterio Abbatiæ sub titulo *S. Mariæ* Virginis, quæ vulgo *de Farfa* dicitur, eo quod in Territorio Diœcesis Sabinensis, in Ducatu Spoletano, viginti duobus millibus passuum ab Urbe Roma distans, versus boream ad *Farfa* fluviolum, vulgo italice *Farfaro*, sita sit. Hæc autem Abbatia Farfensis, quæ a jurisdictione Episcopi exempta, & immediate Sedi Apostolicæ subjecta est, condita fuit a *S. Laurentio Syro*, Sabinensi Episcopo, qui, relictis Episcopalibus Infulis, & Vitam Monasticam professus, primus hujus Monasterii Abbas fuit, obiitque circa annum 576. Eumdem *S. Laurentium Syrum*, antequam Monasterii Farfensis Abbas esset, Spoletanam rexisse Ecclesiam testantur *Sanctus Petrus Damiani* Cardinalis lib. 1. Epist. ad *Nicolaum* II. Pontificem Maximum, & *Joannes Mabillonius* Tomo 1. Annalium Ord. *S. Benedicti* pag. 7. Barbarorum furore eversa Abbatia Farfensis, a *S. Thoma*, Ordinis S. Benedicti Monacho, restaurata est, eique præfuerunt Abbates regulares usque ad finem Sæculi decimi quarti, hoc est, usque ad Pontificatum *Bonifacii* IX. Pontificis Maximi, qui in locum Abbatis Regularis substituit Abbatem Commendatarium, in quem transtulit dominium & jurisdictionem prædictæ Abbatiæ Farfensis, quo fit, ut etiamnum jurisdictio spiritualis ordinaria & omnimoda, & quasi Episcopalis, sit penes Abbatem Commendatarium, & per eum tam quoad Clerum, quam quoad populum in foro interno & externo Ecclesiastico exerceatur. Unita fuit hæc Abbatia Farfensis Congregationi Cassinensi, sive *S. Justinæ de Padua*, a *S. Pio* V. Pontifice Maximo, sibique adjunctam habet alteram ejusdem Ordinis *S. Benedicti* vicinam Abbatiam *S. Salvatoris Majoris de Scandrilia*, & eam ob rem, utriusque Abbatiæ, sive Farfensis, sive *S. Salvatoris Majoris de Scandrilia*, dominium & jurisdictio spiritualis resident nunc penes eumdem Abbatem Commendatarium. Si plura de utriusque Abbatiæ origine, dominio, & diversorum locorum Ecclesiis, ad quas se se diffundit ipsarum spiritualis jurisdictio, scire aveas, legesis *Notitiam Abbatiarum Italiæ* editam ab *Augustino Lubino*, Ordinis Eremitarum *S. Augustini*, & librum cui Titulus est: *Synodus Farfensis celebrata* anno 1685.

D. Obtinuitne in Hispania Sæculo Ecclesiæ XVII. antiqua illa & laudabilis Episcoporum ejusdem Regni consuetudo, qua pro sancienda Ecclesiæ Disciplina, & promovenda Morum reformatione sæpius Concilia celebrare solebant?

M. Pervolvi magna cum diligentia *Collectionem maximam Conciliorum omnium Hispaniæ, & Novi Orbis*, quam Romæ anno MDCXCIII. publica luce donavit Eminentissimus Cardinalis *Josephus de Aguirre*, & ægre vidi in Hispania Sæculo Ecclesiæ decimo septimo unam duntaxat Synodum Diœcesanam, videlicet *Oriolanam*, in Regno Valentiæ, celebratam fuisse, tres vero alias Synodos in Novo Orbe, seu in Civitate *Lima*, habitas esse, a quibus breviter hic nos expedire necesse est, ne in eodem argumento longius, quam par sit, versari videamur. Et primo quidem, Oriolana Synodus ineunte Sæculo XVII. seu anno 1600. indicta est a *Josepho Stefano* Oriolano Antistite, cujus pietatem, doctrinam, ac ceteras præclaras dotes magno elogio prosequitur Cl. Vir *Nicolaus Antonius* in Bibliotheca Hispaniæ Tomo I. p. 623. Tribus Sessionibus absoluta est hæc Oriolana Synodus, & in ea condita sunt septuaginta Capita, Disciplinam Ecclesiæ spectantia, ex quibus quatuor tantum seligam, quæ singulari observatione pro morum reformatione digna esse videntur. Primum Caput, quod in ea Oriolana Synodo est ordine vigesimum quartum, & Sessionis primæ ultimum jubet, ut in Ecclesiis nihil inhonestum, aut indecens fiat. Cum enim domum Dei deceat sanctitudo, ejus veneratio debet esse pacifica, nempe humilis & devotus ingressus, quieta conversatio, tranquillus affectus. Nihil in Ecclesia fieri debet, quod Divinum perturbet Officium, aut oculos

H 2 Divi-

Divinæ Majestatis offendat, ne, ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccatorum detur occasio. Hinc Oriolana Synodus præcipit, ut juxta Constitutionem *Innocentii* III. quæ incipit: *Cum decorem*, a Sanctuario Dei arceantur Histriones, Mimi, Comœdiarum Repræsentatores, aut alii, qui insolitis, ridiculis & monstrosis formis, ac ludibriorum larvis induuntur. Cantilenas quoque vulgares, ridiculas, æthyopica, & barbara lingua conscriptas, ab Ecclesiasticis locis & officiis arceri mandat; sicut & cantus omnes vulgares, qui ad lyræ, vel parvæ testudinis sonum profana modulatione adaptari solent, ne animi hominum in lasciviam, & turpitudinem propensi, hujusmodi vocibus, & cantu frangantur. Debet enim cantus, qui in Ecclesiis admittuntur, modesta psallendi gravitate, honesta, grataque modulatione ita componi, ut auditorum animi ad devotionem, non ad risum & cachinnos excitentur. Alterum Caput, quod in Synodo Oriolana est ordine Vigesimum quintum, spectat Clericos, & Christi Sacerdotes, quos hęc Synodus vehementer in Domino adhortatur, ut in omnibus suis actionibus sint compositi, & circumspecti ut nihil agere, vel loqui audeant, maxime in locis divino ministerio destinatis, quod grave non sit, moderatum, & Religione plenum, cunctisque afferens venerationem: ut fugiant in Ecclesia clamores, strepitus, vociferationes, rixas, conventicula, in Sacrario autem abstineant omnino a mutuis colloquiis, otiosis confabulationibus, & dicteriis, quibus sæpe animi acriori sale punguntur; tum quod ille locus servitio Dei addictus sit, & in eo Sacerdotes se ipsos ad divinorum celebrationem Mysteriorum, ut tantæ Religionis cultus ac reverentia efflagitat, præparare debeant; tum ne sæcularibus personis exempli sui pravitate occasionem præbeant miscendi vana atque profana colloquia, sed potius ea silentii, modestiæ, beneque compositæ vitæ exempla omnium oculis ad imitandum objiciant, quæ domui Dei, & domui orationis conveniant. III. Caput, quod in Oriolana Synodo est ordine Quadragesimum secundum, præfigit disciplinam, quæ in Choro observari debet, omnibusque Viris Ecclesiasticis, quacumque dignitate fulgeant, præcipit Synodus, ut summopere studeant, ne in eo loco, ubi Angelos testes, inspectores, & socios suarum precum habent, ipsorum mens divagetur, animus levibus & turpibus pascatur, ne tepescat neglectu, aut desidia languescat; sed ante orationem præparent animam suam, quo de fide viva, & charitate non ficta, pro populo Dei, tanquam veri Jesu Christi Ministri, strenua legatione fungantur. Sit igitur in Choro corpus modestia & moderatione compositum, manus modestæ, ac temperatæ, mens ad orationem intentior, voluntas in Dei studium fervens, memoria ad pietatem erectior, os plenum, ac redundans laudibus, cantus distinctus vocibus, non murmure, aut intercepta dictione confusus. In Choro nihil sæculare legendum, scribendum, agendum, narrandum, ridendum, jocandum, cachinnandum, rixandum, obloquendum, nihil faciendum, quod mentem a Dei studio & oratione subducat. Quæ omnia, ut executioni mandari possent, statuit eadem Synodus, ut in principalioribus Ecclesiis institueretur Magister Cæremoniarum, qui, tanquam Censor modestiæ ac disciplinæ, omnes, etiam quavis dignitate illustres benigno ex officio admoneret, ne incomposito, laxo, prono, vel in dexteram & sinistram flexo, aut resupino corporis habitu stent, sedeant, genuflectant, sed decoro, gravi & modesto: ita ut quicumque huic monitioni parere detrectaverit, aut voce, clamore, torvo vultu & aspectu sibi injuriam illatam significaverit, si admonitus a Superiore obtemperare noluerit, tanquam indisciplinatus, & loco indignus expellatur. Quartum denique Caput, quod in Synodo Oriolana est Sexagesimum primum, resecat pestilentem quemdam abusum inductum a mulieribus, quæ, Lupercalium tempore, solebant interdiu, necnon multa jam nocte, operimento velatæ, & totam faciem tegentes, privatas domos, ubi amatoria canebantur, & choreæ ducebantur, ad saltandum introire, ut cum his, quos gratiores sibi, aut agiliores, & ad choreas docendas magis expeditos videbant, saltarent ac tripudiarent. Quam pestem, & animarum exitium pro Dei honore, & illarum mulierum spirituali salute prorsus avertere, & extirpare cupiens hæc Synodus, sub æternæ maledictionis reatu vetat patentibus omnibus, maritis & heris, ne posthac patiantur, vel permittant, filias suas, uxores, & ancillas hisce velaminibus contectas hujusmodi turpissimis spectaculis, & impudicis saltationibus interesse, in quibus omnia vitia una cum impudentia, impudicitia, atque luxuria contrahuntur. Hortatur quoque Sæculares Magistratus, quorum curæ & gubernationi Reipublicæ tranquillitas commissa est, ut gravibus pęnis ejusmodi spectacula prohibeant, si morum corruptelam exterminatam e Republica cupiant, & suæ conscientiæ integritati consultum velint. Sed hæc satis de Synodo Oriolana. Quod vero attinet ad alia tria Concilia quæ in novo Orbe, seu in Civitate *Lima*, alias Civitate Regum, ineunte Sæculo decimo septimo seu an. MDCI. MDCII. & MDCIV. habita sunt, quæque Cardinalis *de Aguirre* ad calcem *Collectionis Maximæ omnium Conciliorum Hispaniæ, & novi Orbis* adjecit; cum nihil singulare contineant, & aliunde ad eumdem scopum, seu Cleri populique Morum reformationem spectent, de his nihil in præsentia dicam, sed solum breviter observabo, hæc tria Concilia celebrata fuisse a *B. Toribio Mogrovexo*, Archiepiscopo Limensi in Peruvia, qui zelo salutis animarum, austeritate Vitæ, & pretiosissimis heroicarum virtutum gemmis, Peruviam illustravit, locupletavit, variasque Synodos coegit, in quibus, ut jam diximus, in Colloquio quarto in Historiam Sæculi XVI. Peruvianos, adhuc in Christianismo neophytos, peculiaribus quibusdam decretis ac documentis, eorum ruditati ac conditioni infirmæ adaptatis, ad religionem & pietatem instituit, informavitque,

Ad-

Addam etiam hic ex Cardinali *De Aguirre* in sua Præfatione Tomi quarti ad Capitulum *Ecclesiæ Hispalensis*, *B. Toribium*, Limensem Archiepiscopum, nomen indidisse *S. Rosæ de Sancta Maria*, tertii Ordinis S. Patris *Dominici*, Sacræ Virgini, dum ipsi Sacramentum Confirmationis administraret. Altercantibus enim Avia & matre illius, quo nomine donanda esset; *Toribius*, Archiepiscopus Limensis, controversiam diremit, & ROSAM dici voluit, juxta roseam speciem, quæ in nascentis infantulæ vultu apparuerat. Unde illud distichon in utriusque lamina expressum.

Litem Avia, & Mater renovant, qui virgo vocetur;
Toribius scindit: jure puella ROSA est.

Præter hæc mox a me laudata Concilia, nullum aliud in Hispania fuit convocatum. Hinc doctissimus Cardinalis *De Aguirre* in eo, quod quarto Tomo *Maximæ Notitiæ Conciliorum Hispaniæ* præfixit, Monito ad Lectorem, hæc habet singulari certe observatione digna: *Dolendum sane est, quod in florentissimis Hispaniarum regnis, ubi olim tam frequentia, tam gravia, & toti Ecclesiæ veneranda Concilia celebrabantur, jam ab aliquot Sæculis parum frequentata, aut etiam fere prætermissa fuerint .... Ita frequenter cogebantur Synodi in Hispania olim, non modo Diœcesanæ, sed & Provinciales. Quin & quamplura Generalia totius nationis Concilia a tempore Concilii Eliberitani usque ad decimum septimum Toletanum intra quatuor Sæcula fuerunt celebrata in Hispania. Cumque circa annum Epochæ Christianæ* MDCLVII. *Alipio, & Ardebure VV. CC. Coss. in Hispania detectæ fuissent Manichæorum & Priscillianistarum reliquiæ, S. Leo Papa Epistola* XCIII. *alias* XV. *ad Turibium Episcopum Asturicensem induxit Concilium Episcopale celebrandum in loco opportuniori Sacerdotibus Provinciarum, ac præterea subdit*: Dedimus litteras ad fratres & Coepiscopos nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallicanos, eisque Concilium Synodi Generalis indiximus. *In ordine vero ad id congregandum adjutores dat Idatium ac Ceponium Episcopos eidem Turibio, qui in quadam ad utrumque Epistola diuturnitatem ejus pestis in Hispania grassantis tribuit omissioni sive neglectui celebrandi Concilia*: Quod quidem per mala temporis nostri, Synodorum Conventibus, decretisque cessantibus, libere crevit, („ Hoc ipsum accidit circa relaxationem morum, & Disciplinæ Ecclesiasticæ, in omnibus Regnis ac Provinciis, ubi nec Nationalia, nec Provincialia Concilia, immo nec Diœcesana, nisi forte raro, aut perfunctorie, celebrantur, quibus Præsules ipsi, Sacerdotes, Clerici, & tandem subditi omnes regantur, ac se in officio contineant. Eam ipsam Conciliorum frequentiam indicunt Sacri Canones, & exigit necessitas atque utilitas. Quot mala, quot peccata, quot animarum detrimenta ex eorum neglectu sequantur, experientia ipsa ubique passim docet. Utinam Illustrissimi quique Primates, Metropolitani, & Episcopi, id præ oculis habeant, ne forte in tremendo judicio Princeps Pastorum sanguinem animarum de manibus ipsorum requirat. Deserviant exemplo tot Concilia Hispaniæ ac Novi Orbis, tum Provincialia, tum Diœcesana, Sæculo præcedenti, seu decimo sexto, celebrata, eaque doctissima, ac saluberrima &c. „)

Gravef. Hist. Tom. VIII.

Hæc doctissimi Cardinalis *Josephi de Aguirre* verba hic consulto exscripsi, ut inde intelligas, quam utilis Ecclesiæ sit, & interdum necessaria frequens Conciliorum celebratio, ac subinde quanta animi cura & contentione satagere debeas, ut eorum, quæ hactenus in Ecclesia habita sunt, Conciliorum perfectam notitiam assequaris, ne forte contingat aliquando tibi quod passim accidit etiam hodie nonnullis sciolis, qui passim turgidis faucibus, & anhelis pulmonibus Concilia citant, quæ forte nunquam legerunt, Patres laudant, & grandia quæque auctorum nomina crepitantibus buccis declamant, quorum libros ne primoribus quidem labris degustarunt, sed duntaxat titulos, frontem & Indices Operum inspexerunt.

D. Hunc abusum cavebo, quam diligentissime potero, sæpiusque revolvam omnia, quæ de Conciliis Generalibus, Nationalibus, Provincialibus, & Diœcesanis hactenus in præcedentibus nostris Colloquiis expendimus. Nova quippe Concilia, in quibus matura ac sedula deliberatione ea decernuntur, quæ & fidem ab Hæreticis imperitam defendere, & labentem Ecclesiasticam Disciplinam erigere, quæque vigentem confirmare possunt, esse Ecclesiæ utilissima. Sunt enim Sacra hæc Comitia Antidota adversus venena mortifera, iis radicitus evellendis, quæ plerumque labuntur in abusiones & scandalum. Sunt instrumenta, quibus & ægris, & bene valentibus opportuna paranda sunt pharmaca, quo apta suo quæque tum tempori, tum personis adhibeatur medicina. Sunt denique media, quibus deperdita requiruntur, abjecta reducuntur, confracta alligantur, consolidantur infirma, & fortia custodiuntur. Hos, inquam, uberrimos fructus, quos ex frequenti Conciliorum celebratione abunde percepit Ecclesia, apprime novi, ac deinceps pro viribus conabor mores meos ad normam Canonum, seu Sanctissimarum illarum legum, quas de vita & honestate Clericorum præscripserunt Concilia, exigere; pro certo habens, omnem tum Disciplinæ Ecclesiasticæ, tum Morum Doctrinæ relaxationem ex Canonum neglectu suam originem habuisse. Verum de Conciliis Sæculo XVII. habitis cum nihil aliud tibi dicendum suppetat, præsenti Colloquio nostro finem imponamus, & ad diem lunæ proxime sequentem aliud remittamus Colloquium, in quo de Viris illustribus, qui Sæculo XVII. floruerunt, & de Operibus, quæ lucubrarunt, sermonem instituemus.

COLLOQUIUM V.

De Viris Illustribus qui Saeculum Decimum Septimum Doctrina & pietate nobilitarunt.

M. PRodierunt Sæculo XVII. innumeri pene Scriptores, qui non solum Artes ac Disciplinas liberales pristino suo splendori restituerunt, & linguarum exoticarum, præsertim Hebraicæ & Græcæ, notitiam usumque revocarunt, verum etiam Sacræ Vetustatis amantes, indefesso labore Ecclesiarum Scrinia, Monasteriorum Archiva, Principum Chartophylacia pervestigarunt, indeque in lucem produxerunt antiquorum Patrum cum Græcorum, tum Latinorum monumenta; Ecclesiæ politiam, & Disciplinam, & Ritus lato ac diserto calamo explicarunt; Conciliorum Decreta, Martyrum, Sanctorumque Acta, Imperatorum Edicta, Regum, Principumque Diplomata publica luce donarunt; antiqua Ecclesiæ Dogmata contra Hæreticos invicte propugnarunt; Sacram Scripturam, germanam Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Critices, & Chronologiæ Disciplinas diligentissime excoluerunt, quorum subinde alii dicti sunt *Exegetici*, quod Scripturas Sacras perdoctis suis Commentariis exposuerint; Alii *Dogmatici*, quod Catholicæ Fidei Dogmata pertractarint; Alii *Polemici*, quod Romanæ Ecclesiæ Causam in Controversiis ex Sæculo agitatis adversus Judæos, Gentiles, & Hæreticos strenue defenderint; Alii *Theologi*, quod de rebus ad Theologiam spectantibus libros, Tractatus & Commentarios ediderint; Alii *Historici*, quod res in Ecclesia quolibet Sæculo gestas posterorum memoriæ commendarint; Alii *Critici*, quod de obscuris, dubiis & spuriis Operibus, necnon de Auctorum stylo & ætate judicium tulerint; Alii *Chronographi*, quod quælibet Historiæ Gesta ad certas periodos, vel ad singulos annos, habita accurati temporis ratione, redegerint; Alii *Ascetici*, quod de rebus Spiritualibus ac Moralibus scripserint; Alii *Juristæ*, seu *Canonistæ*, quod de jure tam Civili, quam Canonico Interpretationes, ac Lucubrationes vulgarint; alii denique appellati sunt *Biographi*, quod Acta Sanctorum, vel Vitas doctrina & pietate Virorum illustrium collegerint, litterisque mandarint. Ne igitur tot Scriptorum, qui Sæculum decimum septimum maxime illustrarunt, numero obruamur, hanc, quam tibi gratam fore existimo, methodum inibimus, ut in recensendis Scriptoribus cujuscumque nationis, vel in proferendis Monachorum, vel Regularium Ordinum Viris Illustribus, eos duntaxat in medium producamus, qui majori cum laude in tractandis hisce argumentis, quæ mox indicavimus, studium operamque posuerunt; alioqui infinitum pene laborem, difficilem provinciam, vastumque aggrederer opus, si de omnibus Scriptoribus universim dicere vellem, meque profundo & immenso mari committerem, ex quo emergere non possem, nescius ubi mihi vadum tentandum esset. Præcipuos igitur & nobiliores duntaxat Sæculi XVII. Scriptores, qui fuerunt vel *Exegetici*, seu Scripturæ Sacræ Interpretes, vel Dogmatici, vel Polemici, vel Theologi, vel Historici, vel Critici, vel Chronologi, vel Ascetici, vel Juris Civilis & Canonici periti, vel qui denique in Actis Sanctorum, & Virorum Illustrium Vitis colligendis, ac conscribendis feliciter insudarunt, ad duodecim Classes revocabo, in quarum prima agam de Scriptoribus Gallis. In Altera de Italis. In tertia de Germanis, Belgis, & Batavis. In quarta de Hispanis. In quinta de Anglis. In sexta de Monachis. In septima de Viris Illustribus Ordinis FF. Prædicatorum. In octava de Scriptoribus Ordinis *S. Francisci*. In nona de Augustinianis. In decima de Carmelitanis. In undecima de eximiis ac doctissimis Viris Societatis *Jesu*. Postremam Classem claudent celebriores Congregationis Oratorii *Jesu* Scriptores. Hæc immensa eruditorum Sæculi XVII. Scriptorum in omni scientiarum genere copia tibi ob oculos ponet præstantiam ejusdem Sæculi, quod cetera Ecclesiæ Sæcula omnigenæ doctrinæ apparatu & ubertate æquavit, aut fortasse superavit, tibique, ut spero, stimulos subdet ad legenda identidem horumce Clarissimorum Scriptorum Opera, ut his armis munitus, Hæreticorum nostri temporis tela retundere, sophismata diluere, & Romanæ, seu Catholicæ Ecclesiæ causam adversus eos feliciter propugnare possis.

D. Jam probe novi, nullum Sæculum præstantissimorum hominum, præsertim in Galliis, feracius unquam fuisse Sæculo Ecclesiæ decimo septimo, quo regnante Christianissimo Rege *Ludovico XIV.* Litteratorum Mecenate munificentissimo, liberales Artes, Scientiæ, ac Disciplinæ reflorescere cœperunt, & maximum suscepere incrementum. A Gallis itaque Scriptoribus exordium ducamus, & primo recense Cardinales & Episcopos: dein eos, qui Clero Sæculari fuerunt addicti, potissimum Sacræ Facultatis Parisiensis Doctores, vel Theologię Professores: denique doctiores Laicos, qui in variis Disciplinarum generibus, quę præcipue in notitia Juris Civilis & Canonici excelluerunt. De Gallis vero Scriptoribus, qui vel Monasticam, vel Regularem Vitam amplexi, eodem Sæculo XVII. floruerunt, commodius disseremus in his classibus in quas illos ordinasti.

M. Duo insignes Cardinales Sæculo XVII. magna nominis celebritate in Galliis claruerunt, videlicet *Jacobus David*, vel, ut alii dicunt, *Davitius*, aut *Davius Perronius*, & *Armandus Plessæus Richelius*, qui ad debellandos Calvinistarum errores, eorumque Hæresim in Galliis serpentem radicitus extirpandam totis ingenii & eloquentiæ viribus allaborarunt, atque omnem curam, industriam ac laborem contulerunt. Primus, seu Cardinalis *Perronius*, e parentibus nobilitate quidem claris, sed Calvinianæ Sectæ addictis, in Normannia inferiori ortus est. Adolescens factus, cognitis, atque abjuratis, divina affulgente gratia, Parentum erroribus, quos cum lacte suxerat, Clericalem amplexus est Statum,

& egre-

& egregius evasit Catholicæ Fidei defensor, malleusque Hæreticorum. Ingenio sublimi & acuto, judicio excusso, eruditione solida, & memoria tenacissima admirandus, Theologus nemini secundus Latino ac Vulgari sermone elegantissimus, in Antiquitate cum Ecclesiastica, tum prophana, in lectione SS. Patrum, Conciliorum & Scriptorum Ecclesiasticorum versatissimus, omnes sui Sæculi Scriptores facile superavit. Ebroicensis primum Episcopus, deinde Archiepiscopus Senonensis, tandem S. R. E. Cardinalis, magnusque Franciæ Eleemosynarius fuit. Plures ad Catholicæ Religionis gremium reduxit. Doctissima, cedroque digna in Hæreticos scripsit Opera, in quibus eorum errores profligavit, indeque dictus Hæreticorum sui temporis flagellum. In celebri Disputatione, quam anno MDC. præsente Christianissimo Galliarum Rege *Henrico* IV. habuit, *Philippum Mornæum Plessæum*, famosum id ætatis in Galliis Hæreticum Calvinistam, turpissimo suffudit pudore, & coram deputatis Rege hinc inde, idest, tam pro parte Catholicorum, quam Hæreticorum judicibus, adeo luculenter demonstravit, hunc Hæreticum reum esse infinitarum falsitarum & in citandis Sanctorum Patrum testimoniis, vel in referendis Theologorum Scholasticorum opinionibus multarum interpolationum, depravationum, & corruptelarum, quibus a capite ad calcem scatebat liber, quem Gallico idiomate *de Missæ abusibus, & antiquo Eucharistiæ Usu* scripturierat, ut ille Hæreticus palam convictus, vehementissimo lapsuum suorum dedecore perculsus, ac gravissimo inde morbo correptus, *Salmurum*, cujus Urbis Præfectus erat, sese confestim receperit, sicut jam observavimus in Colloquio quarto in Historiam Sæculi XVI. E vivis excessit doctissimus Cardinalis *Perronius* die V. mensis Septemb. an. MDCXVIII. ætatis suæ LXIII. Reliquit Vir ille eximiæ eruditionis & multarum adversus Hæreticos palmarum complura ingenii sui monumenta, inter quæ reperitur eruditissima illa *Replica*, seu responsio ad *Jacobum* I. Magnæ Britanniæ Regem, in qua Ecclesiæ Romanæ Doctrinam ab Hæreticis impetitam ea eloquentiæ & eruditionis copia, vi & argumentorum efficacia adstruit, defendit, ac demonstrat, ut *David Blondellus*, magni licet apud hæreticos nominis, in refellendis duobus solis capitibus, seu vigesimo quinto & vigesimo sexto libri primi prædictæ ad Majoris Britanniæ Regem *Replicæ*, octodecim annos impenderit, seu potius oleum & operam perdiderit. Omnia Opera, quæ lucubravit Cardinalis *Perronius*, tribus Tomis in Folio comprehensa Parisiis publicam in lucem prodierunt annis MDCXX. & XXII. Extat etiam aliud volumen complectens Legationes ac negotiationes summi momenti, quas maxima cum laude obivit Cardinalis *Perronius*, quodque Parisiis anno MDCXXIII. a *Cesare Ligny*, qui eidem Cardinali fuerat a Secretis, publicatum est. Plura de Doctissimo illo Cardinali legesis in libro cui titulus est: *Gallia Purpurata*. In reducendis ad gremium Ecclesiæ Hæreticis sui temporis egregiam itidem operam navavit alter Card. *Armandus Joannes Plessæus*, Dux *Richelius*, natione Gallus, Par Franciæ & totius Galliarum Regni primus Minister Regius, Lucionensis Episcopus, & tandem S. R. E. Cardinalis a *Gregorio* XV. Pontifice Maximo creatus, qui non solum in gerendis Regni negotiis, sed in promovendis Litteris, Artibus & Scientiis, ingenii præstantia magnus, nihil antiquius habuit, quam ut Calvinianam Hæresim, quæ tum temporis Gallias infestabat, penitus exterminaret, & eos qui hac pestifera Hæresi erant infecti, ad Catholicæ Romanæ Ecclesiæ sinum, sicut devias & errantes oves, revocaret. Eam ob rem, eruditum scripsit *Controversiarum Tractatum*: *Catechismum*: *Methodum facilem & tutam reducendi ad Ecclesiam Romanam eos, qui ab ea sunt separati*; & Tractatum Asceticum *de Perfectione Christiani*. Quanto autem studio & affectu viros Litteratos, ac præsertim Theologos prosequeretur Cardinalis *Richelius*, probant ac prædicant ea, quæ adhuc supersunt, profusæ ipsius erga eos liberalitatis monumenta, quorum unum instar omnium esse debet amplissimum illud ac sumptuosum ædificium Collegii & Ecclesiæ domus Sorbonæ, cujus erat Doctor ac Provisor, quodque magnificis Architecturæ operibus adornatum omnibus maximam admirationem movet. Obiit Parisiis die IV. mensis Decembris anni MDCLII. ejusque Mausoleum visitur etiamnum in Ecclesia Domus Sorbonæ magno artificio elaboratum. His duobus Cardinalibus, qui in confutandis Hæreticorum erroribus strenuam operam adhibuerunt, alios adjungere possem Ecclesiæ Gallicanæ Purpuratos, videlicet *Henricum Petrum de Gondy*, Archiepiscopum Parisiensem, *Arnaldum Dossat*, *Franciscum de Sourdis*, Archiepiscopum Burdegalensem, *Franciscum Rupifulcatium*, Gallice *de la Rochefaucault*, *Joannem Franciscum de Gondy de Retiz* Archipræsulem Parisiensem & alios, qui omnes, ut videre est in libro *Petri Frizonii*, Doctoris Parisiensis, cui titulus est: *Gallia Purpurata*, non tam Cardinalitiæ dignitatis splendore, quam virtutum, & omnigenæ eruditionis fulgore Sæculo XVII. emicuerunt. Verum, ne longior fim, de his doctissimis Cardinalibus nihil in præsentia dicam. Consulto etiam hic prætermittam pium juxta ac eruditum Cardinalem *Petrum Berullum*, Congregationis Oratorii Jesu in Galliis Institutorem, quia de illo in ultima Classe Scriptorum Sæculi XVII. in qua viros illustres Congregationis Oratorii Jesu reposuimus, opportunius sermonem habituri sumus. Venio nunc ad clarissimos Episcopos, qui magna nominis celebritate, & eximiæ Doctrinæ laude in Galliis Sæculo XVII. præfulserunt, & ex his novem duntaxat, ut brevitati studeam, hic laudabo, quos majori præ ceteris aliis commendatione dignos judico, videlicet *Petrum de Marca*, Archiepiscopum Parisiensem, *Gabrielem Albaspinæum* Episcopum Aurelianensem, *Arnaldum Pontacum*, Episcopum Vasatensem, *Henricum Spondanum*, Episcopum Apamiensem, *Franciscum Genetum*, Episcopum Vasionensem, & *Franciscum Bosquetum*, Episcopum Monspeliensem, de qui-

quibus singillatim pauca dicemus. In primis, *Petrus de Marca* ex clarissima familia in Benearni Principatu in Aquitania ortus, primum Conseranensis Episcopus, deinde Archiepiscopus Tolosanus, ac demum Archipræsul Parisiensis fuit, in Antiquitate Ecclesiastica, & in controversiis Fidei quæstionibus ex assidua Scripturæ Sacræ, & omnium Patrum, plurimumque Scholæ Doctorum lectione eruditus, multa scripsit Opera. Historiam Patriæ suæ, & adjunctarum Provinciarum, antea ipsis quoque indigenis incognitam, summa cura & diligentia ex veterum Actorum Fide, insertis passim perdoctis Observationibus, descripsit. *Opus de Concordia Sacerdotii & Imperii* edidit. Volumen quoque *Catalauniæ illustratæ*, seu *Marcæ Hispanicæ*, in quatuor libros tributum, concinnavit, in quibus Hispaniæ integræ, sed præcipue Tarraconensis Provinciæ veteris mediæ & recentioris geographica veterum testimonia vix a quoquam ante hac intellecta & inscriptiones antiquæ accurate explicantur. Commentarium litteralem in Psalmos lucubravit, & dissertationem de *Primatu Lugdunensi & de ceteris Primatibus* publicavit cum Notis ad Concilium Claromontanum. Varia etiam extant ejusdem *Petri de Marca* Opuscula posthuma, quæ post ejus obitum *Stephanus Baluzius* publica luce donavit, & extant in ejusdem *Baluzii* Miscellaneis. Obiit *Petrus de Marca* anno MDCLXXII. *Gabriel Albaspinæus*, Gallice *de l'Aubespine*, Episcopus Aurelianensis ex illustrissima in Galliis familia oriundus, vir fuit totius Antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus, quemadmodum libri, quos in lucem edidit, testantur, videlicet *de Veteribus Ecclesiæ Ritibus: Observationes ad Tertulliani, & Optati Milevitani Opera: Tractatus de Eucharistia*, in quibus antiquæ Disciplinæ monumenta studiose pervestigat, illustrat, & erudite pertractat. Migravit e Vita *Gabriel Albaspinæus* Gratianopoli die xv. mensis Augusti anni MDCXXIX. postquam Episcopatui præfuisset annis xxxiv. Inter Episcopos Galliæ Doctrina insignes jure optimo locum obtinere debet *Arnaldus Pontacus*, Gallice *de Pontac* ex illustri stirpe Burdegalensi genus suum ducens, quippe qui ad Episcopatum Vasatensem provectus probitate vitæ, eruditione, & solicitudinis Pastoralis laude præstans, atque Hebraicarum, & Græcarum Linguarum notitia præditus egregios edidit Commentarios in *Abdiam* Prophetam, Chronicon *Eusebii* eruditis Notis illustravit, & Opus Polemicum scripsit contra *Plessæum Mornæum*, Hæreticum Calvinistam. Hunc Episcopum in tanto honore habebat *Gilbertus Genebrardus*, Archiepiscopus Aquensis, ut suam Chronologiam ei nuncuparerit. E vivis excessit *Arnaldus Pontacus* die XIV. Februarii an. 1605. Ejus Elogium texit *Antonius Possevinus* in Apparatu Sacro. In refellendis Hæreticorum Sæculi XVII. erroribus primas inter Episcopos Galliæ tenet *Jacobus Benignus Bossuet*, Meldensis Episcopus Divione in Burgundia claris natalibus ortus, Parisiensis Facultatis Doctor eximius, Serenissimi Galliarum Delphini *Ludovici XIV.* Christianissimi Regis filii, præceptor eruditione nulli secundus, qui toto Vitæ suæ tempore in Hæreticos desudans pugnavit scripto, verbo, & exemplo, eosque, ab Ecclesia Romana extorres, ut in rectam veritatis semitam revocaret, scripsit Gallice varia Opuscula erudita, & inter illa præsertim, perdoctam ac mirabilem *Fidei Catholicæ* edidit *Expositionem*, quæ ubique gentium summo cum applausu illico recepta fuit, eruditorum omnium calculo probata, laudata, & in diversas linguas, Italicam, Germanicam, Anglicam, Hibernicam, Latinam, & Belgicam, versa. Scripsit etiam idem Episcopus adversus Hæreticos aureum Opus, seu *Historiam de Variationibus Ecclesiarum Protestantium*, duobus Tomis in quarto comprehensam, in qua Hæreticorum Lutheranorum & Calvinistarum multiplices in Fide Variationes aperit, Soleque clarius evincit, ejusmodi Hæreticos non Evangelii, sed Doctrinam temporum sectari. Calamum quoque acuit idem celebris Episcopus Meldensis in pseudo-Mysticos dictos *Quietistas*, impuri *Michaelis Molinosii* discipulos, & librum *Francisci de Solignac Fenelon*, Archiepiscopi Cameracensis, qui illis pseudo-Mysticis haud parum favebat, multis editis lucubrationibus egregie confutavit. *Expositionem in Apocalypsin* Gallico idiomate exaravit, & libros Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastes, & Cantici Canticorum Notis Latinis illustravit. Sub finem Vitæ suæ acerbis doloribus cruciatus *Expositionem* edidit hujus *Isaiæ* Prophetiæ: *Ecce Virgo concipiet &c.* & ut mortem quam sibi imminere sentiebat, erecto animo, hilarique vultu adspicere posset, interpretatus est Psal. vigesimum primum, in quo Passio Christi Domini Nostri a Regio Propheta graphice describitur, sicque scribendi simul, & vivendi finem fecit die XII. mensis Aprilis an. MDCCIV. Magnum apud Viros eruditos sibi nomen peperit *Antonius Godeau*, Episcopus Venciensis, qui improbo labore multa Opera publici juris fecit, quæ styli elegantia & Doctrinæ puritate cum summa oblectatione leguntur & ab omnibus expetuntur. Scripsit patrio, seu Gallico sermone, *Paraphrases in omnes S. Pauli Epistolas, septem Canonicas, & Psalmos Davidis: Historiam Ecclesiasticam, quatuor priora complectentem Ecclesiæ Sæcula; Orationes funebres: duos libros Christianæ Poeseos: Institutionem Principis pro Rege Christianissimo Ludovico XIV. Vitas Sanctorum Pauli, Augustini, Caroli Borromæi; Elogia Episcoporum qui in omnibus Ecclesiæ Sæculis Doctrinæ & Vitæ sanctimonia floruerunt, Constitutiones Synodales*, & alia plura Opuscula. Interfuit Comitiis Generalibus Cleri Gallicani habitis an. MDCXLV. & MDCLV. in quibus Episcopalis auctoritatis jura, nec non Christianæ Doctrinæ moralis puritatem contra laxiores Casuistas, qui eam nefandis corruptelis adulterabant, acerrime defendit. Tandem meritis & fama ubique clarus obiit die XXV. Mensis Maji anni MDCLXXII. *Danielem Huetium*, Episcopum Abrincensem, Latini sermonis elegantia, linguarum Hebraicæ & Græcæ peritia, Historiæ Sacræ Ecclesiasticæ ac Prophanæ exquisita & amplissima cognitio illustrem in Ecclesia, & in Republi-

blica litteraria reddiderunt. Præter *Censuram* quam edidit *adversus Philosophiam Cartesianam*, & librum quem composuit, *de Claris Interpretibus*, Editionem Operum *Origenis* Græco-Latinam adornavit, doctissimis Notis illustravit, eique attexuit *Tractatum*, cui Titulus: *Origeniana*, ubi Vitam *Origenis*, accuratum omnium ejus Operum Criterium, & Historiam Controversiarum, quæ in Ecclesia occasione vel librorum, vel Doctrinæ, vel personæ *Origenis* fuerunt excitatæ, inseruit. Librum etiam de loco, in quo situs erat Paradisus Terrestris, scripsit, & ad *Eusebii* Episcopi Cæsariensis imitationem Opus edidit, cui titulus est, *Demonstratio Evangelica*, in quo omni argumentorum genere contra Infideles probat antiquitatem, revelationem, inspirationem, & auctoritatem sacrorum librorum, contra vero Judæos demonstrat, omnia Prophetarum Oracula de venturo Messia fuisse in Jesu Christo Salvatore Nostro adamussim impleta. Hoc Opus omnigena eruditione sacra & prophana refertum, longe præstat aliis Operibus quæ vulgavit clarissimus ille Episcopus, qui paucis abhinc annis e vivis sublatus magnum sui viris eruditis reliquit desiderium. In digerendis, atque illustrandis Ecclesiæ Annalibus diu multumque insudavit *Henricus Spondanus*, qui in Regno Navarræ natus, & in Calviniana hæresi educatus, divina tamen adspirante gratia, ex continua Cardinalium *Perronii & Bellarmini* Operum lectione (sicut ipsemet fatetur, immo gloriatur, in libro *de Cœmeteriis sacris* a se verna cula, seu Gallica lingua edito) ex errorum tenebris emersit, & Catholicam Fidem amplexus est. Ob suam eximiam eruditionem cum singulari pietate conjunctam ad Episcopatum Apamiensem promotus, populum sibi commissum qua verbo, qua exemplo docuit, ad pietatem informavit, pluresque libros conscripsit, quos inter censentur jam laudatus liber de *Cœmeteriis sacris*, Gallico primum, deinde latino idiomate donatus, multisque auctus: *Annalium Ecclesiasticorum Cardinalis Baronii Epitome* duobus Tomis comprehensa: *Annales sacri a Mundi creatione ad ejusdem reparationem: Continuatio Annalium Ecclesiasticorum* ab anno MCXCVIII. quo Cardinalis *Baronius* desiit, usque ad finem anni MDCXL. in duos Tomos distributa. *Si de Henrico Spondano* plura scire desideres, legesis ejus vitam a *Petro Frizonio* Theologo Parisiensi descriptam, quæ extat in fronte primi Tomi ejusdem *Spondani* continuationis Annalium Ecclesiasticorum Baronii. Ad repurgandam doctrinam moralem a corruptelis, quas nonnulli laxiores Casuistæ invexerant, animum appulit *Franciscus Genetus*, patria Avenionensis, & ejusdem Urbis Academiæ in Sacra Theologia, & in utroque jure Doctor. Ab Eminentissimo Cardinali *Hieronymo Crimaldo* Aquisextiarum Archiepiscopo, ad instituendum Seminarium accitus est, ibique per quinquennium Doctrinam moralem docuit: Deinde, ab *Innocentio Undecimo* Pontifice Maximo Vasionensis Episcopus creatus, omnia Episcopalia munia incredibili zelo obivit. Doctrinam moralem ad normam Scripturæ Sacræ, Sacrorum Canonum, Doctrinæ Sanctorum Patrum, præsertim *SS. Thomæ & Antonini*, idiomate Gallico composuit, eamque, promovente Doctrina & pietate celebri Cardinali *le Camus*, Episcopo Gratianopolitano, typis commisit, quæ ita omnibus probata est, ut multis Editionibus pervulgata, Parisiis, mox Venetiis in Latinam Linguam versa prodierit. Obiit *Franciscus Genetus* Episcopus Vasionensis, die XVII. mensis Octobris anni MDCCII. aquis suffocatus, dum torrentem lectica vectus trajiceret, vix ætatis annum sexagesimum tertium ingressus. Hic prætermittere non debeo *Josephum Mariam Suarem* in Sede Episcopali Vasionensi *Francisci Geneti* illustrem prædecessorem, qui patria fuit itidem Avenionensis, Græce ac Latine doctus, Antiquitatis sacræ & prophanæ studiosissimus, & *Urbano Octavo* Pontifici Maximo gratissimus. *Nili* Abbatis Opera e GræcoLatine versa typis Barberinis Romæ excusa publici juris fecit, multaque doctissima in lucem edidit Opuscula, quorum Catalogum texit *Leo Allatius* in *Apibus Urbanis*, seu *de Viris illustribus*. Vita functus est *Josephus Maria Suares*, Episcopus Vasionensis anno MDCLXXIII. Denique inter Episcopos Ecclesiæ Gallicanæ Doctrina & pietate Sæculo XVII. insignis fuit *Franciscus Bosquetus*, patria Narbonensis, Latinæ Græcæque & Hebraicæ linguarum notitia præditus, jurisprudentiæ peritia maxime claruit. Primum Lutevensis Episcopus anno MDCXLVIII. a Christianissimo Rege *Ludovico* XIV. designatus est, deinde an. MDCLV. translatus ad Episcopatum Montis Pessulani, obiit anno MDCLXXVI. Plura perdocta cum Historica, tum Canonica scripsit Opera. *Epistolas Innocentii* III. Pontificis Max. Commentariis Historicis illustravit. *Vitas Pontificum Avenione sedentium* præclaris Notis auxit: *Synopsim Legum* Græcam *Michaelis Pselli* elucidavit Juris Annotationibus; *Ecclesiæ Gallicanæ Historiarum exordia* quatuor libris, a primo Christi in Gallias Evangelio ad datam Ecclesiæ pacem publici Juris fecit, sed earum continuatio desideratur, & necdum prodiit in lucem, quamvis a Viris Litteratis multum expetita, sicut & alia ejusdem Auctoris Opera MSS. quæ adhuc in Bibliothecis asservantur. Sed hactenus satis dictum sit de Gallicanæ Ecclesię Episcopis, qui Sęculo XVII. Catholicam Fidem ab Hęreticis impetitam strenue vindicarunt, doctissimis libris illustrarunt, & vitę sanctioris exemplo, tanquam sale optimo, in populorum cordibus incorruptam condierunt atque conservarunt; de quibus si plura scire aveas, adire poteris *Galliam Christianam*, quę primum a *Scaevola*, & *Ludovico* fratribus *Sammarthanis*, Gallice *de Sainte Marthe*, edita est: deinde a *Petro Abelio*, & *Nicolao*, filiis *Scaevolæ Sammarthani*, pluribus accessionibus, & adjecta etiam Historia Gallię Abbatum aucta, in quatuor Volumina excrevit, ac demum paucis abhinc an-

annis a *Dionysio Sammarthano*, Monacho Ordinis *S. Benedicti* e Congregatione *S. Mauri*, multis conquisitis undique monumentis locupletata, pulchreque castigata, & ad nostram usque ætatem producta prodiit in lucem Parisiis an. MDCCXV.

D. Gaudeo plurimum, quod Ecclesia Gallicana Sæculo XVII. tot strenuos in extirpandis Hæresibus, in amplificanda Religione doctissimos dederit Cardinales & Episcopos, vindices Catholicæ Fidei, custodes antiquæ Patrum traditionis, acerrimos propugnatores Ecclesiæ laborantis, ejus hostium repressores, defensores honoris & salutis. Sed alios, si placet, percurramus Scriptores, qui eruditionis præstantia Sæculo XVII. in Galliis floruerunt.

M. Dies profecto me deficiet, si singulos impræsentiarum appellare velim Scriptores, qui Sæculo XVII. eruditionis fama celebres in Galliis extiterunt. Illustriores igitur duntaxat, quorum Opera aliquam Ecclesiæ utilitatem afferre possunt, hic laudabo, & ut sedulo caveas a lectione quorumdam Galliæ Scriptorum, qui, licet Catholici, & Clero addicti, effrænis tamen & intemperantis Critices vitio laborantes, male audiunt; eos in antecessum breviter indicabo. Primus est *Joannes Launonius*, Constantiæ in Normannia, Galliarum Regno Provincia, natus, Doctor Sacræ Facultatis Parisiensis, Vir quietis impatiens, qua nec se, nec alios frui sinebat, & nativa quadam titillatus prurigine fugillandi, ac jure vel injuria carpendi Viros illustres, calamum sele tinctum in plures acuit, receptasque communi piorum suffragio opiniones lacessivit argumentis ut plurimum negativis, quæ incerta & infirma esse luculenter contra eundem *Launojum* evincit bene longa & eleganti Exercitatione *Joannes Baptista Thiers*. Certe, ut libere dicam, quod olim de morosiori quodam Censore lepide ajebat *Tullius Cicero*, illum videlicet *Grammaticæ non Aristarchum esse, sed Phalaridem*: in *Joannem Launojum*, nuperum Criticum, jure optimo detorqueri potest, eum videlicet multarum traditionum & opinionum non Aristarchum, sed Phalaridem fuisse. Ille quippe est superciliosus Censor, qui non ferro, sed ferreo calamo in plures receptas opiniones ac traditiones temerario ausu grassatus est, qui facta omnia infecta esse pertendebat, qui totus fuit in vetustissimis quibusque Sanctis e Cælo pro virili parte detrudendis, quasi depopulandi cæli partes sibi desumpsisset; qui S. *Dionysium Areopagitam*, Galliarum Apostolorum fuisse, aperta fronte negavit, Phocenses defraudavit S. *Magdalenæ* ad Portum Massiliensem appulsu, & apud se aliquot annis vitæ sanctissimæ transactæ monumentis, quæ cedunt in decus illius gentis sempiternum; qui plura Monasteria a juribus & privilegiis longa non solum annorum, sed etiam Sæculorum serie confirmatis, depellere aggressus est; qui Primatus Romani Pontificis jura omni studio elevare molitus est; qui Religiosos Carmelitas deturbare voluit ea quæ apud illos obtinet originis suæ ex *Elia* & *Eliseo* repetitæ, vel Scapularis *Simoni Stoko* a Virgine Deipara concessi opinione; qui denique, ut cetera alia missa faciam, *S. Thomæ Aquinati*, Doctori Angelico, non pepercit, eique Summam Theologicam tripartitam ficulneis conjecturis, quas in superioribus Colloquiis exsufflavimus, abjudicavit: multaque id genus in his, quæ edidit, Operibus tractavit argumenta, a quibus, si illam, qua laborabat, scripturiendi cachoetem, & pruriginosam de omnibus dubitandi libidinem cohibere potuisset, in integrum supersedere debuisset. Quod cum non fecerit, & impotenti suæ libidini singula quæque, quæ ad ipsius salivam non erant attemperata, in dubium præpostere revocandi absque ullo fræno indulserit, indelebilem importuni, morosi, & superciliosi Censoris notam nomini suo inussit. Obiit *Joannes Launojus* die 10. mensis Mart. an. 1678. Alter intemperantioris Critices Scriptor Gallus est *Ludovicus Elias Dupinus* patria Parisinus, & Facultatis Parisiensis Doctor, qui *Joannis Launoji* cum esset discipulus, ejus vestigia ubique pressit, & in his quæ edidit, Operibus præsertim in sua *Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum*, quæ novendecim Tomos complectitur, de Romanis Pontificibus parum reverenter loquitur, in Sanctorum Patrum Opera, stylum & doctrinam, quasi pro Tribunali sedens, virgam censoriam exercet; Sanctorum Ecclesiæ Doctorum *Augustini* & *Hieronymi* Opera deprimit; Scriptorum Ecclesiasticorum lucubrationes pro suo gustu & arbitrio aut contemnit, aut extollit; Viris Regularibus, quos vulgo *Mendicantes* appellamus, præcipue Fratribus Prædicatoribus, se se passim infensum prodit, eorumque Opera parvi facit; receptas traditiones, & opiniones, quæ Fidelium pietatem alere possunt, tanquam fabulas, superstitiones, & putida commenta irridet, explodit, exsibilat, atque infelicibus conjecturis abolere conatur; uno verbo *Dupinus* Dictaturam nescio quam, sine eruditorum suffragiis, in liberrima Republica litteraria sibi arrogat, & si quos a se vel minimum dissentientes putat, illico plautino sale illos defricat, & tanquam Critices Disciplinæ penitus ignaros traducit ac vellicat. Parisiis nupertime diem ultimum clausit *Dupinus*. Inter Gallos intemperantioris Critices Scriptores reponuntur quoque *Hadrianus Bailletus*, & *Petrus Faidit*, ambo Sacerdotes. Horum primus, in pago prope urbem *Bellovacum* natus, multa Opera conscripsit, sed sub specioso obtentu repurgandi Vitas Sanctorum a fabulis quæ in eos irrepserant, & vera Acta ac monumenta secernendi a falsis & spuriis, in aliud extremum impegit in describendis Vitis Sanctorum, quas IV. Tomis in folio complexus est. Plurima siquidem Acta Sanctorum, & traditiones in Ecclesiis receptas, aut in dubium revocavit, aut inficias ivit, multis miraculis, & revelationibus fidem omnem detraxit, totumque Opus suum varis Observationibus, eruditis quidem, sed quæ severiorem in hoc argumento Criticam olent, & piorum animos offendere possunt, implevit. Obiit Parisiis *Joannes Bailletus* die 21. men-

mensis Januar. an. 1706. Alter vero, seu *Petrus Faidit*, ex Avernia, Galliæ Provincia, ortus, præter aliqua Historico-Critica Opuscula, quæ Gallice contra *Sebastianum Tillemontium* scripsit, Theologum agere voluit in libro, quem Gallice an. 1696. edidit de *Sanctissima Trinitate*, in quo probandum suscepit, Cælum non tam distare a terra, quam Systema Theologorum de Sanctissima Trinitate distet a doctrina Sanctorum PP. Sed dum Theologos Scholasticos impugnat ille pseudocriticus Author, lapsus est in *Tritheitarum* errorem, tresque distinctas essentias, seu naturas admisit in tribus Personis Divinis. Quem errorem eruditus *P. Hugo* Canonicus Regularis Præmonstratensium Ordinis, perdocta Lucubratione an. 1699. edita confutavit, & temerarium illum Criticum, falcem in alienam messem mittere præsumentem, ad palinodiam coegit. Horum itaque Scriptorum, quos hactenus indicavi, & aliorum intemperatæ & inordinatæ Critices hominum Opera lectitare non debes, quia sicut nihil utilius est Critices Disciplina, quæ temperata est, & ad certas, præscriptasque Regulas exacta, ita nihil perniciosius est inordinata Critica, quæ nullo fræno cohibita omnia in dubium revocat, & in monumenta, quæ pietatem & Religionem spectant, etiam impune grassatur. Qua de re legesis *Tractatum de Abusibus Critices Disciplinæ in iis, quæ attinent Religionem*, quem Pater *de Laub russel*, Societatis Jesu, anno 1710. Gallico idiomate edidit, & librum, quem nuperrime, seu anno 1713. Parisiis vulgavit *P. Honoratus a Sancta Maria*, Carmelita Excalceatus, Gallico itidem idiomate scriptum, quique hunc præfert titulum sic latine redditum; *Observationes super Regulis, & Usu Critices Disciplinæ circa Opera Sanctorum Patrum, Acta antiquorum Martyrum, & Vitas Sanctorum &c.* His semel indicatis immoderatæ Critices Scriptoribus Gallis, quorum Opera studiosa juventus manibus versare non debet, de aliis nunc nobis disserendum incumbit ejusdem Nationis Gallicæ Scriptoribus, qui Clericali itidem dignitate insigniti Sæculum XVII. eximia eruditione illustrarunt, & libros non minus Ecclesiæ, quam Reipublicæ Litterariæ utilissimos lucubrarunt. Sed quia vitam cujusque prosequi infiniti laboris esset, eorum duntaxat nomina, atque præcipua, quæ ediderunt, Opera breviter indigitabo. Quod si aliquos ex his præsertim Scriptoribus, qui etiamnum in Galliis vivunt, prætermisero, excusationem, opinor, merebitur silentium meum apud eos, quorum per ignorantiam magis, quam ex contemptu nullam mentionem fecerim, cum eorum & nomina & Scripta ad me non pervenerint. Inter Scriptores Gallos, qui Sæculo XVII. in Theologia sive Scholastica, sive Dogmatica, vel Polemica, vel Morali excelluerunt, hi potissimum numerantur, quos hic continua serie recensebo. *Andreas Duvallius*, insignis Doctor Sorbonicus, & Regius Theologiæ Professor in Universitate Parisiensi primarius, scripsit librum contra *Edmundum Richerium*, Authorem libelli *de Ecclesiastica & Politica Potestate*; Opera etiam Theologica vulgavit, obiitque Parisiis an. 1638. *Nicolaus Isambertus*, patria Aurelianensis, Doctor & Professor Sorbonæ, egregiis Commentariis Summam *S. Thomæ* illustravit, & e vivis abiit die 14. mensis Maji anni 1642. Sub initium Sæculi 17. floruit *Philippus Gamachæus* Doctor Sorbonicus, qui de rebus Theologicis perdocte scripsit, & obiit die 21. mensis Julii anni 1625. Claruit eodem Sæculo *Antonius Arnaldus*, Doctor Sorbonicus, qui plura Opera Theologica, sed præsertim Polemica contra hæreticos Calvinistas concinnavit, inter quæ duo potissimum Gallice scripta maxime celebrantur, unum videlicet, cui titulus est: *de perpetuitate Fidei Eucharistiæ*, alterum, cui hic titulus præfigitur: *Moralis Christiana erroribus Calvinistarum de justificatione omnino profligata*. Obiit *Antonius Arnaldus*, annos natus octoginta tres, die 8. mensis Augusti anni 1694. Catholicæ itidem Religioni adversus Calvinianos propugnandæ totum se addixit *Petrus Nicolius*, & eleganter atque erudite scriptis Opusculis Catholicæ Ecclesiæ Romanæ Fidem adversus Heterodoxos illibatam tutatus est, obiitque Parisiis die 16. Novembris an. 1695. Inter Casuistas Sæculi XVII. Primas tenere debet *Jacobus Sanbovius*, Gallice *de Sainte Beuve*, Doctor Sorbonicus, qui extremum diem clausit 15. mensis Decembris anni 1677. Conscientiæ Dubiorum & Consultationum Decisiones, quas ad Scripturæ Sacræ, Canonum, & doctrinæ SS. Patrum atque primi subsellii Theologorum normam exactas dederat, dum adhuc in vivis esset, publicam in lucem post ejus obitum editæ sunt anno 1689. 1692. & 1704. tribus Tomis in quarto collectæ. Duo etiam posthumi Tractatus Latini, quos idem *Sanbovius* contra pseudo-Ministrum *Dallæum* composuerat, prodierunt anno 1686. unus videlicet *de Sacramento Confirmationis*, alter *de Extrema Unctione*. Casuistarum, seu Doctorum, qui de Morum Disciplina tractarunt, Classi accenseri quoque debet *Bonus Merbesius*, qui concinnavit *Summam Christianam*, seu *Orthodoxam Morum Disciplinam*, duos in Tomos in folio distributam, quæ (ut ait Cardinalis *Josephus de Aguirre* in Præfatione, quæ est in fronte primi Tomi *Collectionis omnium Conciliorum Hispaniæ*) *videtur catena fere continua Moralis Christianæ, ex Canonibus Conciliorum, & locis Sanctorum Patrum contexta, adversus laxones quoslibet*. Adversus spurios Mysticos, seu *Michaelis Molinosi* discipulos, eruditum librum scripsit *Joannes Grancolas*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, aliaque Opera de Doctrina Morali, sed præcipue de rebus Liturgicis, de Ritibus, Ceremoniis, & Disciplina Ecclesiæ publicavit, quæ a Viris eruditis impense laudantur. Comœdias & Spectacula libro Gallice edito data opera impugnavit *Joannes Gerbesius* Doctor Sorbonicus contra *P. Cafaro* Clericum Regularem Theatinum, Italum, patria Messanensem, qui Parisiis Latino Scripto, sed postea Gallice verso, Typisque mandato, Comœdiarum, & Spectaculorum usum licitum esse docuit; facti tamen pœnitens, palinodiam in Episto-

Epistola, quam scripsit ad Illustrissimum Archiepiscopum Parisiensem, decantavit, & Comœdiarum ac Spectaculorum usum velut Christianis omnino illicitum, & a Sanctis Patribus damnatum, reprobavit. Alia ejusdem *Joannis Gerbesii* de diversis argumentis extant Opuscula Gallice scripta, & liber unus Latine exaratus, cui titulus est: *de Causis Majoribus*. Lucubrationes, non minus doctrina, quam argumenti novitate singulares, ediderunt duo Sæculi XVII. Theologi, *Jacobus* scilicet *Boyleau*, Doctor Sorbonicus, & *Joannes Baptista Thiers*, Sacræ Facultatis Parisiensis Baccalanreus, quorum primus, seu *Jacobus Boyleau*, præter varia Opuscula, quibus Rempublicam Litterariam illustravit, *Tractatum* edidit in quarto *de Antiquis & Majoribus Episcoporum Causis*: insuper *Disquisitionem Theologicam de Sanguine Christi post Resurrectionem*, *Tractatum de necessitate Contritionis*, seu amoris Dei super omnia dilecti, *in Sacramento Pœnitentiæ*: *Historiam de Confessione Auriculari*: *Tractatum de Adoratione Eucharistiæ*: *Historiam Flagellantium*: *& Disquisitionem Historicam de re Vestiaria hominis sacri Vitam communem more civili traducentis*. Alter vero Scriptor, seu *Joannes Baptista Thiers*, Vir rerum reconditarum curiosus investigator, varias Dissertationes, vel Tractatus publici Juris fecit, præsertim *de Auctoritate Argumenti negativi contra Launojum*: *Tractatus de Festis*: *de Expositione Sanctissimi Sacramenti*: *de Superstitionibus*: *de Jocis & Ludis*: *de Coma ascititia*, Gallice *Perruque*, *Clericorum*, & de aliis id genus argumentis, quæ Lectores singulari voluptate perfundunt, & rara eruditione imbuunt. Obiit *Joannes Baptista Thiers* mense Martio anni 1703. Denique, ut absolvam seriem Scriptorum, qui Sæculo XVII. in Clerum Sæcularem in Galliis adscripti de rebus Theologicis scripserunt, quinque duntaxat proferam Viros illustres, qui ad juvanda Clericorum studia Cursum Theologicum, ab inutilibus, frigidis, spinosis, & futilibus quæstionibus repurgatum, magna cum laude & omnium utilitate adornarunt. Primus est *Franciscus Feu*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, in antiquitate Ecclesiastica, & in lectione SS. PP. atque Scriptorum Ecclesiasticorum versatissimus, qui Cursum Theologicum in quatuor Tomos distributum, juxta Scholasticam methodum aggressus, duos tantum Tomos, quorum primus complectitur Tractatus *de Deo*, *de Attributis Divinis*, *& de SS. Trinitate*; Alter vero contiuet Tract. *de Legibus*, *de Peccatis*, *& de Incarnatione*, publicavit, inopinata morte abreptus die 26. mensis Decemb. anni 1699. Alter Scriptor est *Joannes Baptista du Hamel* Sacerdos, qui non solum castigato & eleganti stylo composuit Cursum Philosophicum, cui titulus est: *Philosophia Vetus & Nova ad usum Scholæ accommodata*, sed etiam concinnavit integrum Cursum Theologicum octo Tomis in octavo comprehensum, in quo quæstiones, quæ in Scholis ventilari solent, puro, terso, & pene Ciceroniano stylo pertractat, & Theologiam Scholasticam simul cum Positiva, seu Dogmatica, Polemica, & Historia Ecclesiastica miro artificio, ac perpetuo fœdere conjungit. Hujus Cursus Theologici Epitomen ad usum Seminariorum confecit *Joannes Baptista du Hamel*, quam Parisiis anno 1693. Typis mandari curavit. Alium Scripturæ sacræ studiosis utilissimum edidit librum, cui titulus est: *Institutiones Biblicæ*, & integra Biblia Sacra cum doctissimis Notis in omnes libros sacros cum Veteris, tum Novi Testamenti Parisiis anno 1705. Typis excusa in publicam lucem emisit. Obiit Parisiis *Jo: Baptista du Hamel* die 6. mensis Augusti anni 1706. Tertius Scriptor est *Martinus Grandin*, Doctor Sorbonicus & Sacræ Facultatis Parisiensis Decanus, qui sese totum Theologiæ Scholasticæ studio dedit, ac diem extremum obiit die 16. mensis Novembris anno 1691. multaque reliquit Opera Theologica, quæ quinque Voluminibus comprehensa, post ejus obitum *Carolus de Plessis D' Argentrè*, Doctor itidem Sorbonicus, Parisiis prælo commisit an. 1710. eisque adjecit nonnullas Disputationes, quas ipse proprio marte lucubravit. Quartus Scriptor est *Nicolaus L'herminier*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, qui plures edidit Theologiæ Tractatus, in quibus clara & expedita methodo Quæstiones non solum ad Theologiam Scholasticam, sed ad Positivam, seu Dogmaticam spectantes pertractat. Primus Tomus complectitur introductionem ad Scripturam sacram, & Tractatus de Deo, ejus Attributis, de Prædestinatione, de Trinitate, & de Angelis. Alter Tomus continet Tractatus de Incarnatione, de Gratia, & de Justificatione. Tertius Tomus comprehendit Tractatum de Actibus Humanis, & de Legibus. Quartus Tomus unicum habet Tractatum de Peccatis. Alios Tractatus Theologicos non absolvit *Nicolaus L'herminier*, cui plurimum debet Schola *Scoti*, Doctoris Subtilis, quod illius opinionem de Distinctione formali, actuali, ex natura rei, latino, & Gallico idiomate acriter defenderit, eique novum robur ac lumen pro viribus addere tentaverit. Quintus denique Scriptor, est *Ludovicus Habert*, Doctor Sorbonicus, qui integrum Cursum Theologicum ad usum Seminarii Catalaunensis per breves interrogationes & Responsiones contexuit, atque omnes fere Quæstiones, quæ ad Theologiam Scholasticam, Dogmaticam, & Polemicam attinent, accurata methodo, nitido stylo, solida doctrina excussit, dilucidavit, præsertim illas, quæ ad Disciplinam morum, ad Sacramenta, eorumque administrationem pertinent, in quibus explanandis plus temporis ac laboris impendisse videtur. Consulto hic prætermitto insignem quemdam Parisiensem Theologum, qui sub nomine *Petri Aurelii* latitare voluit, & cujus eximias Apologias, quas in defensionem Episcoporum, sicut jam in Colloquio III. observavimus, invicto animo suscepit, Clerus Gallicanus non solum benigne excepit, sed etiam ad illum, licet incognitum, perhonorificam scripsit Epistolam; noluit tamen ille Theologus, sub nomine *Petri Aurelii* latitans, solitudinis nimium amans, unquam prodire in publicum, & litteris jugiter inten-

intentus, complura scripsit Opera. Longam cum *Sirmondo* Societatis Jesu circa lectionem & verum sensum Canonis secundi Concilii Arausicani primi Controversiam habuit, sicut in Colloquio mox laudato ostendimus, & moriens, numero prope infinita manuscripta reliquit.

D. His celebrioribus, quos hactenus laudasti, Cleri Sæcularis Viris illustribus, qui Sæculo XVII. in Galliis Theologiam Scholasticam, Dogmaticam, Polemicam, & Moralem doctissimis suis Lucubrationibus illustrarunt, atque Rempublicam Litterariam locupletarunt, optarem ut in præsentia alios adjungeres ejusdem Cleri Sæcularis Viros eruditos, qui in Galliis, sive in Sacrarum Scripturarum interpretatione, sive in notitia Historiæ & doctrinæ Sanctorum Patrum, sive in Theologia Ascetica, arteque concionandi præ cæteris aliis Scriptoribus excelluerunt.

M. In adornandis Scripturæ Sacræ in Linguam Vernaculam Versionibus eruditi quidam Viri in Galliis Sæculo XVII. studium, operamque posuerunt, videlicet Biblia Sacra ex Editione Vulgata Latina vertit Gallice *Isaacus le Maitre de Sacy* cum explicatione sensus litteralis & spiritualis excerpta ex Sanctis Patribus, & Auctoribus Ecclesiasticis. Novum vero Testamentum Gallice transtulerunt *Antonius Godeau*, Episcopus Venciensis, cujus superius meminimus, *Michael de Marolles*, *Franciscus Veron*, *Dionysius Amelotte*, *Carolus Hure*, Theologus Parisiensis, *Dominicus Bouhours*, & alii. Sed obiter observare debes, prodiisse eodem Sæculo tres Novi Testamenti Gallicas Versiones, quæ ab Ecclesia fuerunt damnatæ. Prima est, quæ dicitur *Traductio Montensis*, eo quod Montium Hannoniæ, ubi Typis excusa est, nomen in fronte gerit. Hæc autem Gallica Novi Testamenti Versio, seu Traductio Montensis, prohibita ac damnata fuit Romæ a *Clemente IX.* Pontifice Maximo, die 20. Aprilis anni 1668. & ab *Innoc. XI.* die 19. Septemb. anni 1679. Alteram Versionem Gallicani Novi Testamenti, quam cum litteralibus & criticis Observationibus in loca difficiliora edidit *Ricardus Simonius*, reprobavit Eminentiss. Cardinalis *de Noailles*, Archiepiscopus Parisiensis, quod in ea quædam essent reprehensione digna, Decretoque suo dato anno 1702. prohibuit, ne in sua Diœcesi Parisiensi vulgaretur. Idem pariter egit duplici sua Pastorali Instructione data annis 1702. & 1703. *Jacobus Benignus Bossuet*, Meldensis Episcopus. Tertiam Novi Testamenti Gallicam Versionem, cujus Author est *Paschasius Quesnellus*, sub hoc titulo: *Compendium Moralis Evangelicæ, sive Considerationes Christianæ super Textum &c.* hanc, inquam, *Paschasii Quesnelli* Gallicam Novi Testamenti Versionem, simul cum centum & una Propositionibus ex prædictis *Quesnelli* Considerationibus, seu in quemlibet Versum Observationibus, excerptis, damnavit Summus Pontifex *Clemens XI.* Constitutione data die 8. mensis Septemb. anni 1713. Sed missis illis Novi Testamenti Gallicis Versionibus, novam Sacrorum Bibliorum Hebraicorum, Samaritanorum, Chaldaicorum, Græcorum, Syriacorum, Arabicorum & Latinorum Editionem *Guido Michael le Jay*, juvantibus *Philippo Aquino*, *Joanne Morino*, Congregationis Oratorii Jesu presbytero, *Gabriele Sionita*, *Abrahamo Ecchellensi*, *&* *Hieronymo Parent*, aggressus est, eamque magnis sumptibus Parisiis anno 1645. *apud Antonium Vitre* Typis excudi curavit; unde Biblia Heptaglotta, seu Polyglotta Domini *Michaelis le Jay*, vel Parisiensia vulgo nuncupantur. Hæc autem *Michaelis le Jay*, Sacrorum Bibliorum Editio decem Voluminibus in Folio majori comprehensa est, quorum quatuor priora complectuntur Veteris Testamenti Textum Hebraicum, Chaldaicum, & Græcum, addita triplici Versione Latina: Quatuor vero sequentia Volumina continent Textum Syriacum & Arabicum cum suis Latinis Translationibus, geminumque Pentateuchum Hebræo-Samaritanum, & Chaldæo-Samaritanum cum una interpretatione Latina; Duo denique postrema Volumina exhibent Novum Testamentum Græcum, Syriacum, Arabicum, & Latinum. Hoc Opus præstantissimum, & magnis curis elaboratum, Virorum omnium eruditorum approbationibus fuit commendatum, si tamen excipias *Valerianum de Flavigni*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctorem, qui anno MDCXLVI. contra hanc *Bibliorum*, seu Polyglottorum Parisiensium Editionem aliquot scripsit Epistolas, quas *Abrahamus Echellensis*, linguarum Orientalium peritissimus, paulo acerbiori stylo confutavit. Præter has versiones, & Sacrorum Bibliorum Editiones, in quibus concinnandis Sæculi XVII. in Galliis insudarunt Viri eruditi, alia quædam in Scripturam Sacram Opera lucubrarunt Scriptores Galli, quorum mentionem hic breviter faciam. *Nicolaus Toinardus*, linguarum Orientalium, & rei antiquariæ callentissimus, *Harmoniam Græco-Latinam quatuor Evangeliorum* cum quibusdam Notis & Prolegomenis contexuit, & obiit anno MDCCVI. *Petrus Merinus*, linguarum Græcarum & Orientalium apprime doctus, Vaticanæ Typographiæ Præfectus, in Bibliis tam Græcis, quam Latinis, jussu *Sixti V.* Pontificis Maximi excusis, multum laborem insumpsit, veterumque Interpretum fragmenta ex plurimis manuscriptis Codicibus primus collegit, obiitque an. MDCCVIII. *Ludovicus Ferrandus* latine scripsit Commentarium in Psalmos: *Institutiones Biblicas*: Gallice vero edidit librum *Considerationum super Religione Christiana*, quæ complectuntur explicationem Prophetiarum *Jacobi*: *Non auferetur Sceptrum de Juda &c.* & LXX. *Danielis* Hebdomadum de adventu Messiæ. Denique *Philippus Coduro*, in linguarum Orientalium notitia versatissimus, eruditum composuit librum in Job Commentarium, & Dissertationem *de Genealogia Christi Domini*. Alios pene innumeros Scripturæ Sacræ Interpretes, qui Monasticam, vel Regularem vitam profitentes Sæculo XVII. in Galliis floruerunt, hic de industria prætermitto, quia

commo-

commodius de his differemus in illis Classibus, in quas superius illos disposuimus. Venio nunc ad illos Cleri Sæcularis Scriptores Gallos, qui de rebus Historicis, Criticis, Liturgicis, Ascericis Opera ediderunt, vel vitas Sanctorum descripserunt. Et primo quidem *Josephus Antelmus* Criticas composuit Dissertationes *de Veris Operibus S. Leonis Magni*, *& Prosperi Aquitani*: Novam Disquisitionem *de Symbolo Athanasiano*, quod attribuit *Vincentio Lirinensi*: Dissertationes *de ætate S. Martini*: *de initiis Ecclesiæ Forojuliensis*, & Epistolam *de cultu & patria S. Maximæ*, quæ extat apud *Bollandum* in Actis Sanctorum mensis Maji Tomo 3. pag. 29. *Ludovicus Sebastianus le Nain de Tillemont* scripsit Gallice Historiam Imperatorum, quinque Tomis comprehensam, & Historiam Ecclesiasticam in plures Tomos distributam. *Henricus Valesius*, Antiquitatis Ecclesiasticæ studiosissimus, *Eusebii*, *Socratis*, *Sozomeni*, *Theodoreti*, *Evagrii*, *Philostorgii*, & *Theodori Lectoris* Historiam Ecclesiasticam cum doctissimis Dissertationibus & Notis Græco-Latinam edidit. Excerpta quoque ex Collectaneis *Constantini Porphyrogenitæ* cum Notis Græco-Latina publici juris fecit. Ejus frater, *Andreas Valesius*, Historiam Francorum Gallico idiomate conscripsit, & plura monumenta ad eam attinentia publicavit. *Jo: Baptista Cotelerius*, Sacræ Facultatis Parisiensis Baccalaureus, & linguarum Hebraicæ & Græcæ peritissimus, edidit *Monumenta Græco-Latina SS. Patrum*, *qui temporibus Apostolorum vixerunt*, cum doctissimis Notis: insuper tria Volumina in Folio; *Monumentorum Ecclesiæ Græcæ*: *Quatuor etiam Homilias S. Chrysostomi in Psalmos*, *cum interpretatione ejusdem S. Doctoris in Danielem*, in volumine in quarto. *Ludovicus Gerardus de Cordemoy* scripsit Gallice *Historiam Francorum*, necnon aliquot Opuscula contra Hæreticos Calvinistas. *Godefridus Hermantius* descripsit Gallice Vitas Sanctorum *Athanasii*, *Basilii Magni*, *Ambrosii & Chrysostomi*, & quædam Opuscula, quorum alia jam edita, alia inedita sunt. *Stephanus Baluzius* novam adornavit *Collectionem Conciliorum*: edidit etiam *Concilia Galliæ Narbonensis*: *Vitas Romanorum Pontificum*, *qui Avenione sederunt* cum amplissimis Commentariis & Actorum Veterum Collectione. Composuit præterea Baluzius *Miscellanea*, hoc est, *Collectionem Veterum Monumentorum*. Aliquot posthuma *Petri de Marca*, Archiepiscopi Parisiensis, Opuscula vulgavit; eruditis Notis illustravit *Vincentii Lirinensis*, *Salviani*, *Regnonis*, *Arbardi* Opera, & Capitularia Regum Franciæ, quæ publica luce donavit. His doctissimis Cleri Sæcularis Scriptoribus Gallis quatuor alios duntaxat adjungam, quorum primus erit *Claudius Joli*, qui præter alia Opuscula, edidit *Dissertationem de Verbis Usuardi*, *quæ in Martyrologio Ecclesiæ Parisiensis referuntur in Festo Assumptionis B. M. Virginis*: *& Tractatum Historicum de Scholis Episcopalibus & Ecclesiasticis*. Alter Scriptor, est *Claudius Fleury*, qui Gallice scripsit diversos Tractatus, videlicet *de Delectu & Methodo studiorum*, *de Moribus Israelitarum*, *de Moribus Christianorum*, *& Historiam Ecclesiasticam* in plures Tomos distributam, quorum decimus septimus prodiit anno 1714. Vivit adhuc illustrissimus ille Abbas, ac propediem, votis omnium Virorum eruditorum facturus satis, suam elegantissimam absolvet Historiam Ecclesiasticam. Tertius Scriptor, est *Eusebius Renaudotius*, qui linguarum Orientalium notitia excultus, texuit *Historiam Patriarcharum Alexandrinorum* a *S. Marco* Evangelista, qui fuit primus Sedis Alexandrinæ Episcopus usque ad finem Sæculi XIII. Edidit quoque idem doctissimus Scriptor *Collectionem omnium Liturgiarum Orientalium*, & tribus Tomis *de perpetuitate Fidei Eucharistiæ*, duos alios, quartum videlicet & quintum, summa cum eruditione a se lucubratos, addidit. Vivit etiamnum eruditissimus ille Scriptor, & Ecclesiam, atque Rempublicam Litterariam suis immortali laude Operibus illustrare, ac locupletare pergit. Quartus denique Scriptor, est *Franciscus de Choisy*, qui præter multa, quæ Gallico idiomate edidit, Opera Ascetica; Historiam Ecclesiæ Gallice describere aggressus est, jamque Tomum sextum, complectentem Historiam Sæculi XII. publicavit anno 1713. Alii vero Tomi, quos eruditus ille Historicus prelo fortasse mandavit, nondum ad manus meas pervenerunt. Prætermitto innumeros pene Cleri Sæcularis Scriptores, qui de Theologia Ascetica scripserunt, & in arte concionandi Sæculo XVII. in Galliis excelluerunt, quos inter principem locum obtinere debent *Julius Mascaron*, Episcopus Aginnensis, *Spiritus Flexerius*, Episcopus Nemausiensis, P. *Massillon*, nunc Episcopus Claromontanus; *Claudius Joli*, cujus mox mentionem fecimus, *Nicolaus le Torneux*, & Auctor anonymus *Sermonum Moralium*, qui in plures Tomos sunt distributi. Sed prętermittere non debeo illustrem Scriptorem Gallum, qui in Ritibus Ecclesiasticis versatissimus fuit, *Andream de Saussay*, qui plura edidit Opera, inter quę pręcipua sunt: *Panoplia Clericalis*, seu *de Clericorum tonsura & habitu*: *Martyrologium Gallicanum*: liber *de Mysticis Galliæ Scriptoribus*: & *Continuatio* Cardinalis *Bellarmini* libri *de Scriptoribus Ecclesiasticis &c.*

D. Ut tandem finiamus seriem aliorum Scriptorum Gallorum, necesse est, ut nunc eos proferas Viros illustres, qui nec Clero Sæculari, nec Regulari adscripti, in Litteris, seu Artibus liberalibus, & humanis Disciplinis Sęculo XVII. in Galliis claruerunt.

M. Cum immensa pene sit ejusmodi Gallorum Scriptorum copia; abunde sufficiet hic eorum indicare nomina, & liberales Artes, seu humanas Disciplinas, in quibus illustre sibi pepererunt nomen. In Chronologia, seu Doctrina temporum, primas tenet *Josephus Scaligerus*, filius *Julii Cæsaris Scaligeri*. In Mathematicis Disciplinis parem non habuit *Blasius Pascalius*. In Historia insignes fuerunt *Andreas Duchesnius*, qui edidit quinque Tomos *de Rerum Francicarum Scriptoribus*, publicavit etiam *Rerum Normanicarum*

nicarum

nicarum Scriptores, & Gallico idiomate Historiam Summorum Pontificum a S. Petro usque ad *Innoc.* XI. adornavit. *Carolus Dufresnius D. Ducange* concinnavit *Historiam Byzantinam*, & edidit *Glossarium mediæ & infimæ Latinitatis: Glossarium mediæ & infimæ Græcitatis: Chronicon Paschale cum Notis*. Historiam Francorum scripserunt *Mezeraeus*, *Dupleixius*, *Petrus Matthæus*, *Varillasius*, *Jacobus Augustus Thuanus*, Auctor Historiæ Concilii Trident. necnon Historiæ sui temporis ab an. 1543. usque ad annum 1607. & alii Historici. *Jo. Jacobus Chiffletius* scripsit *de Antiquitatibus Vesontinis*. Sed observare debes, hunc *Jo. Jacobum Chiffletium* tres fratres habuisse, quorum unus *Philippus Chiffletius*, Canonicus Bisuntinus, multa Gallice & Latine edidit Opuscula Ascetica. Alter, seu *Laurentius Chiffletius*, & tertius *Petrus Franciscus Chiffletius*, ambo vitam [illegible] Regularem in Societate Jesu professi, præclara ediderunt Opera, quæ commodius referemus in undecima Classe Virorum illustrium XVII. Sæculi, ubi agemus de Scriptoribus Societ. Jesu. In Jure Canonico, & Civili maximam laudem promeriti sunt *Talonius*, *Hieronymus Bignonius*, *Franciscus le Maitre*, *Olivarius Patru*, *Antonius Arnaldus*, *P. Antonii Arnaldi* Doctoris Sorbonici, *Feuretus*, *Antonius Dadinus Altaserra*, *Franciscus de Roya*, *Jo. Doujatius*, *Franciscus Pinssonius*, *Emericus Bigotius*, *Jo. Dartis*, *Franciscus Florens*, *Nicolaus Rigaltius*, qui etiam edidit Notas in *S. Cyprianum* & *Tertullianum*, & alii bene multi, qui utriusque Juris peritissimi fuerunt. In re Antiquaria, seu Numismatum notitia, unum instar omnium laudabo, *Vallantium*, cujus Vestigia pressit *Ignatius Amat de Graveson*, frater meus germanus, quem, ceu Virum politioris litteraturæ, & cum sacræ, tum prophanæ antiquitatis studiosum R. P. *Bernardus de Monfaucon*, doctissimus Congregationis *S. Mauri* Benedictinus, & solidæ eruditionis æstimator æquissimus, laudat in primo suo Tomo *Antiquitatum* pag. 370. quemque hoc anno millesimo septingentesimo vigesimo primo Civitatis Arelatensis in Galliis, ubi pestis grassatur, Regimini Præfectum, pestilenti lue, quam ab aliis avertere cum incredibili solicitudine, & charitate satagebat, affectum, atque præmatura morte e vivis fuisse sublatum, nuperrime cum acerbissimo animi mei mœrore accepi. In perpolienda lingua Gallica egregiam operam navarunt *Vaugelasius*, *Vetturius*, *Sarrasinus*, *Balsacius*, *Menagius*, *Furetierius*, *Richeletius*, & alii. In Gallicis Traductionibus, seu Versionibus Operum SS. Patrum cum Græcorum, tum Latinorum ceteris palmam præripuit *Arnaldus Andillæus*, frater *Antonii Arnaldi* Doctoris Sorbonici, eique Gallicam Versionem Historiæ *Josephi* Hebræi, *de Antiquitatibus Judaicis*, & *de Bello Judaico* acceptam referre debemus. In Philosophicis Disciplinis nomen suum celebrarunt *Renatus Cartesius*, *Petrus Gassendus*, *Rohaultius*, *Dugomertius*, *Barbæus*, *Purchotius*, *Laurentius Du Han*, & alii complures. De Poetis, de Grammaticis, de Oratoribus, & de Viris illustribus Academiæ Franciæ, qui Sæculo XVII. floruerunt, cum pene innumeri extiterint, in præsentia silebo; hoc unum duntaxat dicam, in Galliis Sæculo XVII. Oratoriæ Artis & Poeseos majestatem pristino nitori restitutam fuisse, humaniores Litteras, musices, ceterarumque liberalium Artium supra omnem ætatem cumulatissimam notitiam viguisse & solertissimum usum: nullum fuisse tam arduum Philosophiæ Axioma, nullum tam abditum Medicinæ theorema, nullum adeo obscurum, qua numeris, qua figuris Matheseos Problema, quod a Scriptoribus Gallis non acute perspectum, subtiliter examinatum, recte tandem & apposite solutum, explicatumve sit, uno verbo, omnes [illegible] singularum doctrinarum Disciplinas & [illegible] monumentis adeo [illegible] & scriptis mo[illegible] facultas, tamque facili exponendi [illegible], & amæno dicendi stylo traditas fuisse, ut in illis pervestigandis, si quis impræsentiarum non profecerit, ingenium illi, non librorum copiam, & omnigenæ eruditionis apparatum defuisse pensandum sit. Mirari autem non debes, quod in serie illustrium Scriptorum qui Sæculo Ecclesiæ XVII. in Galliis floruerunt, quosdam non constituerim ejusdem Sæculi Scriptores Gallos, videlicet *Philippum Mornæum Plessæum*, *Isaacum Casaubonum*, *Samuelem Bochartum*, *Joannem Clericum*, *Samuelem Basnagium*, *Claudium Salmasium*, *Davidem Blondellum*, *Joannem Dallæum*, *Albertinum*, *Larroquium*, *Petrum Alixium*, & alios ejusdem farinæ Scriptores, qui, licet apud Hæreticos Calvinistas magni nominis sint, nullum tamen in Catalogo illustrium & Ecclesiasticorum Scriptorum locum habere debent, quantacumque Sæculari erudirione & linguarum notiria præditi fuerint. Habes itaque seriem præcipuorum Scriptorum, qui nec Monasticam nec Regularem Vitam professi Sæculo XVII. Galliam illustrarunt, de quibus si plura scire desideres, legesis *Supplementum*, quod nuperrime adjectum est ad Dictionarium Historicum a *Ludovico Morerio* Sæculi XVII. Scriptore Gallo, editum, & elegantissimam Academiæ Franciæ Historiam, quam scripsit *Paulus Pellisson Fontanier*, ejusdem Sæculi Scriptor Gallus; qui ejurata Calviniana Hæresi, qua erat antea infectus, eam doctissimis Scriptis debellavit, obiitque die VII. mensis Febr. anni MDCXCIII.

D. Ex hac Gallorum Sæculi XVII. Scriptorum, quos hactenus laudasti, immensa pene copia facile intelligo, meliorum Litterarum, præsertim Sacræ & Ecclesiasticæ Antiquitatis, studium fausto successu in Galliis floruisse, remque litterariam, novo adjecto splendore, ad summum honoris fastigium pervenisse. At cum certus sim, hunc Litterarum progressum non se Galliarum finibus cohibuisse, & Rempublicam Litterariam in aliis nationibus eodem Sæculo decimo septimo, depulsis ignorantiæ tenebris, maximum decus, pristinamque majestatem suam postliminio recuperasse, gratissimum mihi esset, si in ista secunda Virorum Illustrium Classe eos percenseres Scriptores Italos, qui nec Statui Monastico, nec Regulari addicti, plus ornamenti & lucis divinis & humanis Disciplinis contulerunt;

lerunt ; de aliis vero Scriptoribus Italis, qui eodem Sæculo Vitam vel Monasticam, vel Regularem amplexi, doctrina & pietate ceteris antesteterunt, opportunius dicturus in aliis eruditorum Virorum Classibus, in quas illos, majoris claritatis causa, ordinate dispofuisti.

M. Italiam Sæculo XVII. doctrina & pietate illustrarunt Cardinales *Robertus Bellarminus*, *Vincentius Maculanus*, *Joannes Bona*, *Henricus Norisius*, *Laurentius Brancatus de Laurea*, *Josephus Maria Thomasius*, *Raymundus Capisuccus*, *Vincentius Maria Ferrari*, *Vincentius Maria Ursinus*, *Franciscus Maria Cassini*, & alii, qui tamen Monasticam, vel Regularem Vitam cum professi fuerint, locum in hac secunda Virorum eruditorum Classe habere non debent, sed eos suo loco, idest in sequentibus Illustrium Scriptorum Monachorum, vel Regularium Classibus commodius referemus. Celebriores igitur duntaxat proferam hic Scriptores, qui nec Statui Monastico nec Regulari addicti, magnum in Italia Sæculo XVII. Litteris splendorem conciliarunt, & ab his auspicabor, qui Antiquitatem Ecclesiasticam perdoctis suis lucubrationibus illustrandam susceperunt, quales sunt *Petrus Marcellinus Corradinus*, *Joannes Ciampinus*, *Franciscus Maria Florentinus*, *Ludovicus Antonius Muratorius*, *Laurentius Alexander Zacagnius*, *Franciscus Bianchinus*, & *Justus Fontaninus*, quorum Opera indicare sat superque sufficiet. In primis, *Petrus Marcellinus Corradinus*, (quem primum, honoris causa, nomino, utpote a *Clemente XI.* Pontifice Maximo paucis abhinc annis in Cardinalium Collegium, ob singularem Antiquitatis Ecclesiasticæ, & utriusque Juris peritiam, cooptatum) scripsit librum *de Jure Prælationis* : Librum *De Civitate & Ecclesia Setina* : & *Vetus Latium sacrum & prophanum*. Huic doctissimo Cardinali, qui Romæ adhuc vivit, nestoreos precor annos. *Joannes Ciampinus* Apostolicorum Brevium Magister, edidit *Conjecturas de perpetuo Azymorum usu in Ecclesia Latina vel saltem Romana* : *Vetera Monumenta in quibus Musiva Opera illustrantur* : *Synopsim Historicam de Sacris Ædificiis Constantini Magni cum Figuris* : *Dissertationem Historicam de Abbreviatorum* Pontificum Diplomatum, qui vulgo dicebantur *de parco majori dignitate & privilegiis* : *Examen libri Pontificalis* : *Catalogum Bibliothecariorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ* : & *Epistolam Pii II. Pontificis Maximi ad Carolum VII. Regem Franciæ, ab Hæreticis depravatam, & a Launojana calumnia vindicatam*. Franciscus Maria Florentinus vulgavit *Vetustius Ecclesiæ Occidentalis Martyrologium Notis & Exercitationibus explicatum*. Scripsit etiam *Disquisitionem de antiquo usu fermentati panis & Azymi* : *Etruscæ pietatis Origines, sive de prima Tusciæ Christianitate*. Ludovicus Antonius Muratorius, Doctor Collegii Ambrosiani, publicavit *Anecdota ex Ambrosianæ Bibliothecæ Codicibus primum eruta, Notis & Disquisitionibus aucta, & duobus Tomis comprehensa*. Laurentius Alexander Zacagnius, Bibliothecæ Vaticanæ Custos, publici Juris fecit *Collectanea Monumentorum Veterum Ecclesiæ Græcæ ac Latinæ, quæ hactenus in Bibliotheca Vaticana delituerant*. *Franciscus Bianchinus*, qui *Jacobo* III. Angliæ Regi, ejusque lectissimæ Conjugi *Mariæ Clementinæ*, & Viris omnibus eruditis charissimus Romæ etiamnum vivit, multa singularis suæ eruditionis specimina dedit, præsertim *Solutionem Problematis Paschalis* : *Epistolam de Lapide Antiati* : texuit quoque Italico idiomate *Historiam Universalem*, probatam monumentis, figuris & simbolis antiquis. *Justus Fontaninus*, quem, ob præclara in Sedem Apostolicam promerita, *Clemens* XI. Pontifex Maximus, paucis abhinc annis inter suos Cubicularios ab honore adlegerat, vivit adhuc Romæ, toti Reipublicæ Litterariæ notissimus. Scripsit *Vindicias antiquorum Diplomatum contra Bartholomæum Germonium* : librum *de Antiquitatibus Hortæ Coloniæ Etruscorum* : Dissertatiunculam *de Codice Veneto Evangelii S. Marci* : librum *de Corona ferrea*, & alia Opera Italico idiomate, quibus Jura & dominium Sedis Apostolicæ magno animi æstu asserit, vindicat ac tutatur. His septem Clarissimis Scriptoribus Italis, qui illustrandæ Antiquitati Ecclesiasticæ egregiam operam navarunt, quinque alios, Antiquitatis itidem Ecclesiasticæ cultores eximios, adjungam, qui licet Itali non fuerint, in Italia tamen suam Sedem fixerunt, ibique doctissimis editis Operibus magna nominis sui in Orbe Litterario celebritate claruerunt. Hi autem sunt *Petrus Arcudius*, *Lucas Holstenius*, *Leo Allatius*, *Emmanuel Schelstratus*, & *Abrahamus Ecchellensis*, quorum Opera breviter referemus. *Petrus Arcudius*, Græcus Insulæ Corcyræ, vulgo dictæ *Corfu*, Romæ in Collegio Græcorum Philosophiæ & Theologiæ operam dedit, Ecclesiæ Latinæ Doctrinæ ac ritibus addictissimus perdocta scripsit Opera pro ejusdem Ecclesiæ Latinæ dogmatum defensione, præsertim duos Tractatus *de Purgatorio adversus Barlaam*, videlicet *utrum detur Purgatorium, & an illud sit per ignem?* insuper, *Opuscula aurea Theologica circa processionem Spiritus Sancti* : *Latinam Interpretationem Menologii Græcorum* : & utilissimum librum, cui Titulus est : *Concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis*, ubi invictis momentis probat & adstruit, summam esse utriusque Ecclesiæ, Latinæ, & Græcæ, in septem Sacramentorum administratione consensionem ; recentiores Græcos Schismaticos nihil circa septem Sacramentorum Doctrinam, seu circa eorum essentiam, numerum, virtutem & efficaciam immutasse ; Græcorum ritus in Sacramentorum administratione ab Ecclesia Latina tolerari ; ac denique Doctrinam, quam de Sacramentis invexerunt moderni Hæretici, & modum, quem in eorum administratione observant, longe lateque a perpetua utriusque Ecclesiæ, Latinæ & Græcæ, Doctrina & praxi discrepare. *Lucas Holstenius*, patria Hamburgensis, & Vaticanæ Bibliothecæ Custos, aliquot Scriptorum Græcorum Opera latine reddidit, plura etiam reliquit ingenii sui egregia monumenta, inter quæ eminent *Codex Regularum collectus a S.*

a S. Benedicto Anianensi : Opuscula Parænetica Sanctorum Patrum : Dissertationes tres de locis quibusdam Concilii Niceni, de Synesio & de fuga Episcopatus : Correctiones Anastasii Bibliothecarii : Collectio Bipartita Canonum, Conciliorum, Epistolarum Romanorum Pontificum, & aliorum veterum Monumentorum Ecclesiasticorum : Duplex Dissertatio de Sacramento Confirmationis apud Græcos. Extant etiam plures *Lucæ Holstenii* doctissimæ Epistolæ in Collectione Epistolarum, quas una cum Vita *P. Joannis Morini* publicavit *Richardus Simonius* sub titulo *Antiquitatum Ecclesiæ Orientalis*. Vaticanæ Bibliothecæ Custos itidem fuit *Leo Allatius*, Græcus Insulæ Chios, qui Romam, natus annos tantum novem, perductus, & in Græcorum Collegio educatus, tantos in Litterarum studio progressus fecit, ut Antiquitatis Sacræ, Ecclesiasticæ, & prophanæ peritissimus evaserit. Complura Scriptorum Græcorum Opera Græce & Latine edidit *Leo Allatius*, sed præcipue *Eustathii*, Patriarchæ Antiocheni, *Commentarium in Hexameron*, cui Notas uberiores, & Collectanea addidit, nec non ejusdem *Eustathii* Dissertationem *de Engastrimytho*, seu de *Pythonissa*, quam consuluit *Saul*, Græce & Latine vulgavit cum eruditissimo ejusdem argumenti Syntagmate. Scripsit etiam idem *Leo Allatius* libros tres *de perpetua Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ consensione: Dissertationes duas de Libris Ecclesiasticis Græcorum : Diatribam de Simeonibus, & eorum Scriptis : Alteram Diatribam de Georgiis, & eorum Scriptis : Tertiam Diatribam de Psellis, & eorum Scriptis : Quartam Diatribam de Nilis, eorumque Scriptis*. Tomos duos *Græciæ Orthodoxæ*. Librum *de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis consensione in dogmate de Purgatorio*. Librum *in quo Hottingerum fraudis & imposturæ convincit*. Librum *de Octava Synodo Photiana*. Librum cui titulus est, *Apes Urbanæ*, seu *de Viris illustribus : Symmicta*, sive *Opuscula Græco-Latina*. Sacræ & Ecclesiasticæ Antiquitatis studiosissimus itidem fuit *Emmanuel Schelstratus*, natione Belga, patria Antuerpiensis, & Vaticanæ Bibliothecæ Custos, ac plura lucubravit Opera, inter quæ præcipua habentur : *Antiquitas Ecclesiæ illustrata Dissertationibus, Monumentis, & Notis : Acta Constantiensis Concilii cum Dissertatione : Tractatus de sensu & Auctoritate Decretor. Sess. IV. & V. Concil. Constantiensis circa potestatem Ecclesiasticam : Liber de Disciplina Arcani : Tractatus de Authoritate Patriarchali & Metropolitana : Ecclesia Africana sub Primate Carthaginensi : Sacrum Antiochenum Concilium cum Commentario*. Duos etiam Tractatus imperfectos reliquit *Emmanuel Schelstratus*, unum *de Basilica Vaticana*, alterum, cui titulus est : *Modus dignoscendi ex forma Characterum, sive Græcorum, sive Latinorum, Scripturæ Vetustatem*. Floruit etiam Romæ *Abrahamus Ecchellensis*, natione Maronita, Sacræ Antiquitatis, & Linguarum Orientalium peritissimus, qui varia edidit Opera, quorum præcipua hæc sunt : *Concordia Nationum Christianarum in Fidei Catholicæ dogmatibus : Chronicon Orientale Latinitate donatum : Latina interpretatio Canonum Nicænorum ex Versione Arabica cum Notis : Catalogus Hebed Jesu Librorum Chaldæorum Notis illustratus*. Inter Jurisperitos Italiæ principem locum tenere debet *Prosper Fagnanus*, Juris Canonici in Academia Romana insignis Sæculo XVII. Professor, qui, inter cæcitatis incommoda perspicacissimo præditus ingenio, absolutissima in quinque *Libros Decretalium Commentaria* emisit in lucem, quibus recepta in Italia Jura, sive Jus Commune Canonicum, erudire ac subtiliter exposuit. *Fagnano* adjungendus est *Augustinus Barbosa*, Juris utriusque Doctor, qui, licet natione Lusitanus esset, in Italia tamen floruit, & Episcopus fuit Ugentinus in Regni Neapolitani Provincia Hydruntina. Complura de utroque Jure ingentia Volumina scripsit *Augustinus Barbosa*, quorum præcipua sunt : *Juris Ecclesiastici universi libri tres*, in quibus de personis, de locis, & de rebus Ecclesiasticis plenissime agit : *Tractatus de Officio & potestate Episcopi : de Canonicis & Dignitatibus : de officio & potestate Parochi*; & præterea *Collectanea Doctorum in Jus Canonicum*, quod quidem Opus plurimorum Interpretum in Decretales *Gregorii* IX. in *Sextum*, aliasque Collectiones, atque in *decretum Gratiani* Annotationes complectitur. Edidit etiam *Augustinus Barbosa Collectanea* in Concilium Tridentinum. Jurisprudentiæ etiam peritissimus fuit *Joannes Paulus Lancellotus*, qui edidit *Institutiones Juris Canonici* cum doctissimis Notis. Quod spectat alios Scriptores, qui Sæculo XVII. sive in Historia prophana, sive in Arte Poetica, sive in notitia Legum Civilium, sive in humanioribus Litteris, & aliis Disciplinis in Italia præfulserunt, si de his in præsentia singulatim mentionem facere vellem, finem dicendi nunquam facerem. Ne tamen illos omnes prætermittere videar, aliquos ex his seligam, quorum Opera vel ipse legi, vel saltem certam de illis notitiam habere possum. In primis, *Octavius Ferrarius* Mediolanensis libros septem *de Re Vestiaria* scripsit, & Dissertationem *de Veterum Lucernis Sepulcralibus*. *Franciscus Ferrarius*, Mediolanensis, libros edidit *de antiquo Ecclesiasticarum Epistolarum genere*, & *de Ritu Sacrarum Ecclesiæ Concionum*. *Philippus Ferrarius*, Mediolanensis, texuit *Catalogum Sanctorum Italiæ*, & *Catalogum Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt*. *Josephus Vicecomes*, Italice *Visconti*, Mediolanensis, plures lucubravit libros *de antiquis Cæremoniis Sacramentorum Baptismi, Confirmationis, & de Ritibus Missæ*. *Franciscus Collius*, unus e Doctoribus Collegii Ambrosiani, Mediolanensis, Opus edidit de salute, aut damnatione plurium illustriorum Virorum, cui titulum fecit : *De Animabus Paganorum*. *Laurentius Pignorius*, Patavinus, totius Antiquitatis indagator acerrimus, & in Veterum Numismatibus interpretandis oculatissimus, varia Latine, & Italice scripsit Opera, inter quæ pluris æstimantur hæc duo Latine exarata, unum videlicet, cui titulus est : *Mensa Asiaca*; & alterum *de Servis, eorumque apud Veteres ministeriis*.

In describenda Siculæ Gentis Historia celebres fuerunt duo Scriptores Siculi, quorum primus, est *Roccbus Pirrus*, qui Typis mandavit *Chronologiam Regum, penes quos Siciliæ Imperium fuit post exactos Saracenos, & Siciliam Sacram Disquisitionibus, & Notis illustratam*, & quatuor libris comprehensam, in quibus dat notitiam omnium Episcopatuum Siciliæ, tam illorum, qui perierunt, quam eorum, qui adhuc florent; omnium Abbatiarum, Prioratuum &c. Hujus Auctoris Siculi meminerunt *Ughellus in Italia Sacra* Tom. 2. *pag.* 1044. & alii, quos profert in sua *Bibliotheca Sicula Antonius Mongitore*. Alter Scriptor Siculus, est *Augustinus Inveges*, qui Annales Urbis Panormitanæ in tres partes destributos emisit in lucem, & alia sive edita, sive adhuc inedita scripsit Opera, ut videre est in *Bibliotheca Sicula*. Hujus Scriptoris Siculi mentionem facit *Philippus Labbæus in Bibliotheca Nummaria* pag. 1. Cumulatissimam Linguæ Græcæ, ac rei Antiquariæ notitiam adeptus est *Leonardus Adamus*, Wolfinensis, ediditque librum *de Arcadia Veteri*, ac multa Græco-Latina reliquit Opera adhuc inedita, prematura morte, magno Reipublicæ Litterariæ damno, annum ætatis suæ agens XXVIII. nuperrime e vivis Romæ sublatus. Magnum quoque Linguarum, & rei Antiquariæ peritia sibi in Italia nomen pepererunt tres alii Scriptores, quorum primus, est *Philippus a Turre*, Episcopus Adriensis, qui edidit *Monumenta Veteris Antii*: *Dissertationem de Deo Balono*, & *aliis Diis Aquilejensibus*: *Dissertationem de Colonia Forojuliensi &c.* Alter Scriptor, est *Joannes Vignolius*, Bibliothecæ Vaticanæ Custos, Romæ adhuc vivens; qui publicavit *Antiquiores Pontificum Romanorum Denarios Notis illustratos*. Scripsit etiam *epistolam ad Antonium Gallandum de Nummo Imperatoris Pii*, & duplicem Dissertationem *de Anno primo Imperii Alexandri Augusti*. Tertius Scriptor, est *Blasius Garofalo*, qui Romæ etiamnum vivit, & Auctor est *Observationum in Artem Poeseos Hebræorum & Græcorum*, quas repurgavit & castigavit; aliasque Miscellaneas edidit Dissertationes doctissimas. Illustrium Sæculi XVII. Italiæ Virorum Classi non accensebo duos Scriptores Florentinos, quorum primus est *Hieronymus Vecchieti*, qui, licet Mathematicis Disciplinis, Linguarum notitia instructus, & Chronologiæ peritissimus esset, Opus tamen composuit Chronologicum, cui titulus: *de Anno Primitivo*, a Creatione Mundi usque ad annum primum Julianum in octo libros distributum, in quo novas, & peregrinas opiniones docet, asseritque, Christum Dominum Pascha an. quo mortuus est, celebrasse Luna decima tertia in secundis Vesperis, ac subinde illum in institutione Sacrosanctæ Eucharistiæ non pane Azymo, sed fermentato usum fuisse. Quo factum est, ut ejus Opus flammis fuerit addictum, ipse vero in carceres S. Officii conjectus sit, ubi diem extremum obiit. Alter Scriptor Florentinus est *Galilæus Galilæi*, qui Patavii Disciplinas Mathematicas docuit, conditque librum sub titulo *Nuncii Siderei*, & *Dialogum de Systemate Mundi*, in quo *Nicolai Copernici Scriptoris Sæculi XVI.* sententiam de Terræ circa Solem nullo agitatum motu conversione propugnans, a Quæsitoribus Fidei Romam evocatus, palinodiam publice canere jussus est. Hos inquam, duos Scriptores Florentinos in Catalogum illustrium Italiæ virorum non referam, sed prætermittere non possum celebrem, qui Florentiæ claruit, *Antonium Magliabechum*, eo in promovendis litteris ardore succensum, ut de omnium gentium Litteratis Viris bene mereri summopere studeret, ea præditum sagacitate, nihil ut ipsum lateret, ea memoria pollentem, ut libros omnes haberet in numerato, vereque appellari posset Musæum inambulans, & viva quædam Bibliotheca. Hi sunt præcipui Italiæ Scriptores, qui nec Statui Monastico, nec Regulari addicti, doctrina & pietate litteris floruerunt. Sed ingratus jure optimo audirem, si inter illustres Italiæ Viros locum non darem Eminentissimo Cardinali *Hieronymo Casanate*, qui dum vixit, omnium Litteratorum fuit Mœcenas munificentissimus, & Scholæ Thomisticæ splendidissimum decus & ornamentum. Hujus in Scholam *S. Thomæ* propensissimæ voluntatis, & effusissimæ in feros usque scientiarum studiosos nepotes munificentiæ perenne monumentum relinquere volens pius ille juxta ac litteratus Cardinalis, publicam & amplissimam Romæ in Conventu Minervitano Ordinis Prædicatorum Bibliothecam selectissimis & innumeris, quæque in dies irrequieto pene sumptu adjiciuntur, Voluminibus, in omni prorsus artium ac scientiarum genere refertissimam excitavit. Collegium insuper instituit sex Theologorum ejusdem Ordinis Prædicatorum, qui gradibus in celebrioribus Orbis Academiis insigniti, & ex omnibus Regnis, Italia, Gallia, Germania, Hispania, Anglia, ac Belgio delecti, in asserendis Fidei Catholicæ contra Hæreticos Dogmatibus, & in vindicanda Christianæ Moralis puritate ab invecta morum corruptela indefessis vigiliis atque lucubrationibus occuparentur. Postremo, duas itidem Romæ fundavit Cathedras, quibus duos ejusdem Ordinis Prædicatorum præfici voluit doctissimos Professores, eisque hanc legem indixit, ut uni *S. Thomæ* Summæ Theologicæ textui perlegendo, & explanando incumberent, quod probe sciret, ac sæpius dicere soleret doctissimus ille Cardinalis: *Felicem Orbem fore, si una S. Thomæ doctrina ubique obtineret, unus in Scholis & Academiis Thomas Doctor audiretur, consuleretur in dubiis*: *Nullæ essent*, inquiebat, *in Orbe hæreses, nulla in morali mollis & geniis accommodata, quæ conscientias hominum regit, relaxatio; nulla in Mystica Theologia, quæ sanctitati viam sternit, exerratio, aut illusio; sed ubique in Scholis vetusta Patrum regnaret Theologia; cujus beneficio facile reprimi possent errores ac novitates, quibus oppugnari Fidem ac Religionem Catholicam nonnunquam afflicta ingemiscit Ecclesia*. Plura de Eminentissimo Cardinali *Hieronymo Casanate*, immortali laude digno, & cujus memoria toti Prædicatorum Ordini semper in benedictione erit, impræsentiarum dicerem, si ulterius progredi nostro-

aestrorum Colloquiorum brevitas permitteret; illius itaque elogium paucis hisce verbis, quæ lib. 2. Machabæorum cap. 2. v. 13. leguntur absolvam: *Construens Bibliothecam, congregavit de regionibus libros.*

D. In hac tertia Virorum Illustrium classe locum habere debent Scriptores, qui in Germania, Belgio, & Batavia celebriores fuerunt, quique nec Monasticam, nec Regularem vitam professi, magnum præclaris editis Operibus Reipublicæ Litterariæ splendorem contulerunt. Age ergo, de illis breviter nunc disseramus, & præcipua, quæ publicam in lucem emiserunt, Opera percense.

M. Vitas Theologorum, Jure-Consultorum, Politicorum, Medicorum, atque Philosophorum, qui Sæculo XVI. & ineunte Sæculo XVII. in Germania litteras coluerunt, aut aliquas lucubrationes ediderunt, lato calamo duobus Tomis in folio descripsit hæreticus Auctor *Melchior Adamus* Silesius, qui ut Hæreticorum sectis aliquem splendorem conciliaret, eos Scriptores Germaniæ, potissimum Theologos hæreticos, laudandos suscepit, quorum Opera a capite ad calcem erroribus & contumeliis adversus Ecclesiam Romanam scatent, quæ subinde in fasciculum colligenda ipse censeo, ut flammis ultricibus addicantur, alia certe luce prorsus indigna. De his ergo Germaniæ Scriptoribus omnino in præsentia silebo, & aliquos duntaxat Germaniæ hæc indicabo Auctores Historicos, Antiquarios, Matheseos peritos, & Philologos, quorum Opera addiscendis atque illustrandis Disciplinis humanis novum aliquod subsidium suppeditare possunt. Agmen illorum Germaniæ Scriptorum ducet *Petrus Lambecius*, nepos *Lucæ Holstenii*, Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti, cujus superius meminimus, qui edidit *Prodromum Historiæ Litterariæ*: Octo Tomos in folio *Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea*, & alia erudita Opera. *Marquardus Freherus* publica luce donavit *Germanicarum*, *& Bohemicarum rerum Scriptores varios*, & multa alia Opera. *Melchior Goldastus* publicavit *Statuta & Rescripta Imperialia*: *Collectionem Constitutionum Imperialium*: *Collectionem Consuetudinum, & Legum Imperialium*, & alia id genus ad idem argumentum spectantia Opera. *Philippus Cluverius* vulgavit *Italiam antiquam; Sardiniam; Corsicam; Germaniam antiquam*; *& Introductionem ad Geographiam*. Fertur, illum denis magna cum facilitate Linguis fuisse locutum, videlicet Græca, Latina, Germanica, Gallica, Anglica, Hollandica, Hungarica, Polonica, Bohemica, & Italica. Excelluit in re Antiquaria *Ezechiel Spanhemius*, qui, præter alia Opera, edidit librum *de præstantia & usu Numismatum*. Græcarum ac Latinarum artium cognitione excultissimus fuit *Gaspar Barthius*, qui concinnavit Opus *Adversariorum* in sexaginta libros divisum: Commentaria in *Claudianum*, *Statium*, *Papinium*, *Gulielmum*, *Britonem*, *Mamertum*, & alios Auctores. De rebus Grammaticis scripsit *Gaspar Scioppius*, qui tamen ingenii maligni, & oris maledicentissimi, *Zoilo* quovis cum esset mordacior, & Grammaticorum nemini parceret, merito *Canis Grammaticus* appellatur. *Fridericus Spanhemius* scripsit *Dubia Evangelica* duobus Tomis comprehensa, & alia Opera. Prætermittere non debeo duos recentiores ejusdem cognominis Germaniæ Scriptores, quorum unus, *Joannes* scilicet *Wolfius*, Bibliothecam Hebræam anno MDCCXV. Typis mandavit. Alter, seu *Christianus Wolfius*, *Elementa Matheseos universæ*, anno MDCCXVII. publici juris fecit. Claruerunt denique in Germania Sæculo XVII. *Joannes Fridericus Gronovius*, qui multa scripsit, sed præsertim plurimos Classicos Auctores recensuit, emendavitque, ut *Plautum*, *Sallustium*, *Senecam*, *Plinium*, *Quintilianum*, *Agelium* &c. *Marcus Velserus*, qui octo libros edidit *Rerum Augustanarum*, libros quinque *Rerum Boicarum*, *& antiquas Inscriptiones* in tres partes tributas Notis illustravit. *Joannes Buxtorfius*, qui in litteris Hebraicis, & in Rabbinicis atque Talmudicis traditionibus exercitatus condidit *Lexicon Hebraicum*, *Chaldaicum*, *Talmudicum*, *Rabbinicum*: *Grammaticam Chaldaico-Syriacam*, *Synagogam Judaicam*, & alia Opera, quæ ejus eximiam in Hebraica litteratura peritiam produnt. Denique *Jo: Albertus Fabricius*, qui vulgavit *Bibliothecam Græcam*, seu notitiam Scriptorum Græcorum, octo Tomis comprehensam: item *Bibliothecam Latinam*, seu notitiam Scriptorum Latinorum: & *Bibliographiam Antiquariam*, seu Introductionem ad notitiam Scriptorum, qui antiquitates Hebraicas, Græcas & Romanas Scriptis illustrarunt. His Sæculi XVII. Germaniæ Scriptoribus, quosdam Belgii & Bataviæ Theologos, aut Philologos Scriptores adjungere necesse est, quo plenam Operum, quæ ea ætate prodierunt, quæque aliquam Reipublicæ Litterariæ utilitatem afferre possunt, notitiam consequi valeas. In Belgio quinque illustres Theologi Sæculo XVII. floruerunt, videlicet *Franciscus Sylvius*, *Joannes Opstraet*, *Gummarus Huygens*, *Martinus Steyaert*, & *Zegerus Bernardus Van-espen*, quorum præcipua Opera hic breviter indicabimus. *Franciscus Sylvius*, Academiæ Duacensis celeberrimus Professor, egregios adornavit Commentarios in summam tripartitam Sancti *Thomæ*, & alia lucubravit doctissima Opera. *Joannes Opstraet*, Facultatis Lovaniensis Doctor, edidit *Institutiones Theologicas ad Tyrones*: *Discussionem Theologicam de Conversione peccatoris*, *Clericum Belgam*, & alia Opera Theologica. *Gummarus Huygens*, Facultatis Lovaniensis Doctor, Typis mandavit, *Conferentias Theologicas*: *Observationes de Sanctissima Trinitate, de Angelis, & de Homine integro & lapso*: *Observationes de Verbo Incarnato*: *De Sacrificio Missæ*: *De Sacramentis Pœnitentiæ, extremæ Unctionis, & Ordinis*: *Observationes de Contractibus*: *Methodum retinendi & dimittendi peccata*: *Compendium Theologiæ*, & alia Opera Theologica, in quibus doctrinæ Sanctorum *Augustini*, *& Thomæ* de gratia se ipsa efficaci, & de Prædestinatione gratuita, necnon sanioris Doctrinæ Moralis principiis se addictissimum

profitetur: *Martinus Steyertus* concinnavit *Aphorismos Theologiæ Practicæ*, & alia vulgavit Opera Theologica, habuitque litterariam concertationem cum *Antonio Arnaldo*, Doctore Sorbonico, ut videre est eo in libro Gallice edito, cui titulus est: *Difficultates propositæ Martino Steyaerto*. Ultimus, seu *Zegerus Bernardus Van-espen*, in Universitate Lovaniensi utriusque Juris Doctor, Opera a se edita Bruxellis anno MDCC. tribus Tomis in folio comprehensa publicavit, quorum duo priores complectuntur Opus inscriptum, *Jus Ecclesiasticum Universum*; tertius vero Tomus continet multa ac perdocta Opuscula, in quibus clarissimus ille Scriptor in Sacris Litteris & in doctrina Sanctorum Patrum, in Sacrorum Canonum, & totius Antiquitatis ac Disciplinæ Ecclesiasticæ notitia, atque in lectione Operum cum antiquorum, tum modernorum Auctorum, quorum testimoniis passim sua Opera respergit, versatissimum se probat. Plura tamen hujus Auctoris Opera fuerunt Romæ proscripta. Præter hos illustres Theologos, habuit etiam Belgium Sæculo XVII. peritos Philologos Scriptores, præsertim *Aubertum Miræum*, *Gerardum Joannem Vossium*, *Isaacum Vossium*, *Gruterum*, & *Heinsium*, quos hic silentio prætermittere haud debemus. *Aubertus Miræus*, Decanus Ecclesiæ Beatæ Mariæ Antuerpiensis, Vir eruditus ac celebris, complura edidit Opera, inter quæ censentur liber *De Collegiis Canonicorum*: *Notitia Ecclesiarum Belgii*: *Notitia Episcoporum Orbis Christiani*: *Chronicon rerum Belgicarum*: *Chronicon Cisterciense*: *Chronicon Præmonstratense*: *Origines Benedictinæ*: *Origines Monasticæ*: *Elogia illustrium Belgii Scriptorum*: *Bibliotheca Ecclesiastica cum Auctariis, & Scholiis*: *Origines Equestrium Ordinum*, & alia id genus Opera Historiæ Ecclesiasticæ illustrandæ utilissima. *Gerardus Joannes Vossius* scripsit *de Historicis Græcis*: *de Historicis Latinis*: & *de Poetis Græcis ac Latinis*: *de Historia Pelagiana* &c. Hujus Scriptoris frater Germanus *Isaacus Vossius* edidit *Dissertationem de LXX. Interpretibus*, & alia cum Grammatica, tum Critica Opera. *Janus Gruterus* protulit in lucem *Lampadem*, sive *Thesaurum Criticum*, hoc est, Scriptores Criticos Tomis sex distinctos: *Chronicon Chronicorum*: *Inscriptionum Veterum Orbis Romani* ingens vastumque Volumen, & alia Opera Philologica, varia Poemata, & Notas Criticas in *Senecæ* Philosophi Opera omnia, in *Senecæ* Tragœdias, in *Statii Papinii* Poemata, in *Martialis* Epigrammata, in *Sallustium*, in *Livium*, in *Tacitum*, in *Vellejum Paterculum*, in *Florum*, in *Plinii* Epistolas, in *Panegyristas* Veteres, in *Historiæ Augustanæ* Scriptores, in *Plautum*, & in quosdam alios Scriptores prophanos. Denique, *Daniel Heinsius*, Linguarum Græcæ & Latinæ peritus, varii argumenti condidit Poemata, in quibus nihil humile, aut jejunum, omnia tersa, solida, & sonora. Edidit etiam multa Opera Philologica, quæ limam sapiunt politiorem, & quorum Catalogum texuit *Andreas Valerius* in Bibliotheca Belgica, quam, si de Belgii Scriptoribus plura scire desideres, consulere poteris, sicut & *Bibliothecam manuscriptam Belgii*, quam edidit *Antonius Sanderus*. Quod vero nunc spectat Scriptores Philologos, qui in Batavia Lucubrationes vulgarunt, quæ aliquam Reipublicæ Litterariæ utilitatem afferre possunt, quinque duntaxat hic referam, videlicet *Jacobum Gronovium*, *Joannem Georgium Grævium*, *Hugonem Grotium*, *Joannem Henricum Hottingerum*, & *Samuelem Pitiscum*; quorum primus, seu *Jacobus Gronovius*, adornavit *Thesaurum Græcarum Antiquitatum*, qui tredecim Tomos in folio complectitur. Scripsit etiam idem Auctor Dissertationem *de Origine Romuli*, & alia varia erudita Opuscula. Alter, seu *Joannes Georgius Grævius*, publica luce donavit *Thesaurum Antiquitatum Romanarum*, in duodecim Tomos in folio tributum: *Thesaurum Antiquitatum & Historiarum Italiæ*: *Syntagma variarum Dissertationum rariorum, quas Viri doctissimi elucubrarunt*, & plura alia illustrandæ Historiæ prophanæ utilissima Opera. Tertius, seu *Hugo Grotius*, egregium librum scripsit *de Veritate Religionis Christianæ*: *Annales & Historias de Rebus Belgicis*: *Historiam Gothorum, Vandalorum, & Longobardorum*: Dissertationem *de Origine Gentium Americanarum*: *Commentarium in omnes Veteris, & Novi Testamenti libros*, & alia Opera, quæ simul collecta prodierunt Amstelodami in sex Tomos in folio distributa. Quartus Scriptor Batavus, seu *Joannes Henricus Hottingerus*, condidit *Thesaurum Philologicum*: *Historiam Orientalem*: *Dissertationes Miscellaneas*: *Bibliothecam Orientalem*: *Historiam Ecclesiasticam*, & alia Opera. Quintus Scriptor Batavus *Samuel Pitiscus* publicavit nuperrime seu an. 1713. *Lexicon Antiquitatum Romanarum* duobus Tomis immensæ molis in folio comprehensum, in quo ritus, & antiquitates, cum Græcis communes, tum Romanis peculiares, sacras, prophanas, publicas, & privatas, civiles, & militares ordine alphabetico exponit. Prætermitto ne longior sim alios Scriptores Philologos, *Paulum Bauldri*, qui edidit *Lactantii* librum *de mortibus Persecutorum* cum omnium Notis, *Joannem Vorstium*, qui Notas scripsit in Opera *Sulpitii Severi*, hancque virorum Germaniæ, Belgii, & Bataviæ, Litteratorum Classem claudent tres Scriptores, *Christophorus* videlicet *Browerus*, qui collegit, typisque mandavit *Vitas Sanctorum illustrium Germaniæ*, *Christianus Urstisius*, qui *Rerum Germanicarum Scriptores* publicam in lucem produxit, & *Joannes Neercassel*, Catholicorum in Batavia Episcopus Castoriensis, qui Latine tres Tractatus edidit, unum *de lectione Scripturæ Sacræ*: Alterum, qui inscribitur, *Amor Pœnitens*: Tertium, *de cultu qui debetur Deo, & Beatæ Mariæ Virgini*.

D. Optandum sane esset, ut Germaniæ ac Bataviæ gens, quæ olim, ante exortos modernorum Hæreticorum errores, eruditione, bonarumque omnium disciplinarum studiis inclyta apud omnes Catholicos bene audiebat, antiquæ Fidei Catholicæ veritati ac doctrinæ nova Hæreticorum Dogmata, seu potius deliria, non prætulisset. Haberet profecto Christianus populus quos colligeret, suspiceretque in gente ista tam eloquentiæ, quam omnigenæ doctrinæ flores, nec ulla Catholici Lectores constringerentur necessitate

sitate vellendi spinas, quibus periculum est ne inter legendum istius gentis Opera pungantur. Certe id periculi non est quod timeamus in legendis libris, quos ediderunt Hispanæ gentis apprime Catholici Scriptores, de quibus, juxta præscriptum ordinem, in sequenti Classe, quæ quarta est illustrium Virorum Sæculi decimi septimi, paululum differere debemus.

M. Hispania Sæculo Ecclesiæ decimo septimo Theologorum Scholasticorum feracissima fuit, sed cum insignes illi Theologi Scholastici vel Statui Monastico, vel Regulari addicti fuerint, eos opportunius referemus in sequentibus Monastici, vel Regularis Status Clarissimorum Scriptorum classibus. Hic autem eos dumtaxat proferam Scriptores Hispanos, qui Sæculo XVII. nec Monasticam, nec Regularem Vitam professi sunt. Et primo quidem incipiam a *Garzia de Loaysa*, & a *Ferdinando Mendoza*, qui licet sub finem Sæculi XVI. in Hispania floruerint, eos tamen utpote a nobis memoriæ lapsu hactenus prætermissos, in ista Illustrium Hispaniæ Sæculi XVII. Scriptorum Classe reponere debemus, ne illos debita laude fraudare voluisse videamur. *Garzia de Loaysa*, Regius *Philippi* III. Magister, & postea Archiepiscopus Toletanus, compilavit antiqua totius Hispaniæ Concilia, quotquot invenire potuit, celebrata usque ad initium Sæculi Octavi, & nonnulla ejusdem temporis monumenta, eaque Notis & emendationibus illustravit. Addidit etiam huic Collectioni Conciliorum Hispaniæ Chronologiam Toletanorum Præsulum, & Conciliorum, atque monimenta quædam spectantia Primatum Ecclesiæ Toletanæ, & Dignitates, seu Officia Regni, & Domus Regiæ Gothorum. *Ferdinandus de Mendoza*, e nobilissima Hispaniæ familia oriundus, præter illas celebres Disputationes, quas instituit in loca difficiliora Tituli *de Pactis* comprehensas justo Volumine anno 1586. Compluti edito; tres insuper libros *de Concilio Illiberitano* ad *Clementem* VIII. Pontificem Maximum direxit, quos *Philippus Labbæus* in Collectione novissima Conciliorum recudendos curavit, eosque integros Cardinalis *Josephus de Aguirre* inseruit Tomo I. *Collectionis Maximæ Conciliorum omnium Hispaniæ, & Novi Orbis* Romæ edito anno 1693. Hoc *Ferdinandi de Mendoza* de Concilio Illiberitano Opus impense laudat mox citatus Cardinalis *de Aguirre*, atque illud esse tersum, plenum, pulchrum, varium, numeris omnibus absolutum, ejusque beneficio dissipari procul, veluti solaribus radiis, tot nebulas, extricari tot nodos, eludi tot scopulos & fluctus difficultatum, quibus eo usque impetebatur auctoritas hujus Concilii non ab hæreticis modo, sed a Catholicis doctis Viris, etiam Hispanis. Celebres etiam Sæculo XVII. in Hispania quinque extiterunt Scriptores, nimirum *Hieronymus Gonzales*, *Joannes Palafox*, Episcopus Angelopolitanus, *Josephus Stephanus*, Episcopus Oriolensis, *Franciscus Pegna*, & *Nicolaus Antonius*, a quibus nos breviter expediemus. *Hieronymus Gonzales* scripsit *Glossema*, seu *Commentarium ad Regulam* VIII. *Cancellariæ de reservatione men-*

sium, & alternativa Episcoporum, in quo eximiæ suæ in Jure Canonico & Civili eruditionis specimina præbuit. Confundi haud debet iste *Hieronymus Gonzales* cum altero ejusdem cognominis *Emmanuele Gonzales Telles*, Collegii Majoris in Academia Salmanticensi Alumno, & postea in eadem Academia Sacrorum Canonum Interprete doctissimo, qui scripsit *Commentaria perpetua in singulos textus quinque librorum Decretalium Gregorii Noni*. Cui Operi accurate elaborando, singulisque Decretalibus per Notas ab Historia & Chronographia petitas, perque uberes Commentarios illustrandis, viginti annos se impendisse testatur. Exierunt in lucem ejus Commentaria Lugduni anno 1673. in quatuor Tomos divisa. *Joannes Palafox*, Episcopus Angelopolitanus, in Nova Hispania Americæ, doctrina & pietate præditus, omniumque Christianarum virtutum genere cumulatissime instructus, immortale nomen apud Viros doctos ac pios jure optimo adeptus est. Ejus in gerendis Episcopalibus muniis singularem industriam, zelum indefessum, charitatem ardentissimam, perfectamque ad muneris Episcopalis præscriptum vivendi normam omnes hominum Ordines constantissime celebratunt, præsertim paternam atque vere Evangelicam curam, quam in formandis & ad germanam pietatem instituendis illius Regionis incolis jugiter impendit. At, proh dolor! pius ille Episcopus, ob defensas infracto pectore Ordinis & Officii sui rationes, in graves incidit difficultates, & ut periclitanti Vitæ suæ consuleret, sæpius latebris se committere opus habuit: sicut testatur *Nicolaus Antonius* in Bibliotheca Hispana. Tandem Episcopatu dejectus, variisque tempestatibus actus & exul obiit pridie Kalendas Octobris anni 1659. Scripsit pius ille Episcopus Hispanico idiomate Epistolas, & Ascetica quædam Opuscula, quæ in Bibliotheca Hispana recenset mox a me laudatus *Nicolaus Antonius*, sed præcipue Epistolam ad *Innocentium* X. quam, ut candide fatear, inter legendum a lacrymis temperare haud potui. *Josephus Stephanus*, vulgò *Esteve*, Episcopus Oriolensis, antiquis illustrandis Ecclesiæ Patribus ferio intendit animum, quædamque monumenta in vulgus edidit, quæ nulli non probantur, alia, si mors non intercessisset, æque docta & utilia depromptururs. Præcipua, quæ conscripsit, Opera hæc sunt: *Lexicon Ecclesiarum Vocum, ac Phrasium ad Ritum Veteris Ecclesiæ Catholicæ, e Græcis, Latinisque Patribus: De Bello Sacro Religionis causa suscepto: De Dignitate & præeminentia Presbyterorum: De unica Religione disputatio: De Adoratione Pontificum, pedum osculatione, gestatione, coronatione*, & alia Opera, quorum Elenchum videsis apud Cardinalem *de Aguirre* Tomo IV. *Collectionis Conciliorum Hispaniæ* pag. 749. *Franciscus Pegna*, Aragonius, in Academia Valentina Sacræ Theologiæ ac Juris utriusque Doctor, Judex Causarum Pontificiarum, seu Rotæ Romanæ Auditor a *Philippo* II. Rege Catholico institutus, summa integritatis ac pietatis fama pro corona Aragoniæ eo munere fun-

ctus est. Maxima apud Summos Pontifices *Clementem VIII.* & *Paulum V.* gratia & existimatione valuit, a quibus in gravissimis negotiis, ad S.Inquisitionis Tribunal spectantibus, consulebatur. Extat ejus ad hujusmodi Consultationes Responsionum volumen integrum manuscriptum. Reliquit eruditionis suæ monumenta libros a se editos de rebus Theologicis, Canonicis, Historicis, & Asceticis, quorum Catalogum videsis in Bibliotheca Hispanica *Nicolai Antonii*, & in *Præfatione ad ejus Decisiones Rotales*, quas *Didacus Antonius Frances* publicavit. In Congregationibus de Divinis Auxiliis partes habuit plurimas, earumque Diarium adornavit, cujus authographiam suprema voluntate moriens dedit nostro *Thomæ de Lemos*, illudque jam vetustate exesum Romæ in Archivio Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum extremum cum tineis agonem agit. Varia tamen ex illo transumpta ante annos quinquaginta Notariorum Chyrographis communita, in varias Urbis, & Galliæ Bibliothecas transmissa sunt. Denique, *Nicolaus Antonius*, Hispaniæ anno 1617. natus, apud Dominicanos Hispalenses studiis litterarum humaniorum, & Philosophiæ Operam dedit. Deinde Romæ Regis Catholici *Philippi IV.* Agens, ut ajunt, fuit, & demum Matriti Consiliarius Regius. *Bibliothecam Hispanam*, in qua gentis suæ illustrium Scriptorum elogia texit, duobus justis Voluminibus comprehensam Romæ publicavit Vir ille subacti judicii, & exactissimæ Criseos nomine ubique celebris. Consulto prætermisi *Josephum de Aguirre* doctissimum Cardinalem Hispanum, quippe qui Vitam Monasticam in Ordine *Sancti Benedicti* professus, in Classe illustrium Scriptorum Monachorum, quos infra referemus, locum potiori jure sibi vindicare debet.

D. Scriptorum Angliæ, quos in quinta illustrium Sæculi XVII. Virorum Classe collocasti, Opera scire non moror. Cum enim ejusmodi Scriptores diuturno Schismate a Catholica Romana Ecclesia sint separati, variisque hæresibus infecti, nullus dubito, quin Opera ab ipsis edita innumeris referta sint erroribus, calumniis & imposturis contra Ecclesiam Romanam, a quibus proinde referendis in integrum abstinere debemus.

M. Absit, ut Angliæ Scriptorum, qui Sæculo XVII. Hæretico afflati spiritu inconcussa Ecclesiæ Romanæ Dogmata impetere ausi sunt, velim in præsentia recensere Opera, quæ potius una cum suis Auctoribus diris devoveri, natalitiisque tenebris damnari debere existimo; eos tantum in hac Classe referam Angliæ Scriptores, qui vel Catholici fuerunt, vel quorum Opera Catholicæ Fidei Doctrinæ Veritati nullatenus officiunt, sed Chronologiæ & Historiæ cum Sacræ tum Ecclesiasticæ illustrandæ haud parum inservire possunt. Inter hæc Anglorum Scriptorum Opera, Catholici Doctores plurimum commendant *Biblia Polyglotta*, sive *Anglicana*, vel *Londinensia* nuncupata, quæ complectuntur Textus Originales, Hebraicum, cum Pentateucho Samaritano, Chaldaicum, Græcum, Versionesque antiquas, Samaritanam, Græcam LXX. Interpretum, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Æthiopicam, Persicam & Vulgatam Latinam, cum Textuum & Versionum Orientalium Translationibus Latinis, cum Apparatu, & sexdecim Prolegomenis, Appendicibus, Tabulis, Variis Lectionibus, Annotationibus, &c. Hoc immensum Opus, in sex Tomos in Folio tributum, Londini anno 1657. typis mandari curavit *Brianus Waltonus*. Hanc Bibliorum Polyglottorum Londinensium Editionem accuratiorem esse Editione Bibliorum Polyglottorum Parisiensium observat *Jacobus le Long*, Congregationis Oratorii Presbyter, in sua *Bibliotheca*, sex *Syllabo omnium ferme Sacræ Scripturæ Editionum ac Versionum &c.* Idem etiam antea observaverat alter doctissimus Congregationis Oratorii Sacerdos *Richardus Simonius* in Disquisitionibus Criticis, cap. 27. pag. 219. ubi tamen ait, se in hac Polyglottorum Bibliorum Londinensium Editione desiderare meliores Versiones Orientales, in primis Arabicas, ibidemque varios errores ex Bibliorum Polyglottorum Parisiensium Editione in eam Londinensium translatos nec castigatos, notat. Ad illustrandam Chronologiam, seu doctrinam Temporum, & ad dilucidandas difficultates, quæ passim in ea occurrunt, multum laboris & operæ posuerunt tres Scriptores Angli, *Joannes Seldenus*, *Jacobus Usserius*, & *Henricus Dodwellus*. Vindicias Epistolarum *Sancti Ignatii* Martyris scripsit *Joannes Pearsonus*. Opera *S. Joannis Chrysostomi* Græce edidit *Henricus Savilius*. Britannica Concilia collegit *Henricus Spelmannus*. Synodicon, sive *Pandectas Canonum Apostolorum*, & *Conciliorum Ecclesiæ Græcæ* publicavit *Guillelmus Beveregius*, & Codicem Canonum *Ecclesiæ primitivæ* vindicavit & illustravit. Scriptorum Ecclesiasticorum *Historiam Litterariam* concinnavit *Guillelmus Cave*, Hæreticus Anglus. Denique, *Guillelmus Camdenus* scripsit *Historiam Britannicam*, & *Historiam de rebus Elisabethæ Reginæ Angliæ*. Alios longe plures Sæculi XVII. Scriptores Anglos percensent *Nicolaus Angelus Caferrius a Sancta Victoria* in *Synthemate Vetustatis*, quod Romæ anno 1667. publica luce donavit, & *Thomas Pope Blount* in *Censura Celebrium Auctorum*, quæ prodiit Coloniæ Allobrogum anno 1694. Sed ipse consultius esse arbitror, ejusmodi Scriptorum, quorum Opera ab Ecclesia Romana sunt proscripta, & Catholico Lectori perniciosa esse possunt, nullam prorsus mentionem facere. His itaque omnino silentio prætermissis, unum dumtaxat laudabo Sæculi decimi septimi Scriptorem Anglum Catholicum, *Henricum Holden*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctorem Theologum, qui librum edidit *de Analysi Fidei* duas in partes distriburum, in quarum prima differit de Principiis Fidei, in altera discernit ea quæ Fide divina credenda sunt, ab his quæ ad Fidem non spectant. Hinc libro annexuit Tractatum *de Schismate*, in quo evincit, Lutheranos, Calvinistas, aliosque modernos hæreticos se a vera Ecclesia, seu Romana, exitiali Schismate separasse. Scripsit etiam idem *Henricus Holden* tres *Epistolas*, *unam de Usura*, & duas dire-

directas ad *Antonium Arnaldum*, Doctorem Sorbonicum, in quibus profitetur, se mordicus adhærere doctrinæ Scholæ Thomistarum de Gratia se ipsa efficaci & de Prædestinatione gratuita. Postremo, contexuit marginales Notas breves, & Litterales ad facilius percipiendum genuinum Novi Testamenti sensum.

D. Bene est: jam sat superque notos habeo præcipuos Scriptores, qui Sæculo XVII. Vitæ nec Monasticæ nec Regulari addicti in Gallia, Italia, Germania, Hispania, & Anglia Ecclesiam, aut saltem Rempublicam Litterariam suis lucubrationibus illustrarunt. Superest nunc ut celebriores in medium proferas Scriptores, qui eodem Sæculo Vitam vel Monasticam, vel Regularem professi sunt, & exordium ducas a Monachis Benedictinis, Cisterciensibus, & Carthusianis, quibus in sexta illustrium Sæculi XVII. Scriptorum Classe locum dedisti.

M. Scriptores Sæculi XVII. Ordinis *S. Benedicti*, potissimum doctissimæ ac religiosissimæ Congregationis *S. Mauri* in Galliis, amplissimum suppeditant dicendi argumentum, quod, si pro eo ac meretur, prosequi animus esset, longius quam par esset, nostrum protraheretur Colloquium. Necesse igitur est, ut in tanta Scriptorum segete præcipuos seligam, ac breviter indicem Opera, quibus universæ Ecclesiæ, & Reipublicæ Litterariæ novum splendorem addiderunt, præsertim castigatissimis, & calculis omnium Virorum eruditorum probatis Editionibus, quas summa diligentia, incredibili studio, criterio & labore adornarunt Operum SS. Patrum, *Irenæi*, *Basilii*, *Athanasii*, *Ambrosii*, *Hilarii*, *Augustini*, *Hieronymi*, *Chrysostomi*, *Gregorii Magni*, Pontificis Maximi, *Cassiodori*, *Gregorii Turonensis*, *S. Bernardi*, & aliorum Scriptorum, cum Græcorum, tum Latinorum, quorum Opera assiduis curis, & doctissimis præfationibus, Notis, & Observationibus illustrarunt, & quidem eo successu, quem non modo eruditi quique, & Ecclesiæ Principes sæpe gratulati sunt, sed etiam *Clemens XI.* Pontifex Maximus, Decessorum suorum exemplo, approbare voluit Brevi Apostolico ad Præfectum Generalem Congregationis *S. Mauri* die 19. mensis Aprilis anni 1706. directo. ubi hæc habet: *Diutius præterire silentio non possumus, quantopere nobis acceptum, probatumque sit studium, quod Congregatio tua Sanctorum Ecclesiæ Patrum Operibus recensendis, iisque, nitidiori quam antea cultu, publicam lucem proferendis impendit. Quod quidem studium & professione virtuteque vestra maxime dignum ducimus, & non vobis duntaxat gloriosum, verum etiam rei Christianæ ac Orthodoxæ in primis Religioni saluberrimum fore confidimus. Quam ob rem te, Monachosque tuos in Domino hortamur, ut in egregio hoc instituto strenue, diligenterque pergatis: pro certo habentes, quidquid in honorem commodumque vestrum a Pontificia benignitate poterit proficisci, id nullo vobis unquam tempore defuturum &c.* Agmen Scriptorum Sæculi XVII. *S. Benedicti* Congregationis *S. Mauri* ducet *Lucas Dacherius*, doctrina & pietate conspicuus, qui omnia *Lanfranci* Opera doctissimis Notis & Observationibus illustrata, additisque raris & utilissimis monumentis locupletata Parisiis anno 1648. publicavit; Opera etiam *Guiberti* Abbat. *de Novigento*, cum eruditis Notis & Observationibus, necnon Historiis plurium Abbatiarum, Vitis Sanctorum, aliisque id genus antehac ineditis monimentis, publici Juris fecit. Sed cum *Lucas Dacherius* in manuscriptis Codicibus esset versatissimus, singulare & utilissimum lucubravit Opus, omnium Litteratorum plausu exceptum, cui titulum fecit *Spicilegium*, in quo quædam Scriptorum Opera, Epistolas, Acta & Canones Conciliorum, Historias, seu Chronica, Vitas Sanctorum, Opera Poetica, antiqua Tabularia, documenta & instrumenta, quæ in variis Galliarum Bibliothecis latebant, & necdum publicam lucem adspexerant, inseruit, accurate digessit, pulcherrimis Notis & Præfationibus explanavit. Extant illius *Dacheriani Spicilegii* Tomi tredecim, in quarto, justæ magnitudinis. *Lucæ Dacherio* laboranti, & senio jam confecto Socius datus est *Joannes Mabillonius*, qui nihil antiquius habuit, quam ut tam Venerabili Viro, magistro simul & amico, gratum ac memorem sese exhiberet. Mortuo *Luca Dacherio* Parisiis anno 1685. *Joannes Mabillonius* singulare suæ erga Magistrum *Dacherium* observantiæ specimen præbuit, quippe qui in Præfatione primi Tomi *Actorum Ordinis S. Benedicti* palam testatur, hoc Opus non sibi, sed Magistro suo *Dacherio*, qui in colligendis ac digerendis Actis Sanctorum Ordinis *S. Benedicti* diu multumque insudaverat, acceptum referri debere: *Acta, inquit, Sanctorum Ordinis S. Benedicti unum in corpus redigenda, tandem Deo duce aggredior: non quidem auctor, sed adjutor operis: non primarius Architectus, sed minister succedaneus.* Summa *Joannis Mabillonii* eruditio cum eximia pietate morumque probitate conjuncta immensum dicendi mihi aperiret campum, in quo exultare, ac libere vagari posset Oratio; sed me ad istas verborum angustias revocat Colloquiorum nostrorum brevitas, ut praeclaras illius omni laude superioris & extra omnem ingenii aleam positi Monachi Benedictini dotes, ac bene multas lucubrationes cedro & lamina aurea dignas, laro calamo, ut optarem describere ac referre minime possim. Certe Mabillonium nominasse, laudasse est, & qui eum ignorat, in Republica Litteraria non est, aut in ea peregrinus plane & hospes est. Tria tamen circa *Joannis Mabillonii* Opera velim obiter observes. Primo, omnes Viri eruditi in libris, quos *Joannes Mabillonius* edidit *de re Diplomatica*, suspexerunt Auctoris acumen, ingenii sagacitatem, profundam eruditionem, immensam Veterum & recentiorum Scriptorum lectionem, atque miram industriam, qua ad artem ac præcepta tam scite, feliciterque redegit, nullis ad eam diem regulis, ac legibus subjectum argumentum. Unus solus Scriptor in Galliis *Germonius*, Veterum Codicum haud æquus æstimator, in *Mabillonium* calamum acuit, sed eum *Mabillonius* in Supplemento, addito ad libros *de re Diplomatica*, egregie confutavit.

tavit. Hoc *Mabillonii* Supplementum paulo post exceperunt eruditæ admodum Vindiciæ, quas in Italia *Mabillonii* amici in Diplomatici Operis defensionem adornarunt, illustrissimus Abbas *Justus Fontaninus*, *Lazzarinus*, *Antonius Gatus*, & alii, qui omnes *Germonii* Objectiones sedulo excusserunt, & plenissime diluerunt. Secundo, observare debes, Acta Sanctorum Ordinis *S. Benedicti*, quæ quinque Tomis in Folio collegit, & in Benedictina Sæcula digessit *Joannes Mabillonius*, non solum valere ad informandos Sanctorum exemplis mores, sed etiam ad illustrandam Historiam & Disciplinam cum Ecclesiasticam, tum Monasticam, immo ad firmanda Catholicæ Religionis dogmata. Sed legendæ sunt præsertim eruditissimæ singulis Tomis præmissæ Præfationes, in quibus selecta eaque difficillima cujusque Sæculi Historiæ Capita, ac præcipua quæque, quæ ad Disciplinam tum Ecclesiasticam, tum Monasticam pertinent, ipsaque Fidei Dogmata sic pertractantur, ut miretur quisquis legerit, summam auctoris eruditionem & facilitatem in enodandis difficultatibus, quæ antea Viris alioqui peritissimis negotium facessebant. Denique, observare debes, enatam fuisse Litterariam Concertationem inter *Joannem Mabillonium*, & *Armandum Joannem Butillerium Rancæum*, Abbatem Monasterii *B. Mariæ de Trappa*, strictioris Observantiæ Cisterciensis, occasione libri, quem *de Monasticis studiis* edidit Joannes *Mabillonius*, de qua Concertatione commodius in sequenti Colloquio differemus, ubi de illo Abbate, severioris Disciplinæ Monasticæ cultore, sermonem habendi sese dabit occasio. Si plura de doctissimo *Mabillonio* scire aveas, legesis *Synopsin ejus Vitæ*, quam primo Gallice descripsit *Theodoricus Ruinartus* Congregationis *S. Mauri* alumnus, quamque postea latine reddidit, & multarum rerum notitia amplificavit alter ejusdem Congregationis *S. Mauri* Monachus. Consulere etiam poteris doctissimum *P. Renatum Massuet*, Congregationis itidem *S. Mauri* Monachum, qui in fronte Tomi VI. *Annalium Ordinis S. Benedicti* anno 1713. in lucem editi, præfixit Vitam *Joannis Mabillonii*, eumque vindicavit a criminationibus, quas Auctor Bibliothecæ Criticæ huic eruditissimo Monacho impingere ausus est. Obiit *Joannes Mabillonius* die XXVII. mensis Decembris anni MDCCVI. A *Joanne Mabillonio* sejungi non debet *Theodoricus Ruinartus*, ejus individuus comes, & studiorum ac laborum socius, Congregationis *S. Mauri* Monachus Benedictinus, qui librum edidit, in quo doctissimis Notis illustrat *Acta sincera & selecta Martyrum*, qui prioribus quatuor Ecclesiæ Sæculis pro Christianæ Fidei defensione passi sunt, totique Operi eruditam Præfationem præmisit, in qua primum recenset modos, quibus sincera Martyrum Acta ad nos pervenerunt, tum invicte contra *Henricum Dodwellum*, Scriptorem Anglum, probat, infinitos propemodum Martyres extitisse quatuor prioribus Ecclesiæ Sæculis, quorum acta vel perierunt, vel descripta non fuerunt, ac subinde Martyrum numerum ex Actorum numero non esse repetendum. Edidit etiam *Theodoricus Ruinartus* Historiam *Persecutionis Wandalicæ*: *Sæculum Sextum Actorum Ordinis S. Benedicti*: *Apologiam pro missione S. Mauri in Franciam*: *Mabillonii Vitæ Synopsin*: *& novam Operum S. Gregorii Turonensis Editionem* publicavit, obiitque die 27. mensis Septembris anni 1709. Fidem Veterum Manuscriptorum Codicum egregie contra *Bartholomæum Germonium* vindicavit doctissimus *Petrus Coustant*, Congregationis *S. Mauri* Monachus Benedictinus, qui Parisiis anno 1706. insigne Opus typis mandavit, cui titulus est: *Vindiciæ Manuscriptorum Codicum a R. P. Bartholomæo Germon impugnatorum, cum Appendice, in qua S. Hilarii quidam loci ab Anonymo obscurati & depravati illustrantur & explicantur*. Eidem *Petro Coustant*, Monacho Benedictioo, debet Respublica Litteraria novam & accuratissimam Operum *S. Hilarii* Editionem, perdoctis Dissertationibus ac Notis illustratam. *Franciscus Lamy*, Congregationis *S. Mauri* Monachus Benedictinus, scripsit quinque Tomos *de notitia sui ipsius*: Opuscula *contra Atheos & incredulos*: *Tractatum de Veritate Religionis Christianæ*: *librum de primis elementis scientiarum*: & plures Epistolas Morales ac Theologicas. *Edmundus Martene*, Congregationis *S. Mauri* Monachus, eruditum concinnavit Commentarium in Regulam *S. Benedicti*: plures Tomos edidit *de Ritibus Monasticis*: *de Ritibus Ecclesiasticis*: *Tractatum de antiqua Ecclesiæ Disciplina in Officiorum Divinorum celebratione*: *Collectionem Scriptorum & Monumentorum Historicorum, Moralium, & Dogmaticorum, quæ spectant negotia Ecclesiastica, Monastica & Politica*: *Thesaurum novum anecdotorum*, & alia erudita Opera: *Hugo Mathoudus*, Congregationis *S. Mauri* Benedictinus, *octo libros Sententiarum Roberti Pulli*, Cardinalis, Sæculi XII. Theologi Scholastici Angli, perdoctis Notis & Observationibus illustratos Parisiis anno 1655. publicavit, & plures ejusdem Cardinalis opiniones, quæ nunc in Scholis Theologorum antiquatæ, atque tantum non damnatæ videntur, vindicat ab erroris nota, & inofficiosa censura. *Hugo Menardus*, Congregationis *S. Mauri* Benedictinus, doctrina & pietate celebris, *Martyrologium Sanctorum Ordinis S. Benedicti* duobus eruditarum Observationum Tomis in Folio illustravit. Edidit etiam *Dissertationem de unico Dionysio*: *Notas in Halitgarum Cameracensem*: *Notas & observationes*, omnigena eruditione refertas, *in librum Sacramentarii S. Gregorii Magni, Pontificis Maximi*. *Epistolam S. Barnabæ* Apostoli cum Notis & observationibus in lucem edere statuerat *Hugo Menardus*, sed, eo inopinata morte sublato, *Lucas Dacherius*, cujus antea mentionem fecimus, hanc *S. Barnabæ* Epistolam, Notis & Observationibus *Hugonis Menardi* illustratam, publici juris fecit. *Joannes Martianæus*, Congregationis *S. Mauri* Benedictinus novam omnium *S. Hieronymi* Operum Editionem adornavit, in quinque Tomos distributam. Primus Tomus complectitur *Bibliothecam Divinam S. Hieronymi* quæ Sacrorum Veteris Testamenti libro-

librorum latinam exhibet Versionem a Sancto illo Doctore lucubratam. Alter Tomus continet libros *S. Hieronymi* etymologicos, geographicos, Quæstiones Hebraicas, Epistolas Criticas, & Commentarios in Sacra Volumina a libro Genesis usque ad Prophetas. Tomus tertius complectitur Commentarios *S. Hieronymi* in XVI. Prophetas. Tomus quartus binas in partes divisus complectitur Commentarios omnes *S. Hieronymi* in novum Testamentum, atque ejusdem S. Doctoris Epistolas Criticas ejusdem argumenti, ordine librorum Sacræ Scripturæ positas, deinde cunctas alias illius Epistolas Ordine Chronologico nunc primum editas, & in varias Classes dispositas cum Opusculis Apologeticis & Polemicis. Tomus quintus continet Vitam *S. Hieronymi* a duobus Anonymis scriptam, Catalogum *Gennadii*, Opuscula supposititia, & Appendicem Thesium & Disputationum in Scripturam sacram. Edidit etiam *Joannes Martianæus* tum Latine, tum Gallice alia Opuscula in Scripturam sacram, sed præsertim *Vitam S. Hieronymi* Gallico idiomate descripsit. *Dionysius Sammarthanus*, præter quædam Opuscula Polemica, quæ scripsit contra hæreticos Calvinistas in Galliis, concinnavit etiam Vitas *Cassiodori*, & *S. Gregorii* Papæ, omniumque illius Summi Pontificis Operum elegantissimam Editionem cum eruditis Præfationibus, notis ac Dissertationibus adornavit. Vivit adhuc Parisiis in Monasterio *Sancti Germani* a Pratis doctissimus ille Congregationis *S. Mauri* Benedictinus, qui nunc *Galliæ Christianæ*, quam pluribus in locis emendavit, multis accessionibus & monumentis auxit ac illustravit, novam & accuratiorem Editionem parat, jamque primus Tomus prodiit Parisiis anno 1715. quam alii Tomi qui sub prælo sudant, excipient, propediem in lucem prodituri. *Nicolaus le Nouri*, Congregationis *Sancti Mauri* Benedictinus, edidit *Apparatum ad Bibliothecam Maximam Patrum*, Opus sane immensum, cujus duo Tomi in Folio jam publicam lucem adspexerunt, in quibus doctissimus Auctor varias & eruditas instituit Dissertationes ad secernenda genuina Sanctorum Patrum Opera a spuriis, & ad difficiliora, quæ in iis occurrunt loca explananda. In quo argumento nemo, mea quidem sententia, majori cura, meliori fide, acriori judicio, nitidiori stylo hactenus versatus fuerat. Utinam Clarissimum illum Scriptorem Deus Optimus Maximus diu sospitem & incolumem servet, quo vastum illud & plane stupendum Opus ad umbilicum perducere possit. Agmen illustrium Scriptorum Benedictinorum Congregationis S. *Mauri* claudet *Bernardus de Montfaucon*, qui linguæ Græcæ peritissimus, in MSS. Codicibus versatissimus, Criticus nulli secundus, Historicus, & Antiquitatis cum Sacræ, tum Ecclesiasticæ & prophanæ studiosissimus, omnium Virorum eruditorum hujus Sæculi facile Princeps habetur. Evulgavit primo *Analecta*, seu *plura Opuscula Græca*, *hactenus inedita*. Deinde, utilissimum Opus lucubravit *de Palæographia Græca*, seu de origine & progressu characterum, quibus usi sunt Græci, & de vario apud illos in diversis Sæculis scribendi modo, ita ut ex eo *Bernardi de Montfaucon* egregio Opere eamdem utilitatem Viri eruditi ad habendam notitiam temporis, quo Diplomata, Instrumenta, Tabularia, & Opera Græcorum scripta sunt, percipere possint, quam hactenus Viri eruditi ad consequendam notitiam temporis, quo Diplomata, Instrumenta, Tabularia, & Opera MSS. Latinorum exarata sunt, ex libro *Joannis Mabillonii de re Diplomatica* abunde perceperunt. Publicavit quoque *Bernardus de Montfaucon* Commentarium in Psalmos lucubratum ab *Eusebio* Episcopo Cæsariensi, quem Arianum fuisse invicte demoustrat: *Hexapla Origenis*: novam, omnibusque numeris absolutam omnium S. *Athanasii* Operum Editionem Græco-Latinam, cui doctissimam præmisit Præfationem, in qua late disserit de his, quæ attinent ad Vitam S. *Athanasii*, ejus Opera, doctrinam, Disciplinam illius temporis, & hæreticos, a quibus impetita fuit S. *Athanasii* doctrina. Novam etiam aggressus est omnium S. *Joannis Chrysostomi* Operum Editionem, innumeris Notis, doctis ac curiosis Observationibus illustratam. Denique *Bernardus de Montfaucon* edidit *Diarium Italicum*: *Historiam Judithæ* in tres partes divisam, & egregiis circa Assyrorum, & Medorum Reges historicis Documentis locupletatam: necnon vastissimum Opus de Antiquitatibus sacris, & prophanis Græcis & Latinis, cum Figuris, quod nuperrime in plures Tomos distributum exiit in lucem. Prætermitto alios pene innumerabiles Congregationis S. *Mauri* in Galliis Benedictinos Scriptores Asceticos, Historicos, Polemicos, Theologos, & in omni Disciplinarum genere exercitatos, qui nunc in oculis, & in ore omnium sunt, quosque singulos, honoris causa, nominatim hic recensere nihil esset mihi optatius, nisi jure pertimescerem, ne, si minus de aliquo dicerem, ingrata, si satis de omnibus, infinita esset eorum a me suscepta commendatio; maxime cum mihi adhuc dicendum supersit de quibusdam aliis Italiæ, Hispaniæ, & Belgii Scriptoribus Benedictinis, necnon de Cisterciensibus & Carthusianis, qui Sæculo XVII. floruerunt, a quibus tamen paucis me expediam. Duos Italiæ proferam Scriptores Benedictinos, *Constantinum Cajetanum*, Abbatem, & *Benedictum Bacchini*, Monachum Cassinensem. Prior, seu *Constantinus Cajetanus*, Operum S. *Petri Damiani* editionem adornavit, & Notas scripsit in Vita S. *Anselmi*, *Amalarii Fortunati*, & *Gelasii II.* Pontificis Maximi. S. *Gregorium Magnum* Papam Vitam Monasticam, juxta S. *Benedicti* Regulam, professum fuisse, multis Scriptis contra Cardinalem *Baronium*, & *Gallonium* editis, pro aris ac focis propugnavit, & quod singulari sane observatione dignum est, & a nobis in superiori Tomo improbatum, S. *Ignatium de Loyola*, Societatis Jesu Fundatorem, Monachum itidem Benedictinum fuisse probandum suscepit publico Scripto, cui hunc indidit titulum. *De Religiosa S. Ignatii*, *sive Sancti Enneconis*, *Fundatoris Societatis Jesu*, *per Patres Benedictinos*, *institutione*; *deque libello Exercitio-*

rum

rum ejusdem ab Exercitatorio Venerabilis Servi Dei Garciæ Cisnerii, Abbatis Montis Serrati, magna ex parte desumpto; Constantini Abbatis Cajetani Vindicis Benedictini libri duo. Alter Scriptor Italus Monachus Benedictinus Cassinensis, seu *Benedictus Bachini*, latine scripsit Tractatum *de Origine Hierarchiæ Ecclesiasticæ*. Ex illustribus Hispanis Monachis Benedictinis unum duntaxat laudabo *Josephum de Aguirre*, qui antequam ad Cardinalitiam dignitatem eveheretur, Benedictinæ Congregationis Hispaniarum Præfectus Generalis fuit. Operum, quæ edidit doctissimus ille Cardinalis, anhi Tituli sunt: *Ludi Salmanticenses*, seu *Theologia florulenta*: *S. Anselmi Theologia Commentariis & Disputationibus illustrata*, tribus Tomis in Folio comprehensa: *de Virtutibus & Vitiis Disputationes Ethicæ*: *Philosophia Moralis Aristotelis Commentariis illustrata*: *Lacinia contra Socinianos*: *Notitia compendiaria Conciliorum Hispaniæ*: *Synopsis Conciliorum Hispaniæ*: *& Collectio maxima Conciliorum omnium Hispaniæ & Novi Orbis*, cum doctissimis Notis & Dissertationibus, quibus Sacri Canones, Historia ac Disciplina Ecclesiastica, & Chronologia accurate illustrantur. Duo in Belgio eximiæ doctrinæ laude claruerunt Scriptores Benedictini, videlicet *Matthæus Petit-Didier*, & *Augustinus Calmet*, quorum primus aliquot vulgavit Criticarum Observationum Tomos in *Bibliothecam Scriptorum Ecclesiasticorum*, quam contexuit *Ludovicus Ellias Dupinus*. Edidit etiam *Matthæus Petit-Didier* Latinas *dissertationes Historicas, Criticas, & Chronologicas in omnes Libros Veteris Testamenti*. Alter Scriptor Belga Monachus Benedictinus, seu *Augustinus Calmet*, auctor est amplissimi *Commentarii Litteralis in libros Scripturæ Sacræ tum Veteris tum Novi Testamenti*, in quo quidquid sacræ & prophanæ eruditionis in Sacræ Scripturæ antiquis & modernis Interpretibus nancisci potuit, collegit, digessit, atque doctissimis dissertationibus explanavit in viginti quatuor Voluminibus in quarto, quæ jam publicam in lucem prodierunt, Gallico idiomate conscripta. Prætermittere non debeo Doctissimum Religiosum Benedictinum, qui mihi pene exciderat, *Jacobum Bossutium*, Gallice *Le Bossu*, origine Parisinum, Doctorem Sorbonicum, & omnibus Pontificibus, sub quibus Romæ degit, carum, sed præsertim *Clementi* VIII. & *Paulo* V. qui munus Consultoris ei imposuerunt in Congregationibus *de Auxiliis*, in quibus Dominicanorum de Gratia sententiam strenue propugnavit, una cum *Ludovico de Creil*, quem Academia Parisiensis ad Sedem Apostolicam pro iisdem Congregationibus delegaverat. Scripsit *Jacobus Bossutius* Congregationum de Auxiliis Clarium, & extant etiamnum ejusdem Jacobi *Bossutii* Animadversiones in viginti quinque propositiones *Ludovici Molinæ*, quas ille a *Domno Sancio a S. Catharina Fuliensi*, quo familiariter utebatur, rogatus elaboraverat, eique dono dedit moriens. Obiit Romæ *Jacobus Bossutius* VII. Idus Junii anni 1626. ut videre est in ejus Epitaphio, quod Romæ in Ecclesia Ordinis Minimorum Gallorum, & Montem Principum, extra cancellos Aræ Principis, legitur. Habes illustriores Ordinis S. *Benedicti* Scriptores Monachos, quorum Opera Viris eruditis notiora sunt, quam ut vanis præconiorum ornamentis indigeant. His Scriptoribus Benedictinis tres celebres adjungam Scriptores Monachos Cistercienses, videlicet *Joannem Bona* Cardinalem, *Ferdinandum Ughellum*, & *Paulum Pezron*. Primus, seu *Joannes Bona*, natione Italus, Monachorum Cisterciensium, qui *Fulienses* vulgo dicuntur, Abbas Generalis fuit in Italia, Doctrina & pietate insignis, a *Clemente nono* Pontifice Maximo Cardinalis creatus, perdocta edidit Opera, præsertim *de rebus Liturgicis*; *de Divina Psalmodia*: *de discretione spirituum*: scripsit etiam *Horologium Asceticum*, Epistolas, & quædam Opuscula, quæ ad mores probe informandos, vitiaque corrigenda sunt utilissima. *Ferdinandus Ughellus*, natione Italus, novem publicavit Tomos *de Italia Sacra*, sive *de Episcopatibus Italiæ & Insularum adjacentium &c.* Primus Tomus complectitur Ecclesias Sanctæ Romanæ Sedi immediate subjectas. Tomus secundus complectitur Ecclesias Æmiliæ, Flaminiæ, Piceni, & Umbriæ. Tomus tertius complectitur Ecclesias Etruriæ. Tomus quartus exhibet Ecclesias Insubriæ, Liguriæ, & Pedemontis. Tomus quintus continet Ecclesias Fori julii & Venetorum Dominii. Tomus sextus complectitur Ecclesias Campaniæ, Aprutii, & Hirpinorum. Tomus septimus Ecclesias Basilicatæ, Apuliæ & Pecuariæ. Tomus octavus continet Ecclesias Samnii. Tomus nonus complectitur Ecclesias *Solantinorum* & Calabriæ. *Paulus Pezron*, natione Gallus, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, & tum sacræ, tum prophanæ eruditionis laude clarissimus Abbas, Gallice scripsit librum cui titulus est: *Antiquitas Temporum restituta & defensa contra Judæos, & modernos Chronographos*: *Defensionem Antiquitatis Temporum*: *Commentarium Litteralem in Prophetas*: *Historiam Evangelicam*: & Librum *de Antiquitate Nationis & Linguæ Celtarum &c.* Ex Religiosissimo Ordine Monachorum Carthusianorum, qui hominum consortia fugiunt, avias solitudines persequuntur, locos inaccessos incolunt, & Urbanis negotiis procul, inter Saxorum asperitates, & impendentium montium altitudines ferme inhabitant, & soli Deo, rerumque cælestium meditationi jugiter vacant, unum duntaxat celebrem Scriptorem, videlicet *Natalem d'Argonne*, Carthusianum, natione Gallum, hic compellabo, in lectione Operum Sanctorum Patrum assiduum, & in eorum doctrina adeo exercitatum, ut luculentissimum librum, omnibus Viris eruditis probatum, Gallice scripserit, in quo docet modum, seu Methodum legendi Opera Sanctorum Patrum; indicat Disciplinas, quarum notitia necessario instructi esse debent hi, qui Sanctorum Patrum Opera fructuose legere cupiunt, omnesque adhortatur, ut relictis vanis illis quæstionibus, quæ in Scholis dissensiones pariunt, sanam Theologiam, ex Sanctorum Patrum operibus, quæ Theologi nocturna diurnaque manu versare debent, haurire satagant, iisdem-

iisdemque argumentis Hæreticos omnesque Fidei Catholicæ hostes confodiant, quibus usi sunt Sancti Patres, quorum doctrinæ, ceu sacræ anchoræ, firmiter ac indivulse adhærere debemus. Sed satis hactenus de Scriptoribus Monachis dictum sit.

D. Dum illam pene incredibilem clarissimorum Scriptorum, qui Sæculo XVII. e statu Monastico, præsertim e Benedictinorum Congregatione S. *Mauri* in Galliis, velut ex amplissima virtutum omnium ac Disciplinarum Schola, prodierunt, multitudinem conspicio, videre mihi videor Davidis illam Turrim, ex qua, ut ajunt sacræ Paginæ, *mille clypei pendent, omnis armatura fortium*. Nunc vero ad septimam Virorum illustrium Sæculi XVII. Classem, in qua de Familiæ Dominicanæ Scriptoribus differendi onus suscepisti, progrediamur; & ne in immensum diffundamur, eos, si placet, percense duntaxat Scriptores, qui eo Sæculo in Ordine Fratrum Prædicatorum celebriores fuerunt.

M. Quamvis laus propria proprio sordescat in ore & calamo, necesse tamen est, ut Familiæ Dominicanæ, cui nomen dedisse eximiæ felicitatis & summo semper honoris loco ducam, nobiliores Sæculi XVII. Scriptores in medium producam, qui Fidem Catholicam adversus Hæreticos totis ingenii & eloquentiæ suæ viribus propugnarunt, atque maximum Reipublicæ Litterariæ perdoctis suis lucubrationibus splendorem contulerunt. Scriptores itaque Ordinis Prædicatorum laudans, domestica quidem prædicabo, sed ut verbis utar S. *Gregorii Nazianzeni* in Oratione Funebri in laudem sororis suæ Gorgoniæ, *non tamen quia domestica, ideo falso, sed quia vera, ideo laudabiliter: Vera autem, non modo quia justa, verum etiam quia nota. Quocirca non hoc vereor, ne ultra veritatis metam prosiliam, sed illud contra, ne infra veritatem subsistam, ac procul a rei dignitate remotus laudatione mea gloriam* ipsorum *imminuam*; quandoquidem difficile est tum res gestas, tum lucubrationes ab ipsis editas laudum ornamentis adæquare. Incipiam porro a Cardinalibus & Episcopis; deinde laudabo eximios Scriptores, Antiquitatis cum Græcæ, tum Latinæ, & Historiæ Ecclesiasticæ peritissimos; postremo, referam innumeros pene Theologos Scholasticos, quos Sæculo XVII. peperit Prædicatorum Ordo. Quinque Cardinales Ordinis Prædicatorum doctrina & pietate præstantissimi Sæculo XVII. in Ecclesia præfulserunt, videlicet *Vincentius Maculanus*, *Raymundus Capisuccus*, *Vincentius Maria Ursinus*, *Vincentius Maria Ferrari*, & *Thomas Howardus*, Dux Norfolciæ in Anglia. Primus, seu *Vincentius Maculanus*, Cardinalis fuit adeo doctus, totque præclaris dotibus exornatus, ut post obitum *Urbani* VIII. a pluribus Cardinalibus ad Pontificatum fuerit expetitus. Eo tamen renuente, Summus Pontifex electus est *Joannes Baptista Pamphilius*, dictus *Innocentius* X. At mortuo *Innocentio X.* in novis comitiis iterum a bene multis Cardinalibus in Pontificem propositus est. Sed, eo Pontificatum pertinaci modestia recusante electus est Pontifex Maximus *Fabius Chisius*, dictus *Alexander* VII. sicut jam in Colloquio secundo observavimus. Plura de *Vincentio Maculano*, Cardinali Tituli *Sancti Clementis*, legesis in ejus Vita, quæ extat Tomo IV. de Vitis Romanorum Pontificum, in Pontificatu *Urbani* VIII. qui eum creavit Cardinalem. *Raymundus Capisuccus*, antea Sacri Palatii Apostolici Magister, postea ad Purpuram assumptus, Vir fuit omni laude dignus, in adversis æque ac secundis sibi semper constans. Scripsit *Quæstiones Morales & Dogmaticas* cum Dissertatione *de Hæreticis Prædestinatianis*, Tomo in folio comprehensas. Publicavit quoque alterum Tomum in folio *de Selectis Controversiis Theologicis*. De illius Cardinalis natalium splendore nihil in præsentia dicam. Nemo quippe nescit, nisi cui nostri, & superiorum temporum ignota est Historia, Familiam *Capisuccorum* Romæ pervetustam, & Heroum esse feracissimam, Infulis, Armis, & Litteris illustrium, qui domi forisque rem Christianam tutati sunt; Ecclesiæ Romanæ Cardinales, Sedis Apostolicæ Legati, Senatores Romani, Exercituum Præfecti, qui Fidem Catholicam adversus Hæreticos in Gallia, & Belgio, adversus Turcas in Hungaria propugnarunt. Sed necesse non est Cardinali *Capisucco*, partis proprio labore bonis opulento, & laudibus ornato, aliena a Majoribus decora asciscere, quæ illi suppetunt copiosissima. *Vincentius Maria Ursinus*, Cardinalis & Archiepiscopus Beneventanus, ex illustrissima & antiquissima Ducum Familia oriundus, & eximia pietate, atque singulari doctrina insignis, publica luce donavit Conciones de Vita Beatissimæ *Mariæ* Virginis, quas ipse in Ecclesia Beneventana diebus Sabbathi ad populum habuit. Edidit etiam idem Cardinalis Lectiones in *Exodum*, plures Epistolas Pastorales, Decreta, Statuta, & triginta quatuor Synodos, quas hactenus celebravit, & singulis annis indicere solet, ut Disciplinam Ecclesiasticam, cujus studiosissimus est, sartam tectam in sua amplissima Diœcesi conservare possit. Vivit adhuc ille doctus juxta ac pius Cardinalis, qui præclaris suis virtutibus, præsertim modestia, profusa erga pauperes charitate, zelo Apostolico, jugi pœnitentia, rerum mundanarum contemptu, & diuturna rerum gravissimarum tractatione collecta, & exercita prudentia, omnium in se oculos & ora convertit, totiusque Prædicatorum Ordinis præsidium est, decus & ornamentum. Ceteri duo, quos nominavi Cardinales, nimirum *Vincentius Maria Ferrari* natione Italus, & *Thomas Howardus*, gente Anglus, ex illustrissima prosapia ortus, quamvis nihil litteris mandarint, cum laude tamen memorandi veniunt ob egregia in Ecclesiam promerita, quæ etiamnum Romæ bene multi, eorum pietatis ac eruditionis testes locupletissimi, summis laudibus extollunt. Prodierunt ex Ordine Fratrum Prædicatorum Sæculo XVII. innumeri pene Episcopi, qui sublimitate doctrinę, sanctitate morum, in gerendis negotiis solertia, in obeundis sacri Ministerii Officiis vigilantia, in animis Regum, & Procerum conciliandis gratia & rerum gestarum magnitudine, populi, quos rexerunt, venerationi & amori fuerunt.

In

In Galliis unum instar plurium laudabo *Nicolaum Coeffetæum*, Episcopum Massiliensem, quo Lingua Vernacula, seu Gallica, & Latina nemo Calvinianam Hæresim impugnavit validius feliciusque, addo etiam majori elegantia aut modestia. Non dicam, illum inter primos accenseri, qui Linguam Gallicam, antea situ & antiquatis verbis horridam, excoluit, & sermonis elegantia eruditioni adjuncta scripsit disertissime Gallico idiomate *Historiam Romanam*: *Effigiem humanarum passionum*: *Quæstiones* etiam *Theologicas* Gallico itidem eloquio eleganter exposuit, ex prima Parte Summæ Tripartitæ *S. Thomæ* Aquinatis excerptas. Sed præter hæc & alia Ascetica Opera, *Nicolaus Coeffetæus*, egregius Hæresum debellator, non minus erudito & eleganti Opere Latino *Marcum Antonium de Dominis*, Religionis Catholicę Apostatam, aggressus est, sed immatura mors eum annos natum undequinquaginta præripuit, Opusque, seu *Apologiam Sacram pro Ecclesiastica Monarchia*, quam contra hunc Apostatam pseudo-Archiepiscopum Spalatensem adornabat, intercepit. Quo certe Opere nullum in hoc genere præstantius extaret, si licuisset absolvere. Edidit quoque *Nicolaus Coeffetæus* Responsionem ad exitiosum librum, cui titulus erat: *Mysterium iniquitatis* contra *Philippum Mornæum*, Hæreticum Calvinistam: & *Mirabilia Eucharistiæ*; ubi invicte asserit ac demonstrat realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam contra *Petrum Molinæum*, Hæreticum Calvinianum. Denique non minus modestiæ & prudentiæ, quam eruditionis & eloquentiæ gloriam sibi comparavit ea *Responsione* ad Regis Angliæ *Jacobi I.* ad omnes Reges *Commonitoriam Epistolam* contra Summum Pontificem, in qua vi argumentorum Fidei & Ecclesiæ causam tutatur, salva Regiæ Majestatis reverentia, ut longe recesserit ab eo vitio, in quod plurimi ante ipsum impegerant, qui ejusdem Regis Scripto responderant. At *Coeffetæus* ita stylum temperavit, ut ipsimet Regi Angliæ, quem arguebat, illæsa causa & dignitate inter humanas suprema, summe placuerit. *Nicolao Coeffetæo* alium ejusdem Ordinis Prædicatorum adjungam Archiepiscopum Narbonensem *Ludovicum de Vervins*, Virum doctissimum & Disciplinæ Regularis observantiæ tenacissimum, qui per plures annos Ecclesiam Narbonensem cum maximo ovium sibi creditarum fructu sanctissime texit, & Concilium Provinciale, sicut in superiori Colloquio observavimus, anno 1609. celebravit, in quo saluberrima Statuta ad sanciendam Ecclesiæ Disciplinam promulgavit. Præter illos duos insignes Ordinis Prædicatorum Episcopos natione Gallos, alii quinque fuerunt ejusdem Ordinis Viri illustres, qui, licet natione Itali, quodque singulari observatione dignum est, ejusdem Conventus, Romani scilicet *S. Mariæ super Minervam*, fuerint Alumni, ad Episcopales tamen Infulas in Galliis provecti sunt, ibique magnum apud Viros eruditos sibi nomen pepererunt. Primus, est *Michael Mazarinus*, patria Romanus, *Julii Mazarini*, Cardinalis, & primi Galliarum Regis Ministri, germanus frater, qui ex Magistro Sacri Palatii Archiepiscopus Aquensis in Galliis ab *Urbano* VIII. Pontifice Maximo institutus, dein, Cardinalis ab *Innocentio X.* creatus, tandem a *Ludovico* XIV. Galliarum Rege, apud Sedem Apostolicam Orator Regius ordinarius delectus, obiit Romæ anno MDCXLVIII. ætatis suæ XLIII. & in Ecclesia Fratrum Prædicatorum *S. Mariæ* super Minervam sepulturæ mandatus est. Alter Dominicanus Conventus S. *Mariæ* super Minervam Alumnus, est *Hyacinthus Serronius*, qui Albiensis in Galliis primus Archiepiscopus fuit, & gravissimis Regni negotiis a Christianissimo Rege *Ludovico* XIV. admotus. Tres alii Dominicani, Conventus pariter S. *Mariæ* super Minervam Alumni, sibi in Archiepiscopatu Avenionensi successerunt, videlicet *Stephanus Dulcius*, *Dominicus de Marinis*, qui edidit in summam S. *Thomæ* Commentarium in quatuor Tomos distributum, & *Hyacinthus Libelli*, antea Sacri Palatii Apostolici Magister, & in penetrandis ac dilucidandis difficilioribus Theologiæ quæstionibus maximo ingenii acumine præditus. Episcopos Ordinis Prędicatorum doctrina & pietate conspicuos, qui Sęculo XVII. varias Italiæ Ecclesias rexerunt, referunt *Ferdinandus Ughellus in Italia Sacra*, & post ipsum noster *Vincentius Maria Fontana* in suo *Theatro Dominicano*; ipse vero, ut brevitati studeam, duos tantum proferam, scilicet *Josephum Ciantem*, & *Raphaelem Mariam Philamundum*. Primus, seu *Josephus Ciantes*, patria Romanus, Linguæ Hebraicæ peritissimus, per quatuordecim annos fuit Romæ Judæorum Concionator eximius, postea ab *Urbano* VIII. Pontifice Maximo, Marsicensis Episcopus renunciatus. Scripsit Italice plures Epistolas & Opuscula, & in sermonem hebraicum vertit Opus S. *Thomæ Aquinatis* contra Gentes. *Raphael Maria Philamundus*, Casanatensis Bibliothecarius, ob eximiam pietatem cum singulari doctrina conjunctam, a *Clemente* XI. Pont. Max. ad Episcopatum Sinuessanum in Regno Neapolitano promotus, præter quædam Opuscula Italice scripta, edidit Latinum Opus, Concionatoribus utilissimum, cui titulus est: *Theo-Rethorica Idea*. De Episcopis Italiæ Ordinis Prædicatorum nihil amplius addam, sed si de his plura desideres, præter *Ughellum*, & *Fontanam*, quos jam laudavi, consulere poteris *Diarium Dominicanum*, quod vulgavit *Dominicus Maria Marchesius*, Scriptor Italus Ordinis Prædicatorum, qui ab *Innocentio* XI. Pontifice Maximo institutus est Episcopus Puteolanus. Scripsit & idem noster *Marchesius Theologiam Bipartitam*, & alia Opera. Denique, ut breviter me expediam a Viris illustribus Ord. Prædicatorum, qui Sæculo XVII. in Hispania ad Episcopatum fuere assumpti, duorum duntaxat hic mentionem faciam, nimirum *Petri de Herrera*, & *Petri de Godoi*, quorum primus, Episcopus Canariensis fuit, & Theologiam Scholasticam egregiis Commentariis, quæ Romæ in Ordinis Archivo asservantur, illustravit. Scripsit etiam in universam Scripturam Sacram *Expositiones Litterales & Morales*, quę teste *Vincentio Maria Fontana*, in Theatro Dominicano, in Conventus Salmantini Archivo adhuc MSS.

MSS. servantur. Alter, seu *Petrus de Godoi*, Episcopus Oxomensis, Disputationum, quas instituit in Summam Sancti *Thomæ*, subtilitate omnes sui Sæculi Theologos Scholasticos facile superavit, ac longo post se intervallo reliquit.

D. Cedo nunc, si placet, Scriptores Ordinis Prædicatorum, qui Sæculo XVII. nulla Ecclesiastica dignitate insigniti, libros Historicos, vel Polemicos ediderunt, aut in Operibus Scriptorum cum Græcorum, tum Latinorum illustrandis egregiam operam navarunt.

M. Recensebo in primis *Abrahamum Bzovium*, natione Polonum, qui anno MDXCIX. vita functus, fœcundissimi ingenii sui perplura reliquit monumenta, sed præcipue Ecclesiæ Annalium ab anno Christi MCXCVIII. ubi desiit Cardinalis *Baronius*, continuationem usque ad sua tempora. Alterum Opus scripsit *Bzovius*, cui hunc titulum dedit: *Pontifex Romanus*, in quo fastigium Apostolicæ Sedis per ejus titulorum accuratam seriem ad summum potestatis, honoris & dignitatis apicem evexit, aliaque doctissima lucubravit Opera. *Theophylus Raynaudus* asserit, Historiæ Ecclesiasticæ Tomos, quos edidit noster *Abrahamus Bzovius*, esse potius Annales Dominicanorum quam Ecclesiasticos, quia *Bzovius* totus est in rebus domesticis efferendis ac dilatandis. Sed si *Theophylus Raynaudus* legisset Annales Ecclesiasticos ab *Odorico Raynaldo* editos, omni procul dubio non damnasset *Bzovium*, quasi in rebus domesticis efferendis nimium; nam extranei Auctores, & Historici tot ac tanta de Prædicatorum Ordine, ejusque Viris illustribus scribunt, ut ipse multa ab iis mutuari coactus fuerim, quæ ab illius Ordinis Annalistis, in suis rebus conscribendis certe non diligentissimis, invenire minime potui. Quæcumque autem de Ordine Prædicatorum, ejusque Scriptoribus *Odorjcus Raynaldus*, aut *Abrahamus Bzovius* scripserunt, sunt compertissima, nec debuit *Bzovius* tacere Ordinis sui decora, quæ ratio Historiæ, ac temporis necessario ferebat, & quæ in oculis totius Orbis gesta sunt. Plura videsis apud nostrum *Nicolaum Jansenium*, qui *Abrahami Bzovii* vindicias suscepit. *Alphonsus Ciaconius*, natione Hispanus, Antiquitatis Ecclesiasticæ studiosissimus fuit, & *Gesta duodecim Gregoriorum Romanorum Pontificum a se collecta* publicavit. Scripsit etiam *Tractatus de liberatione Animæ Trajani a S. Gregorio Magno: de S. Hieronymi Cardinalitia dignitate: de signis S. Crucis: Vitas & Gesta Romanorum Pontificum*. Hoc ultimum Opus, morte interceptus, absolvere haud potuit noster *Alphonsus Ciaconius*, sed illud prosecuti sunt *Franciscus Cabrera*, qui historicam Romanorum Pontificum seriem usque ad Pontificatum *Clementis IX.* protraxit. Deinde *Hieronymus Alexander*, *Andreas Victorellus*, *Wadinghus* Minorita, *Cæsar Becillus*, Congregationis Oratorii Presbyter, *Ferdinandus Ughellus*, *Augustinus Oldoinus*, Societatis Jesu, & alii Viri præstantissimi huic utilissimo *Alphonsi Ciaconii* Operi ultimam manum magna cum laude sui nominis admoverunt. Testatur doctissimus *Mabillonius* in suo *Itinerario Italico*, se in Bibliotheca Chisiana invenisse *Alphonsi Ciaconii* Litteras, ex quibus liquet, eum duo alia scripsisse Opera, quæ hactenus inedita sunt, videlicet *Tractatum de Antiquitatibus Romanis cum Figuris*, & *Bibliothecam omnium Scriptorum*. Linguarum peritia clarus *Thomas Malvenda*, natione Hispanus, novam Veteris Testamenti Versionem Latinam ex Textu Hebræo adornavit, ac Notis illustravit. Duo insuper curiosa & erudita edidit Opera, unum *de Paradiso Terrestri*: alterum *de Antichristo*, in XI. libros distributum, ubi de signis, quæ adventum Antichristi antevertere debent, de ejus ortu, patria, vita, vitiis, doctrina, miraculis, & interitu late disserit. Condidit etiam Annales Familiæ Dominicanæ *Michael Wanslebius*, linguarum Orientalium callentissimus, ex Ægypto & Cypro multa Volumina, auspice Viro clarissimo *Joanne Baptista Colberto*, Regis Christianissimi *Ludovici* XIV. primo Ministro, emit Regiis impensis, eaque Lutetiam transmisit, ut in Bibliothecæ Regiæ, jam Orientalibus Codicibus refertissimæ, Censum inferrentur. Scripsit Gallice *Historiam Ecclesiæ Alexandrinæ: Brevem Relationem de rebellionibus, & cruentis Bellis in Æthiopia excitatis*: edidit etiam *Jobi Ludolphi* Lexicon, & de rebus Æthiopicis Opuscula. Nostri *Michaelis Wanslebii* honorificam mentionem facit *Eusebius Renaudotius* in Præfatione ad suam *Historiam Patriarcharum Alexandrinorum*. Novam in Historia cum Sacra tum Ecclesiastica illustranda methodum sectatus est *Natalis Alexander*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, natione Gallus, concinnavitque *Historiam Ecclesiasticam Veteris & Novi Testamenti ab Orbe condito usque ad* an. MDC. *& in loca ejusdem insignia Dissertationes Historicas, Chronologicas, Criticas & Dogmaticas*. Edidit quoque *Theologiam Dogmaticam & Moralem*, juxta ordinem Catechismi Romani, duobus Tomis in Folio comprehensam: item *Institutionem Concionatorum: Expositionem Litteralem & Moralem in quatuor Evangelistas: Commentarium in Epistolas S. Pauli*, & quædam Opuscula tum Latino, tum Gallico idiomate conscripta. *Jacobus Hyacinthus Serry*, natione Gallus, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, & in Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Academia Patavina Theologus Primarius, insignem Historiæ Ecclesiasticæ partem dilucidavit, & in apertam lucem produxit, elegantissimo edito Opere, cui titulus est: *Historia Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ sub Summis Pontificibus Clemente* VIII. *& Paulo* V. in quinque libros distributa in nova Editione Antuerpiæ, quæ prodiit an. MDCCIX. Scripsit etiam in defensionem doctrinæ Sanctorum *Augustini*, & *Thomæ* luculentissimas Apologias, quarum hi tituli sunt: *Augustinus Vindicatus: Schola S. Thomæ Vindicata*. Novissime vero, seu an. MDCCXIX. publici Juris fecit Dissertationes sexaginta sex cultiori stylo elaboratas, *de Christo ejusque Virgine Matre*. In illustrandis Scriptorum Græcorum Operibus egregiam operam posuerunt tres celebres Dominicani, natione Galli, & linguæ Græcæ peritissimi, videlicet *Franciscus Combefisius*, *Jacobus Goar*, *& Mi-*

& *Michael le Quien*. Primus, seu *Franciscus Combefisius*, cujus in vertendis Scriptorum Græcorum Operibus, utriusque linguæ Latinæ, & Græcæ peritiam, diligentiam, eruditionem cum pari fide conjunctam mirantur omnes Viri eruditi, edidit *Basilium magnum ex integro restitutum*: *Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ novum Auctarium*: *Auctarium novissimum cum Notis*: *Origines Rerum Constantinopolitanarum cum Latina Versione & Notis*: *Manuelis Calecæ Operum Latinam interpretationem*: *Historiæ Byzantinæ Scriptorum post Theophanem Latinam Versionem*: *Tractatuum S. Chrysostomi Latinam interpretationem*. Notas in *Theophanem*, in *Leonem Grammaticum*, in *Amphilochium*, *Methodium*, *Andream Cretensem*, & in S. *Maximum*, Scriptores Græcos. Scripsit etiam *Combefisius* Historiam Monothelitarum, & alia Opuscula. *Jacobus Goar*, in libris & Ritibus Græcorum versatissimus, vulgavit *Euchologium*, sive Rituale Græcorum, doctissimis Notis ac Dissertationibus illustratum: Notas quoque scripsit in Græcos Scriptores *Cedrenum*, *Theophanem*, & in *Georgium Syncellum*, cujus *Chronographiam Græco-Latinam, ab Adamo usque ad Diocletianum Imperatorem, una cum Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Breviario Chronographico ad Theophilum Imperatorem*, *Parisiis in Typographia Regia* edi curavit. His duobus Familiæ Dominicanæ Scriptoribus doctrina & linguarum peritia inferior non est eruditissimus P. *Michael le Quien*, quippe qui eorum vestigiis insistens, præter quædam Opuscula in defensionem Textus Hebræi contra *Paulum Pezronum*, Abbatem Cisterciensem, cujus superius memini, Gallice edita, adornavit insuper novam & cæteris aliis longe accuratiorem *S. Joannis Damasceni* omnium Operum, quæ extant, & ejus nomine circumferuntur, Editionem doctissimis præviis Dissertationibus & Annotationibus illustratam, quæ duobus Tomis in Folio comprehensa prodiit Parisiis anno 1712. Aliud, omnium Litteratorum votis experitum, Opus, cui Titulus est: *Christianus Oriens*, typis Parisiensibus nunc mandat Vir ille Clarissimus & toti Orbi Litterario notissimus. Virorum Illustrium Ordinis Prædicatorum seriem, Opera, ac res præclare gestas descripserunt quatuor ejusdem Ordinis Scriptores, videlicet *Ambrosius Altamura*, Italus, in sua *Bibliotheca Dominicana*, *Vincentius Maria Fontana*, Italus, in suo *Theatro Dominicano*, *Joannes Michael Cavalieri*, Italus in Opere Italico, quod inscribitur *Galleria*. Sed his nuperrimus ejusdem Ordinis Prædicatorum Scriptor & styli elegantia & accuratiori Criterio palmam præripuit *Jacobus Echardus* natione Gallus, qui duos Tomos in Folio *de Viris Illustribus* Familiæ Dominicanæ, summo omnium virorum eruditorum applausu exceptos, publicavit. Contra *Theophilum Raynaudum*, Apologias elegantissimas adornarunt duo Ordinis Prædicatorum Scriptores, natione Galli, *Vincentius Casala* in libro, cui titulus est: *Candor Lilii*, & *Vincentius Baronius* in libris quinque Apologeticis. Edidit quoque idem *Vincentius Baronius* Theologiam Moralem *adversus Laxiores Probabilistas*: *Manuductionem ad Theologiam moralem Ethicam Christianam*, & quædam Opuscula & Epistolas contra *Joannem Launojum*, Doctorem Sorbonicum. In Theologia Polemica excelluit noster *Dominicus Gravina*, Italus, qui *Catholicas Proscriptiones adversus omnes Veteres & nostri temporis Hereticos* edidit, & Tractatus Polemicos *de Notis Ecclesiæ*, *& de Supremo Controversiarum Judice*. Extat adhuc ejusdem, *Dominici Gravinæ*, liber Apologeticus, qui inscribitur: *Turturis Vox*, ubi in defensionem antiquorum Ordinum Regularium accurate expendit, & solide ac modeste refellit librum a *Bellarmino* editum *de Gemitu Columbæ*, adversus Hæreticos *Quietistas*, seu impuri *Michaelis de Molinos* discipulos. *Antonius Massoulié*, natione Gallus, doctrina & pietate conspicuus, meusque in Officio Theologi Casanatensis perillustris decessor, *Tractatum* Gallice scripsit *de amore Dei*: *Tractatum de vera Oratione*. Latine vero ad defensionem doctrinæ Scholæ *Sancti Thomæ* de Gratia se ipsa efficaci, edidit Romæ duos Tomos in Folio, quorum titulus est: *D. Thomas sui Interpres*. Alia etiam Gallice Ascetica Opera, præsertim *Meditationes Sancti Thomæ*, *& Tractatum de Virtutibus Religiosis* composuit idem celebris Scriptor, linguæ Hebraicæ peritus, & Vitæ Religiosæ adeo amans, ut oblatum sibi a Serenissimo Magno Etruriæ Duce Episcopatum, quod insignem Judæum ad Christi Fidem adduxisset, pertinaci modestia recusaret. In recensendis & illustrandis Sac. Ord. FF. Præd. Scriptoribus, eorumque colligendis Operibus diu insudavit noster *Jacobus Quietif*, natione Gallus, qui tamen, inopinata morte sublatus, suscepto Operi ultimam manum admovere haud potuit, publicavit tamen Opuscula & Epistolas *Petri Morini*, natione Galli, Patria Blesensis, cujus superius mentionem fecimus, & Epistolas Asceticas, ac Vitam nostri *Hieronymi Savonarolæ*, natione Itali, patria Ferrariensis, & singula Acta, Epistolas, Diplomata, Instrumenta publica, Apologias, Scriptorumque monimenta, quæ ad ejusdem *Savonarolæ* vitam spectare possunt. Pro defensione Doctrinæ Scholæ *Sancti Thomæ* de Gratia se ipsa efficaci, & prædestinatione gratuita nomen suum celebrarunt, ac feræ posteritati consecrarunt quinque illustres Scriptores Dominicani, videlicet *Thomas de Lemos*, *Didacus Alvarez*, *Antonius Reginaldus*, *Hieronymus Baptista de Lanuza*, *& Joannes Gonzales de Leon*. Primus, seu *Thomas de Lemos*, Hispanus, ex illustri Comitum stirpe oriundus, Prædicatorum Ordini nomen dedit, & in eo pietatem ac Litteras adeo coluit, ut religiosissimi æque ac eruditissimi famam apud suos & exteros obtinuerit. Solemnium Disputationum *de Auxiliis* coram *Clemente* VIII. & *Paulo* V. habitarum pondus pene omne magna cum laude sustinuit. Præ nimia lectionis defatigatione, provectaque ætate, triennio ante mortem pene cæcutiit, adeo ut vix sine miraculo quotidie sacrum faceret. Obiit anno ætatis suæ LXXXIV. die XXIII. mensis Augusti anni MDCXXIX. Composuit *Thomas de Lemos* Panopliam Divinæ Gratiæ, quæ, post ejus obitum, quatuor Tomis comprehensa typis edita est Leodii

Leodii anno MDCLXXVI. Hojus Thomæ de Lemos *Panoplia Divinæ Gratiæ* Autographum extat etiamnom Romæ in Archivio Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum. Præter hanc Divinæ Gratiæ panopoliam ſcripſit *Thomas de Lemos* Acta Diſputationum coram Summis Pontificibus habitarum ab anno MDCII. ad annum MDCVI. quæ Lovanii anno 1602. edita ſunt hoc titulo: *Acta omnium Congregationum, & Diſputationum, quæ coram Sanctiſſimis Clemente VIII. & Paulo V. Summis Pontificibus celebratæ ſunt in Cauſa & controverſia illa magna de Auxiliis Divinæ Gratiæ. Quas Diſputationes ego F. Thomas de Lemos ſuſtinui Lovanii apud Ægidium. Denique anno 1702.* ejuſdem *Thomæ de Lemos* Acta ſeu *Hiſtoriam Congregationum de Auxiliis*, publica luce donavit doctiſſimus quidam Canonicus Regularis Congregationis S. *Genovefæ* in Galliis. Præiverat in Congregationibus de Auxiliis coram *Clemente* VIII. & *Paulo* V. habitis noſter *Didacus Alvares*, Hiſpanus, qui primum in arenam cum Patribus Societatis diſputaturus deſcendit, & in cujus locum poſtea ſuffectus eſt *Thomas de Lemos*. Ad Archiepiſcopatum Tranenſem provectus eſt *Didacus Alvares*, & plura ſcripſit Opera *de Auxiliis Divinæ Gratiæ*, & de his, quæ Gratiæ neceſſitatem & concordiam cum divina Præſcientia ſpectant. Inſtituit etiam diſputationes in Primam Secundæ *S. Thomæ*, *& de Incarnatione Verbi Divini*, ac de aliis id genus Theologicis argumentis. *Antonius Reginaldus*, natione Gallus, Doctrinæ Scholæ *S. Thomæ* acerrimus fuit defenſor, edidit que Tomum io Folio, cui titulus eſt: *Mens Concilii Tridentini circa Gratiam ex ſeipſa efficacem*, ubi ſexcenta ferme adducit momenta, quibus Gratiam ſe ipſa efficacem a Tridentinis Patribus agnitam probat. Auctor eſt quoque idem *Reginaldus* Quæſtionis *Hiſtoricæ*, *Theologicæ*, *ac Juris Pontificii*, necnon *Compendii Doctrinæ S. Thomæ*. Non minus ardenti animo Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci urgeodam ſuſcepit *Hieronymus Baptiſta de la Nuza*, Hiſpanus Provinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum Provincialis Præfectus, emunctæ naris homo, ac non multo poſt, pro egregiis meritis ad Albaraſcinenſem Epiſcopatum aſſumptus, cujus etiam, ob eximia virtutum merita, Canonicam Apotheoſim omnes Regni Aragoniæ Ordines ab *Innoc.* XI. Pontifice Max. poſtularunt. Is, inquam, *Philippo II.* Hiſpaniarum Regi, ac Sacris Fidei Quæſitoribus libellum ſupplicem obtulit, pro defenſione Gratiæ ex ſe ipſa efficacis. Qui quidem libellus ſupplex, publici Notarii fide munitus Romæ in Archivio Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum adhuc aſſervatur, eumque iotegrum exhibet doctiſſimus ooſter *Hyacinthus Serry* pag. 33. *Appendicis Hiſtoriæ*, quam elegantiſſimo ſtylo concinnavit, *Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ*, Editionis Antuerpiæ anni MDCCIX. Non ſolum doctiſſimus Theologus, verum etiam eximius Concionator fuit *Hieronymus Baptiſta de la Nuza*, quippe qoi Sanctorum Patrum gravitatem & eloquentiam revocavit, reſque divinas Apoſtolica majeſtate pro concionibus tractavit, ut videre eſt in ejus *Sermonibus Quadrageſimalibus*, qoi apud æquos rerum æſtimatores io magno pretio habentur. Quintus, quem protuli, Doctrinæ S. Thomæ de Gratia ſe ipſa efficaci viodex ac defenſor, eſt *Joannes Gonzales de Leon*, natione Hiſpanus, & olim in Collegio Conventus Minervitani Ordiois Prædicatorum ſtudii Regens, qui eruditum ſcripſit *Controverſiarum de Auxiliis* librum, qui nuperrime, ſeu anno MDCCVIII. Leodii typis editus, publicam lucem adſpexit. His quinque clariſſimis Doctrinæ S. *Thomæ* de Gratia ſe ipſa efficaci defenſoribus adjungam *Seraphinum Piccinardi*, natione Italum, & in Academia Patavina Theologiæ Profeſſorem, qui, præter *Dogmaticam* quam edidit *Philoſophiam*, ſcripſit *de Approbatione Doctrinæ S. Thomæ: & de novitio Opere, quod inſcribitur, Prædeſtinatus*. Inter defenſores doctrinæ *S. Thomæ* de gratia ſe ipſa efficaci annumerari non debent duo degeneres Familiæ Dominicanæ Scriptores, *Thomas Campanella*, & *Joſephus a Vita*, ambo natione Itali, quorum primus, licet peritus fuerit Philoſophus, Aſtrologus, & Medicus, inferioris tamen ſubſellii extitit Theologus, ne dicam audacioris ingenii Vir, novitatibus plus æquo indulgens, & *Ariſtotelis* principiis adeo contrarius, ut Aſſertiones ejus omnes *Aſinitates* vulgo appellaret. A doctrina *S. Thomæ* receſſiſſe *Campanellam*, ac de Prædeſtinatione gratuita, & de Gratia ſe ipſa efficaci minus digne ſenſiſſe non diffiteor. Non deſunt tamen, qui ex libris, quos *Campanella* ſenior factus ſcripſit, evincont, illum, maturiori habita cooſideratione, tandem aliqnando reſipuiſſe, & præproperam in ſentiendo feſtinationem, qua in juvenili ætate in peregrinas & a Schola Sancti *Thomæ* alienas opiniones abreptus fuerat, caſtigaſſe. Alter domeſticus Scriptor, ſeu *Joſephus a Vita*, Siculus Calaxibettenſis, præſumptuoſus Auctor fuit, qui nimiæ ſingularitatis ſtudio impulſus, & temerariæ novitatis prurigine titillatus, librum procudit, quem totius Ord. FF. Prædicatorum Magiſter Generalis *Joannes Thomas de Rocaberti* die 31. menſis Octobris an. MDCLXXIV. tanquam fœtum abortivum, *inſipidum*, *vanum*, atque *inſulſum* proſcripſit, ejus Auctorem, *ineruditum Scriptorem*, *refractarium*, *ſuæ profeſſionis oblitum*, *domeſticam Ordinis Prædicatorum Scholam ineptiſſimis paradoxis evertere laborantem* pronunciavit, juſſitque omnibus Religioſis ejus curæ ac regimini ſubjectis, nt a prædicti libri lectione omnino abſtinerent. Hanc a Reverendiſſimo *P. Jo: Thoma de Rocaberti* in librum *Joſephi a Vita* latam Sententiam legeſis apud doctiſſimum noſtrum *Hyacinthum Serry* libro V. *Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ* Sect. III. Cap. XI. pag. 775. & ſeq. His duobus Familiæ Dominicanæ Scriptoribus, qui a Doctrina *S. Thomæ* de Gratia ſe ipſa efficaci receſſerunt, tertium ejuſdem Familiæ Scriptorem perperam nonnulli adjungunt, *Franciſcum Aravio*, natione Hiſpanum, eximium Theologum primariæ Cathedræ Salmantinæ Moderatorem, qui ob egregiam doctrinam ad Epiſcopatum Segovienſem aſſum-

assumptus est, quem tandem ardentiori paupertatis & vitæ solitariæ studio abdicavit. Verum hanc calumniam falsò impactam *Francisco Aravio* multis momentis depellit noster jam laudatus *Hyacinthus Serry*, qui libro IV. *Historia Congregationum de Auxiliis* cap. 27. & lib. 5. cap. 10. invictè probat, *Franciscum Aravio* in doctissimis Commentariis quos edidit in Summam *S. Thom.* revera admisisse gratiam se ipsa efficacem, ex voluntatis assensu minime pendulam, a sufficienti gratia re atque entitate plane distinctam, voluntatis assensum infallibiliter inferentem, nec tamen liberum hominis lædentem arbitrium.

D. Fueruntne Sæculo XVII. aliqui e Familia Dominicana Scriptores, qui errores *Cornelii Jansenii*, Episcopi Iprensis, ab Ecclesia proscriptos, publicis Scriptis confutarint?

M. Bene multi fuerunt Sæculo XVII. e Familia Dominicana Scriptores, qui doctissimas lucubrationes ad refellendos Jansenii errores in lucem ediderunt, quos inter præcipue censentur *Alexander Sybilla*, natione Belga, *Joannes Nicolai*, Gallus, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, in Sanctorum Patrum Operibus exercitatissimus, qui *Jansenii* Doctrinam acriter impugnavit. Edidit etiam doctissimus ille Scriptor Dominicanus varia Opuscula contra *Joannem Launojum*, Doctorem Sorbonicum, *de Plenario Concilio: de Jejunii Christiani*, & *Christianæ abstinentiæ ritu: omnia S. Thomæ Opera eruditis Notis illustravit*: Scripsit *de Ritu antiquo & moderno Bacchanalium*, plura cum Gallice, tum Latine Opuscula, & *Pantheologiam* nostri *Raynerii*, variis Notis & Observationibus auctam ac locupletatam, typis mandari curavit. *Bernardus Guiard*, natione Gallus, & Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, singularem edidit librum, in quo multa profert discrimina, quibus Schola nostra Thomistica longe lateque discrepat a proscripta *Jansenii* Doctrina. *Joannes Baptista Gonetus* Gallus, qui quinque Theologiæ Scholasticæ Tomos in folio concinnavit, luculentam adornavit Apologiam adversus quosdam æmulos Scholæ Thomisticæ obtrectatores, quos Jansenismi notam ei inurere non pudet. *Vincentius Contensonus*, natione itidem Gallus, qui Theologiam Scholastico-positivam duobus Tomis in folio doctò, eleganter juxta ac pie complexus est, egregiam sub finem primi Tomi instituit dissertationem, in qua magno animi æstu defendit Constitutionem *Innocentii Decimi* Pontificis Maximi adversus quinque *Jansenii* Propositiones latam, ibidemque ejusmodi Propositiones a *S. Augustino* & *Thoma Aquinate* fuisse prædamnatas, sole clarius demonstrat. Denique, in *Jansenium*, ejusque doctrinam calamum acuerunt e Familia Dominicana Scriptores Galli, quos superius laudavimus, videlicet, *Vincentius Baronius*, *Vincentius Casalas*, *Antoninus Reginaldus*, *Antoninus Massoulié*, *Hyacinthus Serry* in sua *Schola Thomistica Vindicata*, & *Natalis Alexander* in sua *Theologia Dogmatica & Morali*. Quo fit, ut ridendi potius sint, quam confutandi illi, qui Scholam Thomisticam, quæ famosas quinque *Jansenii* Propositiones, a Summis Pontificibus *Innocentio X.* & *Alexandro VII.* fulguritas, detestatur, Jansenismi insimulare non verentur. *Sed Calumnia* (ut verbis utar doctissimi Cardinalis *Josephi de Aguirre* in Præfatione Tomo I. *Collectionis Maximæ Conciliorum Hispaniæ* præfixa) *dum linguario oribus quorumdam injecto coerceri nequit, contemptu aut risu exsibilanda erit, juxta illud vetus adversus convicia injusta proverbium: Spreta exolescunt*. Hanc igitur Jansenismi notam sibi perperam a quibusdam æmulis obtrectatoribus impactam debet Schola Thomistica ludendo refellere, seria velut responsione indignam: quia, ut apposite ait *Tertullianus*, *multa sunt sic indigna revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati propriæ festivitas cedit: congruit & veritati ridere, quia lætans; de æmulis suis ludere, quia secura est*.

D. Absolve, si placet, seriem illustrium Scriptorum Ord. Prædicatorum, qui Sæculo XVII. aliquas lucubrationes ediderunt.

M. In immensum excrevit Sæculo XVII. Scriptorum Ordinis Prædicatorum numerus, ita ut de illis si aliqui singillatim differere velint, illud jure merito cum Poeta dicere possint: *Obruimur numero*. Paucos igitur, ut brevitati consulam, hic dumtaxat compellabo. In Hispania Commentarios in Summam *Sancti Thomæ* adornarunt *Joannes Gonzales de Albenda*, *Petrus Ledesma*, *Didacus Nunno*, *Marcus Serra*, *Vincentius Ferre*, quibus addam duos alios Scriptores natione etiam Hispanos, doctrina & pietate eximios, *Joannem a S. Thoma*, & *Petrum de Tappia*, quorum primus Confessarii Regis Catholici officio incorruptissime perfunctus est, & præter *Doctrinam Christianam*, seu Catechismum, quem edidit, utilissimum, & varias in linguas translatum, composuit quoque subtilissimum Cursum Thomisticum Philosophicum, & Commentarios in Summam *S. Thomæ*, in quibus subtilitate, studio, & eruditione supremum subtilitatis Scholasticæ apicem attigisse videtur. Alter, seu *Petrus de Tappia*, ob singularem eruditionem cum solida pietate conjunctam ad Episcopatum Seguntinum evectus, eo zelo Pastoralia munia obivit, ut Sanctissimos Antistites *Ambrosium*, & *Thomam Cantuariensem* in Juribus Ecclesiæ defendendis, *Nicolaum*, & *Martinum* parsimonia & charitate erga pauperes, omnique genere sanctitatis, in se expresserit. Ex quo intelligere potes, Dominicanos, quo peritiores, ideft, quo Doctrinæ *S. Thomæ* addictiores sunt, eo sanctiores moribus, eo in tractandis negotiis, & ad regimen animarum sapientia eminere, quia Summa *S. Thomæ* non solum est instructissimum adversus omnes Catholicæ Ecclesiæ hostes armamentarium, sed etiam Episcoporum, Confessariorum, & Concionatorum promptuarium perpetuum, Scripturæ Sacræ Commentarium, quæstionum, quæ ad mores pertinent, exactissima & tutissima Analysis decretoria. Prætermitto alios Clarissimos Scriptores Hispanos, Illustrissimum Dominum *Navarreta*, & *Joannem Baptistam de Morales*, qui de Cultu, Ritibus, & Cæremoniis Sinensium egregie admodum scripserunt. Prætermitto etiam

quosdam Ordinis Prædicatorum Scriptores Italos, qui Cursus Philosophicos, aut Commentarios in Summam S. *Thomæ* puros putosque Scholasticos ediderunt, quos inter censentur *Joannes Paulus Nazarius*, *Paulus Maria Cavinus*, & alii, quorum Opera, ut candide fatear, ne primoribus quidem labiis degustavi. At prætermittere non debeo quatuor Familiæ Dominicanæ Scriptores, Italos, nimirum *Petrum Mariam Passerinum*, *Franciscum Ghetium*, *Julium Mercorum*, & *Lud. Vinc. Gotti*. Primus, seu *Petrus Maria Passerinus*, Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, utriusque Juris peritissimus, præter Commentaria, quæ edidit in 3. P. Summæ S. *Thomæ*, scripsit *de electione Summi Pontificis: de Indulgentiis; in primum librum Sexti Decretalium: de Hominum statibus & officiis: de electione Canonica &c.* Alter, seu *Franciscus Ghetius*, utilissimum Opus in quatuor Tomos partitum lucubravit, cui titulus est: *Thesaurus Animæ ex Theologia Morali*: & alia Opera. Tertius Scriptor, seu *Julius Mercorus*, Inquisitor Papiensis, librum edidit de opinionum delectu, quem *Basim Theologiæ Moralis* inscripsit, & in eo probabilitatis doctrinam, qua minus probabilis & minus tutæ opinionis eligendæ venia datur, egregie diruit atque convellit, & quantum inde in mores flagitiorum fluxerit, & fluere in posterum possit, perdocte ostendit. Quartus Scriptor, seu *Ludovicus Vincentius Gotti*, male consarcinatum libellum, quem Italico Idiomate scripturivit Hæreticus *Piceninus*, tribus Tomis in quarto confutavit. Denique, in Gallia *Antonius Goudin*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, Cursum Philosophiæ Tomisticum edidit, ob latini sermonis puritatem, expeditamque methodum, Virorum eruditorum calculo maxime probatum: Cursus itidem Philosophiæ Thomisticos vulgarunt P. *Mailhat*, P. *Guerinois*, *Alexander Piny*, doctrina, subtilitate, & sanctitatis fama in Galliis notissimus, & *Nicolaus Arnu*, cujus extant etiam Commentaria in primam partem S. *Thomæ*, & Opus, cui titulus est: *Doctor Angelicus Divus Thomas Aquinas Divinæ Voluntatis & sui ipsius Interpres*. Theologiam Scholasticam edidit *Petrus Labat*, Cursum Theologiæ Thomisticum Theologico-positivum nuperrime aggressus est P. *Rabaudi*, cujus jam quatuor Tomi in lucem prodierunt. Plures libros contra Hæreticos scripsit P. *Boucquin*. Tractatus Morales ediderunt *Jacobus a S. Dominico*, P. *Mayol*, Provinciales Tolosæ, & novissime P. *La Fons*. Theologiam Scholasticam in VII. Tomos distributam composuit *Ludovicus Bancellus*, & alia Opera. Scriptorum Asceticorum, Ord. Prædicatorum, unum duntaxat laudabo *Franciscum Chauffemer*, Regi Christianissimo *Ludovico XIV.* a Concionibus, & Sacr. Facult. Parisiensis Doctorem Theologum, qui Gallice edidit librum *de Præparatione ad mortem*: & *Conciones de Mysteriis Domini Nostri Jesu Christi*, & Quadragesimales Conciones perdoctas & elegantes, quas reliquit manuscriptas. Missos facio plures Scriptores Gallos Ordin. Prædicatorum, qui e Collegio Parisiensi Sancti *Jacobi* prodierunt, quorum res præclare gestas Gallice descripsit P. *Mallet*, ejusdem Ordinis, in libro *de Viris illustribus Collegii S. Jacobi*. De Viris etiam illustribus Ord. Prædicatorum legesis egregium Opus *de anno Dominicano*, Gallice scriptum a doctissimo P. *Thoma Soveges*, & a variis ejusdem Ordinis Scriptoribus continuatum, necnon *Monumenta Tolosana*, quæ accurate collegit eruditus P. *Percin*, ejusdem Ordinis, quique etiam Auctor est *Historiæ Albigensium*. Sed silentio hic prætermittere non debeo insignem quemdam Scriptorem Anonymum, qui de Doctrina Scholæ Thomisticæ optime meritus, exiguum Opus paucis abhinc annis Gallico idiomate conscripsit, cui titulus est: *de L' Action de Dieu*, seu *de Operatione Divina*; ubi ordine Geometrico tam nervose & eleganter, tam copiose & dilucide evincit omni argumentorum genere, necessariam esse tam in statu naturæ innocentis, quam in statu naturæ lapsæ, ad omnes, & singulos actus seu naturales, seu supernaturales, Præmotionem, seu Prædeterminationem Physicam, ut omnibus Thomistis, qui eo de argumento hactenus tractarunt, palmam præripuisse, & huic implexæ satis quæstioni ultimam diem imposuisse videatur. Quocirca, mihi certe temperare haud possum, quin doctissimo huic Scriptori Anonymo, mihi aliunde prorsus ignoto, iisdem verbis, nomine totius Scholæ Thomisticæ, grates rependam, quibus Clerus Gallicanus clarissimo cuidam Theologo, sub *Petri Aurelii* nomine latitanti, qui Jura & auctoritatem Episcoporum egregiis publicatis Lucubrationibus contra quosdam æmulos obtrectatores strenue defenderat, gratias egit in Epistola, quam ad ipsum, incognitum licet, direxit, & in qua hæc habet Illustrissimus ille Clerus: Verum Dei Optimi Maximi providentia, qui Ecclesiam suam numquam sinit impune violari, extitit repente Hierarchiæ (*dicam ego, Scholæ Thomisticæ*) Vindex acerrimus, Vir omnibus notus, omnibus ignotus, & in ipso veræ avitæque Theologiæ sinu educatus, qui libris præstantissimis editis, errorum monstra gloriosissime jugulavit. Gallicana Ecclesia (*dicam ipse, Schola Thomistica*) tam eximio defensionis genere, Patrum dignitatem restitutam, adversariorum errores confutatos, calumnias dilutas, mendacia retecta, stultis denique secundum stultitiam illorum, ut Scriptura jubet, responsum fuisse, gaudet, gratulatur, exultat. Nescit quid potissimum in fortissimo propugnatore mirari debeat, an rerum Ecclesiasticarum eruditionem, Patrum, Conciliorum notitiam, an styli majestatem, & pugnæ accommodatam eloquentiam; an in eruendis adversariorum technis solertiam; an in erroribus refutandis rationum pondus; an in asserenda veritate candorem; an in explicandis mysteriis abstrusioribus ac divinioribus felicitatem; an spirantem erga Sponsam Christi amorem; an veram minimeque fucatam mentis humilitatem & gravitatem. Unum est, quod doleat; incompertum sibi adhuc esse, qua manu tot fortissima tela in hostes vibrentur, quaque ipse tam gloriose triumphet: qui occulte uni Deo militaverat, in occulto a Summo Imperatore coronari studuit. Non famam, non honorem, non gloriam aucupatus est,

non Orbi terrarum præclaris Lucubrationum titulis innotescere voluit. Magnum est tot præstantes libros edidisse, tot secunda prælia decertasse, tot veritatis hostibus altum silentium imposuisse. At longe maximum parta fama frui nolle. Quisquis es igitur, quia per modestiam tuam laborum tibi præmia reddere non licet, hoc a nobis amicitiæ, gratitudinis, honoris testimonium accipe: si, ut vovemus, adhuc in vivis es, prodi tandem, & omnium oculis optatissimum vultum exhibe. Sat modestiæ dedisti. Noli iis, qui tuis laboribus fruuntur, te ipsum invidere, nec diutini triumphi gaudium victoris absentia corrumpi sine. Quod si post bonum certamen pro Ecclesia certatum, coronam justitiæ a justo Judice accepisti, fac ut aliquis surgat ex ossibus ultor, ut nomen tuum a calumniis in posterum vindicet, & te in prosternendis Hierarchiæ (*dicam ipse*, *Scholæ Thomisticæ*) hostibus, passibus æquis sequatur.

D. Miror sane, quod in texendo Virorum illustrium Sæculi XVII. Ordinis Prædicatorum Catalogo, nullam prorsus injeceris mentionem religiosissimæ Virginis *Julianæ Morell*, quæ e nobilissimis parentibus Barcinone nata, Ordini Fratrum Prædicatorum Avenione in Conventu Monialium *S. Praxedis* nomen dedit, eumque doctrina & pietate plurimum illustravit. Hæc quippe doctissima ac piissima Virgo (sicut nuperrime legebam apud *Vincentium Baronium* libro V. Apolog. Ordinis Prædicatorum) anno ætatis suæ duodecimo Lugduni in Galliis Philosophiæ Theses publice cum omnium admiratione defendit, & supra sexum, supra ætatem, rerum Philosophicarum, Jurisprudentiæ, & omnium fere linguarum, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Græcæ, Latinæ, Gallicæ, Hispanicæ, Italicæ peritia resplenduit. Ordinem Prædicatorum anno ætatis suæ decimo sexto professa, multa scripsit, quorum initium fecit anno ætatis suæ vigesimo tertio, & ab ipsa invita Superiorum imperium extorsit: sed hæc paucissima, & præ ingenii ejus fœcunditate nulla sunt; iteratis enim precibus a Superioribus vicissim ipsa obtinuit, ut uni divinarum rerum, quarum amore flagrabat, contemplationi, non librorum scriptioni vacaret, sicut fidem facit mox a me laudatus *Vincentius Baronius*, qui testatur, se frequentissime allocutum fuisse hanc sacram Virginem Dominicanam, & ab ejus Colloquio se meliorem semper rediisse. Sed veniamus nunc ad Scriptores Ordinis S. Francisci, quos in octava Classe Virorum illustrium, qui Sæculo XVII. floruerunt, reposuisti.

M. Etsi plures fuerint Sæculo XVII. Ordinis Fratrum Minorum Scriptores, qui litteras coluerunt, paucos tamen, quorum Opera mihi notiora sunt, hic indicabo, illis omnino prætermissis, qui de rebus pure Scholasticis, aut de aliis id genus argumentis, quæ Ecclesiæ, aut Reipublicæ Litterariæ haud magnam utilitatem afferre possunt, libros conscripserunt. In primis, recensebo hujus Ordinis Theologos, deinde Scriptores Polemicos, Scripturæ Sacræ Interpretes, Concionatores, ac postremo Historicos. Inter Theologos Ordinis Fratrum Minorum præcipuum locum tenere debent *Laurentius Brancatus de Laurea*, *Franciscus Fevardentius*, *Franciscus Macedo*, *Claudius Frassen*, *Gabriel Boyvin*, *Bartholomæus Durandus*, & *Franciscus Maria Assermet*. Primus seu *Laurentius Brancatus de Laurea*, non minus generis nobilitate, quam doctrinæ præstantia clarus, natione Italus, & ob egregia in Ecclesiam promerita Cardinalis creatus, scripsit *Epitomen omnium Canonum*: *Disputationes duas de decretis Ecclesiæ, & de proponente legitime res Fidei*: *Commentaria in 3. & 4. libros Sententiarum Scoti*: *Opuscula tria de Deo quoad opera Prædestinationis*, *Reprobationis*, *& Gratiæ actualis*; in quibus S. Augustini doctrinam de Gratia se ipsa efficaci, & de Gratuita Prædestinatione ad gloriam strenue propugnat. Alter Ordinis Fratrum Minorum Professor, seu *Franciscus Fevardentius*, natione Gallus, *Constantiæ* in Normannia natus, & Sac. Facult. Parisiensis Doctor, edidit *Commentarium* in libros *S. Irenæi contra Hæreses*, acerrimis Scriptis Hæreticos exagitavit, eorumque animos vehementer pupugit, dum pudendos illorum pseudo-Ministrorum inter se conflictus, rabidas dilacerationes, virulentaque vituperia patefecit in libro, cui titulus est: *Theomachia Calvinistica*, ubi mille & quadringentos *Calvini* errores diligenter excussit, & solide confutavit. *Franciscus Macedo*, natione Italus, postquam per viginti duos annos in Societate Jesu vixisset, Ordinem Fratrum Minorum professus est, ubi eruditionis laude celebris, edidit *Medullam Historiæ Ecclesiasticæ*: *Schema Sacræ Congregationis S. Officii cum elogiis Cardinalium*: *Cortinam Divi Augustini de Prædestinatione & Gratia*, in qua doctrinam S. Augustini de Gratia se ipsa efficaci, & de gratuita ad gloriam Prædestinatione totis ingenii sui viribus defendit ac vindicat. Scripsit etiam Vitas *SS. Joannis de Matha*, & *Felicis Valesii*, aliaque perdocta Opera. *Claudius Frassen*, natione Gallus, & Sacræ Facultatis Parisiensis Theologus, auctor est Cursus Theologici, cui titulus est: *Scotus Academicus*, *seu universa Doctoris Subtilis Dogmata*. Edidit quoque *Disquisitiones Biblicas*, in quibus de Sacris Scriptoribus librorum Veteris ac novi Testamenti, de primigenio Textu Hebræo, de variis Scripturæ Sacræ Versionibus, ac potissimum de auctoritate Editionis Vulgatæ late disserit. *Gabriel Boyvin*, natione Gallus concinnavit integrum Philosophiæ ac Theologiæ Cursum, qui, ob facilem methodum, & in pertractandis quæstionibus perspicuitatem, Philosophiæ ac Theologiæ Scoticæ studiosis Tyronibus haud parvo ad intelligendam Subtilis Doctoris mentem adjumento esse potest. *Bartholomæus Durandus*, natione Gallus, edidit Cursum Theologicum in quinque Tomos distributum, cui titulus est: *Clypeus Scoticæ Theologiæ contra novos ejus impugnatores*. Publicavit etiam nuperrime idem Scriptor Tomum in folio, qui hunc præfert titulum: *Fides vindicata contra Hæreticos* &c. Novum *Theologiæ Scholastico-Positivæ cursum* non multis ab hinc annis aggressus est *Franciscus Maria Assermet*, natione itidem Gallus, & Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, jamque ali-

aliquos Tomos in octavo protulit in lucem. Inter Scriptores Polemicos Ordinis Fratrum Minorum, præter *Franciscum Fevardentium*, quem superius laudavi, optimo jure recenseri debet *Marcus Antonius Capellus*, natione Italus, qui, præter nonnulla Opuscula tum Latine, tum Italice scripta, lucubrationem edidit *de Appellationibus Ecclesiæ Africanæ ad Romanam Sedem: Præsensum Primatum Ecclesiasticum Regis Angliæ strenue impugnavit*. Duas insuper vulgavit Disputationes, quarum prior est *de Summo Pontificatu B. Petri*; posterior est *de successione Episcopi Romani in eundem Pontificatum*. Eruditum etiam Tractatum composuit *de Suprema Christi Domini Cœna* adversus *Hieronymum Vecchietti*, patria Florentinum, qui, ut superius observavimus, in libro, quem *de Anno primitivo* edidit, pertendebat, Christum celebrasse cum Discipulis suis ultimam Cœnam Luna decima tertia in secundis Vesperis, ac subinde illum non in Azymo, sed in Pane fermentato Sacrosanctam instituisse Eucharistiam. Hic *Marci Antonii Capelli* Tractatus omnigena eruditione, in rebus præsertim, quæ Chronologiam spectant, refertus est, & a Viris eruditis impense laudatur. Scriptoribus Polemicis Ordinis Minorum accenseri itidem debent *Franciscus Porterus*, natione Hibernus, qui aliquot scripsit contra Hæreticos Opuscula, & omnes Bullas, seu Constitutiones & Diplomata Romanorum Pontificum, quibus enatæ ad hæc usque tempora in Ecclesia Hæreses proscriptæ fuerunt, collegit ac publicavit Tomo in folio. Extat etiam ejusdem *Francisci Porterii Compendium Annalium Ecclesiasticorum Regni Hiberniæ*. Inter Scripturæ Sacræ Interpretes Ord. Minorum locum habere debet *Joannes de la Haye*, natione Gallus, qui edidit *Biblia Magna* Commentariorum Litteralium *Joannis Gagnæi*, *Guillelmi Estii*, *Emmanuelis Sa*, *Joannis Menochii*, & *Jacobi Tirini*, Prolegomenis *Menochii*, Chronico Sacro *Tirini*, & Indicibus locupletissimis illustrata. Vulgavit etiam *Biblia Maxima* Versionum ex Linguis Orientalibus, ex pluribus sacris MSS. Codicibus, ex innumeris fere Sanctis, & Veteribus Patribus, & Interpretibus Orthodoxis Collectarum, earumque Concordantiam cum Editione Vulgata, cum Annotationibus *Nicolai de Lyra*, *Joannis Gagnæi*, *Guillelmi Estii*, *Stephani Menochii*, & *Jacobi Tirini*, additis amplissimis Prolegomenis & Chronico Sacro. De hoc *Joannis de la Haye* immenso Opere, quod novemdecim Tomos in folio complectitur, hoc judicium fert *Jacobus de Long* Congregationis Oratorii Jesu Presbyter, Tomo I. suæ *Bibliothecæ Sacræ*, pag. 640. his verbis: *Opus maximum numero Voluminum, & Variantium Lectionum superflua multitudine incompositum, nec satis accuratum, mendisque refertum typographicis*. Scripsit quoque idem *Joannes de la Haye* Postillas in Opera *S. Francisci*, Ordinis Minorum Fundatoris, in Opera *S. Bernardini Senensis*, & Vitam *Alexandri de Hales*, ejusdem Ordinis. Ex innumeris Ordinis *S. Francisci* Concionatoribus, duos potissimum seligam, qui Sæculo XVII. magnam in Italia eloquentiæ laudem sunt consecuti, videlicet *Franciscum Panigarolam*, & *Franciscum Mariam Cassini*, quorum prior, Mediolani nobili genere natus, & Franciscani Ordinis arctioris Disciplinæ Professor, ob eximiam in concionando eloquentiam, factus est Episcopus Astensis, & plura reliquit Concionum Volumina, necnon librum polemicum in *Calvinum*, quem *pestem patriæ*, *flagellum Dei*, ac *primum Galliæ Monstrum* recte appellat. Alter, seu *Franciscus Maria Cassini*, Ordinis Fratrum Minorum, qui *Cappuccini* dicuntur, Professor, moribus sanctus, sensibus profundus, eloquentia clarus ac fervidus Concionator fuit. Primum a *Clemente* XI. Pontifice Maximo Sacri Palatii Apostolici Concionator institutus, & postea S. R. E. Cardinalis creatus, duo in folio edidit Concionum Volumina, in quibus tum argumenti gravitate, tum styli majestate, concinnitate, ordine & methodo omnium Lectorum judicia rapit. Denique, ex Historicis Scriptoribus Ordinis Fratrum Minorum quatuor duntaxat laudabo, nimirum *Lucam Wadinghum*, *Zachariam Boverium*, *Antonium Pagium*, & *Franciscum Pagium*, de quibus hic pauca dicam. Et primo quidem *Lucas Wadinghus*, natione Hibernus, rerum Ecclesiasticarum peritia clarus, *Annales Ordinis* Fratrum Minorum octo Tomis in folio conscripsit ab anno MCCVIII. usque ad annum MDCXL. edidit etiam Tomum in folio *de Scriptoribus Ordinis Minorum*: *Vitam Joannis Duns Scoti*, *Doctoris Subtilis*, ejusque Operum editionem Lugduni in Galliis adornavit: *Apologeticum de prætenso Monachatu Augustiniano S. Francisci*, & alia Opuscula. *Zacharias Boverius*, Ordinis Fratrum Minorum, qui *Cappuccini* vulgo nuncupantur, condidit Annales Cappuccinorum. Cumque in Fidei controversiis esset apprime versatus, plura contra Hæreticos Polemica scripsit Opera, præsertim: *Demonstrationes Symbolorum veræ & falsæ religionis adversus præcipuos ac vigentes Catholicæ Religionis hostes Atheistas, Judæos, Hæreticos præsertim Lutheranos, & Calvinistas*, in duos Tomos distributas: *Parænesim Catholicam ad Marcum Antonium de Dominis*, *antea Archiepiscopum Spalatensem*, *nunc Apostatam*, *& in Angliam transfugam &c.* & alia Opera quorum Catalogum texit *Lucas Wadinghus* in libro *de Scriptoribus Ordinis Minorum*. Verum, his Scriptoribus Historicis Ordinis Fratrum Minorum palmam sine controversia præripuit *Antonius Pagius*, natione Gallus, ejusdem Ordinis *Minorum*, qui *Conventuales* vulgo appellantur. Hic quippe illustrandæ Historiæ cum Ecclesiasticæ, tum Prophanæ sedulo incumbens, primo protulit in lucem perdoctam Disputationem, quam appellavit *Dissertationem Hypaticam*, in qua accurate & copiose disserit *de Cæsareis Consulibus*, & Consulatuum Regulas, a se dudum ingeniose, solerterque excogitatas propalam collocavit. Deinde, publicavit grave & ingens Opus summa cura, multisque vigiliis elaboratum, & in quatuor Tomos distinctum cui titulus: *Critica Historico-Chronologica in universos annales Ecclesiasticos Cardinalis Baronii*. In hoc eru-

eruditissimo Opere clarissimus ille Scriptor Annales Baronianos emendavit, eorum rimas explevit; quæ Eminentissimi Cardinalis *Baronii*, qui omnia pervidere haud potuit, diligentiam subterfugerant, feliciter collegit; quæ jam ille discusserat, ad novam crisim revocavit, & Historiam Ecclesiasticam, tam ex veteribus Antiquitatis Monumentis post *Baronii* obitum e tenebris eductis, quam ex propriis animadversionibus, plurimis in locis correxit, illustravit, locupletavit. Hinc *Antonius Pagius* omnibus exteris, & longinquis notus fuit magna celebritate famæ, non illius quidem popularis, plerumque temerariæ, inconsideratæ & merarum nugarum laudatricis, sed existimationem hominum accepit, qui tunc ingenio præstanti, & absolutissima eruditione florebant non modo in Galliis, sed in Italia & Germania, ipsaque ultima Britannia. De *Antonio Pugio* plura legesis in ejus Elogio, quod scripsit Vir doctissimus, & Linguarum Orientalium peritissimus Abbas *Ludovicus du Four de Longuerue*, natione Gallus, quodque extat in fronte Operum *Antonii Pagii* Antuerpianæ Editionis, quæ prodiit an. MDCCV. & cujus curam habuit ejus nepos *Franciscus Pagius*, ejusdem Ordinis Fratrum Minorum, qui vulgo *Conventuales* vocitantur. Clarissimi *Antonii Pagii* vestigia premit ejus nepos *Franciscus Pagius*, quippe qui Historiæ Ecclesiasticæ studiosissimus, Vitas Romanorum Pontificum describendas suscepit, jamque tres Tomos in quarto, quos summa animi oblectatione perlegi, publica luce donavit. Sed de Franciscanis Scriptoribus plura legesis apud *Lucam Wadinghum* in libro, quem edidit *de Scriptoribus Ordinis Minorum*.

D. Eadem, quæso, compendiosa narratione describe Seriem illustrium Scriptorum, qui e Schola Ordinis Eremitarum Sancti *Augustini* Sæculo XVII. prodierunt, atque perdoctis suis lucubrationibus non minus Catholicæ Ecclesiæ, quam Reipublicæ Litterariæ profuerunt.

M. Bene multi e Schola Ordinis Eremitarum *S. Augustini* Sæculo XVII. prodierunt eximii Theologi, doctrinæ *S. Augustini* acerrimi defensores, & Antiquitatis cum Sacræ, tum Ecclesiasticæ & prophanæ studiosissimi cultores, quorum præcipuos hic duntaxat laudabo, videlicet, *Gregorium Coronellum*, *Angelum Roccam*, *Christianum Lupum*, *Henricum Norisium*, *Guillelmum Bonjour*, *Augustinum Lubinum*, *Petrum Lambertum le Drou*, & *Fridericum Nicolaum Gavardum*, quorum Opera hic breviter indicabo. In primis, *Gregorius Nunnius Coronellus*, natione Lusitanus, sacris litteris excultus, Theologiæ Doctor celebris, plenus meritis, & integerrimæ vitæ fuit. Romam vocatus, ibidem multis annis Theologiam docuit, & a *Clemente* VIII. Pontifice Maximo, cui charissimus erat, Congregationum *de Auxiliis* Secretarius & Consultor electus est, idque muneris maxima eruditione, diligentia, & fide obivit. Episcopatum sibi a *Paulo V.* oblatum, omni submissione & modestia suscipere detrectavit. Variis Scriptis Typis editis Rempublicam Litterariam ditavit. Congregationum *de Auxiliis* Acta universa, Disputationes, Judicia, Censuras digessit, juxta sibi demandatum Secretarii officium. Privatas etiam de quæstionibus controversis tractationes elucubravit, quibus, ut Consultoris officium postulabat, sententiam dixit. Actorum, quæ Congregationes *de Auxiliis* spectant, & quæ a *Gregorio Nunnio Coronello* descripta sunt, originalis Codex adhuc Romæ extat in Bibliotheca Angelica Patrum Augustinianorum. Confundi non debet hic *Gregorius Nunnius Coronellus* cum *Vincentio Maria Coronello*, natione Italo, patria Ravennate, Ordinis Fratrum Minorum, qui *Conventuales* appellantur, Professore, ac Ministro Generali, qui Sæculo XVII. celebris Geographus fuit, & plura pulcherrima, atque accuratissima edidit Cosmographica Opera. *Angelus Rocca*, Augustinianæ Familiæ præclara proles, Apostolici Sacrarii Custos & Episcopus Tegastensis a *Clemente* VIII. Pontifice Maximo creatus, Philosophiæ ac Theologiæ peritissimus fuit, Græcis ac Latinis Litteris pereruditus omnem callebat Ecclesiasticæ Antiquitatis doctrinam, Sacrorumque Rituum cognitionem exquisitam habebat. Bibliothecam Romæ apud Patres Augustinianos fundavit ac dotavit *Angelus Rocca*, dictam a Fundatoris nomine *Angelicam*. Scripsit eleganti calamo *Commentarium de Communione Romani Pontificis, ejusque pedum osculatione*: *Bibliothecam Theologiæ, & Scripturæ Sacræ*, & singulares Tractatus *de Canonizatione Sanctorum*: *de Campanis*: *de Ludis*, & alia id genus perdocta Opuscula, quæ simul collecta prodierunt in lucem in recenti omnium ejus Operum Editione, quam secundis curis nuperrime Patres Augustiniani Romæ adornarunt. *Henricus Norisius*, natione Italus, præclarum Familiæ, & Scholæ Augustinianæ decus atque ornamentum, S. R. E. Cardinalis, fuit omni disciplinarum genere cumulatissime instructus: Theologus absolutissimus, Criticus, Historicus, sui Sæculi primus. Quantum in vera Theologia, seu doctrina *S. Augustini* versatus esset Eminentissimus ille Cardinalis, liquido apparet ex ea, quam edidit, *Historia Pelagiana*, & ex *Vindiciis Augustinianis*, in quibus doctrinam *S. Augustini* pro aris ac focis tutatur, ejusque, velut alter *Tullius Cicero* pro domo sua disertissimus, contra quosdam æmulos obtrectatores asserit ac vindicat auctoritatem. Suam singularem Antiquitatis Ecclesiasticæ peritiam prodidit idem Cardinalis in ea, quam concinnavit, *Dissertatione Historica de quinta Synodo generali*. Sed summam ejus in rebus Historicis, Criticis, & Chronologicis eruditionem suspiciunt omnes ad unum Viri periti in his Operibus, quæ scripsit doctissimus ille Cardinalis, cujusmodi sunt: *Epistola Consularis*: *Duplex Dissertatio de duobus Nummis Diocletiani & Licinii cum Auctario Chronologico de Votis decennalibus Imperatorum & Cæsarum*: *Cænotaphia Pisana Caji & Lucii Cæsarum Dissertationibus illustrata cum parergo de Annis Regni Herodis*: *de Præsidibus Syriæ, ac Romanis in Asiæ Provinciis*: *Annus & Epochæ Syro-Macedonum in Syria nummis exposita*, *cum Fastis Consularibus Anonymi*

Dis-

Dissertatione illustratis. In his, inquam, Operibus omnia, quæ ad Historiam, Criticam, aut Chronologiam attinent, tanta eruditione, & styli elegantia illustravit Cardinalis *Norisius*, ut ceteris harumce disciplinarum studiosis facem prætulerit, quam secuti a recta veritatis semita nunquam deflectent. Alia erudita Opuscula edidit ille immortali laude dignus Cardinalis, sed præsertim *Dissertationem Historicam de Uno ex Trinitate carne passo, additis Historiæ Pelagianæ ab Anonymi scrupulis Vindiciis*. A Cardinali *Norisio* sejungi non debent *Guillelmus Bonjour*, & *Fulgentius Bellelli*, quorum primus *Norisii* doctrinæ fuit addictissimus, & ejusdem Familiæ Augustinianæ Alumnus, doctrina & candore morum eximius, & omnibus amabilis. Natione quidem Gallus fuit, sed diu in Italia mansit, ubi summa cum laude in Seminario Montis Falisci Sacras Litteras docuit. Dein, Romam vocatus, Bibliothecæ Angelicæ apud suos Augustinianos Custos fuit, ac tandem a *Clemente XI.* Pontifice Maximo ad Sinarum Imperium, ad gravissima peragenda negotia, missus, ibi præmatura morte e vivis sublatus est. Perdocta scripsit Opera, videlicet Dissertationem de nomine, quod *Pharao* Rex Ægyptiorum imposuit Patriarchæ *Josepho*, eum appellando *Salvatorem Mundi*, sicut legitur in Editione Vulgata: *Dissertationes etiam selectas in Scripturam Sacram: & Calendarium Romanum cum Epactis & Noviluniis*; ex quorum librorum lectione facile quisque intelligere potest, *Guillielmum Bonjour* Linguarum Hebraicæ & Græcæ peritum, & Chronologiæ cum Sacræ, tum Prophanæ, atque Astronomiæ notitia haud vulgari præditum fuisse. Alter vero, qui in doctrina Sancti Augustini Cardinalis Norisii vestigia pressit, est doctissimus P. *Fulgentius Bellelli*, nunc Ordinis Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis, qui anno MDCCXI. librum edidit ad explicandam mentem Sancti Augustini *circa statum Creaturæ Rationalis ante peccatum*. *Christianus Lupus*, natione Belga, patria Iprensis, plures libros ad illustrandam Historiam ac disciplinam Ecclesiæ lucubravit, præsertim quinque Tomos in quarto, quibus complexus est Synodorum Generalium & Provincialium Decreta & Canones cum doctissimis Notis, Scholiis ac Dissertationibus. Collegit etiam ac publicavit Epistolas & Vitam Sancti *Thomæ* Martyris, & Archiepiscopi Cantuariensis, necnon Epistolas *Alexandri* III. Pontificis Maximi, *Ludovici* VII. Galliarum Regis, *Henrici* II. Angliæ Regis, & aliorum. Item publici juris fecit Epistolas variorum Patrum ad Concilium Ephesinum, & aliquas edidit Dissertationes *de Sanctissimi Sacramenti publica expositione; & de Sacris Processionibus: de Appellationibus ad Romanam Sedem: de Consecratione Episcoporum: de sensu Sanctorum Patrum circa Contritionem & Attritionem: Notas in librum Tertulliani de Præscriptionibus*, & alias, moriens, manuscriptas relinquit Dissertationes, quas post ejus obitum P. *Winantius*, ejusdem Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Professor, Bruxellis anno MDCXC. Typis edi curavit. Geographiæ tam Sacræ, quam Prophanæ perfectam notitiam habuit *Augustinus Lubinus*, natione Gallus, patria Parisinus, & præter aliqua, quæ scripsit Opera Geographica, Martyrologium Romanum Tabula Alphabetica Cosmographica illustravit, atque ad petitionem Cardinalis *Colloredo*, edidit, dum Romæ degeret, & Præfecti Generalis sui Augustiniani Ordinis Assistens esset, *brevem Abbatiarum Italiæ Notitiam*, quæ indicat situs, proventus, jura, privilegia, & Viros illustres Abbatiarum Italiæ. *Petrus Lambertus le Drou*, Facultatis Lovaniensis Doctor, Sacrarii Apostolici Præfectus, & Episcopus Porphyriensis, quatuor concinnavit Dissertationes, Romæ anno 1707. editas, *de Contritione & Attritione*, in quibus omni argumentorum genere evincit, Contritionem imperfectam conceptam ex initiali amore Dei super omnia dilecti esse necessariam in Sacramento Pœnitentiæ ad consequendam remissionem peccatorum, eamdemque doctrinam solide vindicavit in *Confutatione Discussionis Theologicæ*, quam *Augustinus Michael*, Canonicus Regularis in Germania, contra quatuor Dissertationes de Contritione & Attritione vulgavit. Postremo, *Fridericus Nicolaus Gavardus*, Romæ in Archigymnasio Sapientiæ publicus Theologiæ professor, Philosophiam vindicavit ab erroribus Philosophorum Gentilium, juxta doctrinam Sancti *Augustini*, & Beati *Ægydii Columnæ*. Typis etiam mandavit sex Tomos in folio, hunc præferentes titulum: *Theologia exantiquata, juxta Sancti Augustini doctrinam ab Ægidio Columna expositam* &c. Missos facio, brevitatis causa, alios clarissimos Ordinis Eremitarum S. Augustini Theologos, qui Sæculo XVII. perdocta scripserunt Opera ad tuenda, sanciendaque Sancti Augustini de Gratia se ipsa efficaci, & de Gratuita Prædestinatione inconcussa Dogmata, quæ uti Aquilinus Doctor discipulis suis, velut ex asse hæredibus reliquit, ita religiosissimus Eremitarum Sancti Augustini Ordo filiis suis hæreditaria esse voluit. Sic enim in Generalibus Comitiis an. MDCLXXXIX. habitis Definitione XIII. statutum legimus: *Pro feliciori Studiorum Ordinis nostri progressu ac splendore, definitum fuit, quod quilibet ex nostris Religiosis tum privatim, tum publice discens, vel docens, teneatur in omnibus sequi & tueri inconcussam doctrinam SS. Patris nostri Augustini, præsertim in materia de Gratia primi Hominis, & Angelorum, quod a primo instanti fuerint a Deo creati recti, & proinde bonæ voluntatis: Item de nostra Gratuita Electione & Prædestinatione in Christo etiam ad gloriam independenter a prævisione nostrorum meritorum; necnon de Gratia per se efficaci, qua Deus operatur in nobis velle & perficere*. Huic publico ac generali totius Ordinis Statuto sanciendo præsulsit Capitulum Provinciale, quod an. MDCLXXVII. Francopoli in Gallia celebratum est, ubi pii ac religiosi Viri hoc Statutum promulgarunt: *Nos infrascripti Definitorii Patres statuimus, definimus, & ordinamus, ut quisque in Provincia nostra Theologiæ aut Philosophiæ Professor immaculatam & inconcussam Sanctissimi* Pa-

Parentis Augustini doctrinam, juxta interpretationem fundatissimi Doctoris nostri B. Ægidii Romani, sequatur, doceat, & defendat. Eisdemque Professoribus inhibemus ac prohibemus, ne sequantur opinionem Ludovici Molinæ, circa controversias de Scientia Media, & Concordia Libertatis cum Gratia, utpote adversantem, sicut ipse Molina testatur, Divi Augustini doctrinæ atque sententiæ. Secus facientes, privamus in perpetuum gradu Doctorum in Provincia nostra privilegiatorum. Datum Francopoli in Comitiis Provincialibus die XIX. *Maji an.* 1670. Hæc Sancti *Augustini* de Gratia se ipsa efficaci, & de Prædestinatione Gratuita dogmata bene multi gravissimi Sæculi XVII. Theologi Ordinis Eremitarum Sancti *Augustini*, eruditis in lucem emissis lucubrationibus, magnis animis propugnarunt, quos tamen consulto, ne longior sim, silentio prætermitto.

D. Non solum præclarissima Augustiniana Familia illustres dedit Ecclesiæ Sæculo XVII. doctrinæ *S. Augustini* de Gratia se ipsa efficaci & de Prædestinatione gratuita assertores ac vindices; sed etiam, ut mihi nuperrime narrabat Vir eruditus, & Scholæ Augustino-Thomisticæ addictissimus, quamplurimi Theologi ex inclyto Ordine Carmelitarum, eorum præsertim, qui arctioris sunt instituti, & *S. Thomam* tanquam Magistrum, se habere gloriantur, eamdem doctrinam, de Gratia se ipsa efficaci & de Prædestinatione gratuita multis Sæculo XVII. editis lucubrationibus, magno animorum æstu propugnarunt; qui & quales fuerint, breviter nunc indicare debes.

M. Innumeros sane hic proferre possem egregios Philosophos ac Theologos, qui e religiosissimo Carmelitarum præsertim Discalceatorum, Ordine, in doctrina *Sancti Thomæ* illustranda, ac vindicanda insudarunt, & quibus non habuit Angelicus Doctor fortiores pugiles, nec acriores vindices adversarii persenserunt. Norunt siquidem omnes, quantum in eo scribendi genere laudis consecuti sint Complutenses Philosophi, quibus non alii puriorem *Sancti Thomæ Aquinatis* doctrinam tradiderunt. Quid dicam de Salmanticensibus ejusdem Familiæ Theologis, qui tot erudita volumina ad germanam *Sancti Thomæ* explanandam doctrinam, magno Reipublicæ Litterariæ emolumento, ediderunt, quosque elegisse ipsemet *Sanctus Thomas* ut Fidelissimos Interpretes, quorum ore & calamo genuinam mentem suam, & reconditos sensus patefaceret, videri potest. Sed quid de *Philippo a Sanctiss. Trinitate* dicam, viro undecumque doctissimo, in quo pietas, & scientia de palma contendebant, quique editis Philosophia, utraque Theologia, Scholastica, & Mystica, Historia, aliisque cedro dignis Operibus, nomen suum seræ posteritati consecravit? Sed quid de *Dominico a Sanctissima Trinitate*, & de *P. Liberio*? quorum primus, septem, quos edidit, tomis in Folio, omnis, qua late patet, Theologica, Thetica, Polemica, Mystica comprehensa, nihil ceteris in re Theologica reliquum fecit: Alter vero Romæ in Collegio de Propaganda Fide Theologiæ Professor, pietatis eximiæ, ingeniique felicissimi, complura de rebus Theologicis, & Polemicis volumina edidit, quæ ad debellandos Hæreticos, Schismaticos, aliosque Fidei Catholicæ hostes invicta arma subministrare possunt. Præterea ceteros ejusdem Theresiani Ordinis Viros doctissimos, qui tanto studio in illustrando *S. Thoma* Doctore Angelico laborarunt, ut nihil ceteris ejusdem Doctoris Discipulis, Familiæ Dominicanæ alumnis, eruditione & in communem Magistrum observantia concedant, immo, illos in hoc præsertim vincant, quod Dominicani *Mysticæ S. Thomæ Aquinatis Theologiæ* tractationem pene intactam reliquerunt, quam Carmelitæ Discalceati, præcipue *Joannes a Cruce*, *Joannes a Jesu Maria*, & *Ludovicus a S. Theresa* perdoctis libris ita illustrarunt, ut tantorum Virorum ore nunc *S. Thomam*, Theologiam Mysticam edocentem, audiamus, nihilque, post tot luculentissima horumce illustrium Scriptorum Opera, de Theologia Mystica scribendum superesse videatur. Non defuerunt etiam Sæculo XVII. inter Carmelitas Discalceatos periti Critici, quorum unum superius laudavi, videlicet *Honoratum a Sancta Maria*, qui nuperrime eruditum librum Gallice scripsit *de Regulis & Usu Critices Disciplina*: Alter vero, seu *Cherubin a Sancto Joseph*, immensum Opus aggressus est, cui hunc præfixit titulum: *Bibliothecæ Criticæ Sacræ Theologiam Positivam undecim Voluminibus Scholastica fere methodo complectens*. His Clarissimis Scriptoribus Carmelitis Discalceatis duos adjungam Carmelitas, quos vulgo Calceatos appellant, scilicet *Henricum a Sancto Ignatio*, & *Ambrosium Gardebosc*, quorum prior grande Opus de doctrina morali in tres Tomos in folio distributum protulit in lucem, cui titulus est: *Ethica amoris, sive Theologia Sanctorum, præsertim Augustini & Aquinatis, circa universam amoris & morum doctrinam adversus novitias opiniones strenue propugnata*. Nonnulla etiam edidit Opuscula, & paucis abhinc annis obiit in Belgio, unde oriundus erat. Quamvis bene multi insignes Viri Historiam & Annales Ecclesiæ Sec. XVII. litteris mandarint, nihilosecius *Ambrosius Gardebosc*, natione Gallus, aliorum, qui illustrandæ atque ornandæ huic spartæ industriam omnem ingenii, atque eruditionis vires, quibus pollebant maximis, contulerant, laboribus minime deterritus, Historiam Ecclesiasticam proprio marte describendam suscepit, duosque Tomos in folio, quorum primus Historiam Ecclesiæ Sæculi I. alter Sæculi II. Historiam complectitur, publicavit, sed inopinata morte Tolosæ e vivis sublatus, ulterius progredi, & inchoatum Opus maturare, atque ad umbilicum perducere non potuit.

D. Etsi Religiosa Societas Jesu modeste de suis Scriptoribus, & præclarius de aliis sentire noverit, audivi tamen nudiustertius, a Clarissimo Viro, huic Societati addictissimo, innumeros prodiisse ex ea Sæculo XVII. Scriptores, qui in omni scientiarum genere excelluerunt. Quod quidem an verum sit, a te nunc perdiscere cupio

pio, quem probe ſcio, nihil inter ſcribendum gratiæ, aut odio tribuere, & ab omni humano affectu alienum nullo partium ſtudio laborare, ſicut Hiſtoricum decet, qui, abdicatis omnibus præjudiciis, ſingula diligentiſſime excutere debet, eamque veri & æqui rerum ſcribendarum curam habere, ut ea expungere paratus ſit, ſi vel minimum ſubodoratus fuerit aliquid affectibus ſuis indulſiſſe. Age ergo, deſcribe, obſecro te, ſeriem Scriptorum Societatis Jeſu, quibus in hac undecima illuſtrium Sæculi XVII. Virorum claſſe locum dediſti.

M. Turpis adulator optimo jure audirem, ſi Scriptores Societatis Jeſu Sæculi XVII. ſupra ceteros omnes, quos hactenus laudavi, & ſupra omne quod doctum eſt ambitioſius attollere, eiſque in omni ſcientiarum genere primas partes aut ſolas vindicare vellem. Vere tamen, & citra ullum aſſentationis periculum dicam, celebrem Societatem Jeſu protuliſſe Sæculo XVII. Scriptores numero & doctrina non inferiores his, quos eruditione inſignes ceteri Religioſi Ordines eodem Sæculo dederunt Eccleſiæ, videlicet Scripturæ Sacræ Interpretes, Theologos, Polemicos, Criticos; Chronologos, Hiſtoricos, & aliis Diſciplinis cum divinis, tum humanis exercitatiſſimos. A Sacræ Scripturæ Interpretibus, quos Sæculo decimo ſeptimo peperit Societas Jeſu, exordium ducam, quos inter potiſſimum commendatur *Joannes Baptiſta Villalpandus*, *Benedictus Juſtinianus*, *Joannes Mariana*, *Joannes Lorinus*, *Jacobus Tirinus*, *Cornelius a Lapide*, *Joannes Pineda*, *Jacobus Bonfrerius*, *Joannes Stephanus Menochius*, *Jacobus Gourdon*, *Benedictus Pererius*, & *Joannes Phelippæus*, quorum Opera, quantum permittere poteſt Colloquiorum noſtrorum brevitas, extremis, ut ajunt, digitis attingemus. In primis, *Joannes Baptiſta Villalpandus*, natione Hiſpanus, doctiſſimum edidit Commentarium in Prophetam *Ezechielem*, in quo elegantiſſimam Urbis & Templi Hieroſolymitani deſcriptionem contexuit. *Benedictus Juſtinianus*, natione Italus, Commentarium adornavit in epiſtolas *S. Pauli*, & in Epiſtolas Canonicas. *Joannes Mariana*, natione Hiſpanus, præter triginta *Annalium Hiſpaniæ* libros, ſeu præter Hiſtoriam de rebus Hiſpaniæ in libros triginta partitam, alioſque varios Tractatus, tum Hiſtoricos, tum Theologicos, quos erudite ſcripſit, plures, ut exempli gratia *Tractatum de Beati Jacobi Apoſtoli in Hiſpania adventu*: & alterum *Tractatum pro editione vulgata SS. Bibliorum*; ſcripſit inſuper *Scholia in univerſam Scripturam Sacram*, quæ ad Sacri Textus intelligentiam lectori haud modicam lucem affundere poſſunt. *Joannes Lorinus*, patria Avenionenſis, ſcripſit Commentarios in *Leviticum*, in *Numeros*, in *Deuteronomium*, in *Pſalmos*, in *Eccleſiaſtem*, in *librum Sapientiæ*, in *Acta Apoſtolorum*, & in *Epiſtolas Canonicas*, cumque linguarum Hebraicæ, & Græcæ, necnon Criticæ eſſet peritus, multas difficultates, quæ ad Hebræorum, Græcorumve vocabulorum notitiam, vel ad Hiſtoriam, Dogmata, atque Diſciplinam Eccleſiæ attinent, dilucide expoſuit. Inter celebres Scripturæ Sacræ Interpretes reponunt Viri eruditi *Jacobum Tirinum*, natione Belgam, qui edidit Commentarium in totam Scripturam Veteris ac novi Teſtamenti tribus Tomis comprehenſum, calculis Chronologiæ diligentiſſime ſubductum, & variarum materiarum accuratis Indicibus illuſtratum. *Cornelius a Lapide*, natione itidem Belga, linguas Hebraicam & Græcam ita didicit, ut Sacram Linguam Lovanii, & Divinas Scripturas per viginti annos publice docuerit, indeque Romam accerſitus, eaſdem ſumma cum laude fuerit interpretatus. Commentaria in omnes fere Scripturæ Sacræ libros texuit, Commentarium tamen in libros *Job*, & *Pſalmorum* non abſolvit, ſed imperfectum reliquit. *Joannes Pineda*, Natione Hiſpanus, vir excellenti ingenio, magno judicio, varia eruditione, ſcripſit *Commentarium in Libros Job*, & *Eccleſiaſtes*: *Prælectionem Sacram in Cantica*, & alia erudita Opera, quorum Catalogum texit *Philippus Alegambe* in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu. *Jacobus Bonfrerius*, natione Belga, inſigne lucubravit Opus, videlicet *Pentateuchum Moyſis Commentario illuſtratum*, *præmiſſis quæ ad totius Scripturæ intelligentiam manuducunt Præloquiis perutilibus*: *Commentaria in Libros Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, *Regum*, & *Paralipomenon*: *Onomaſticon Urbium & locorum Scripturæ Sacræ*. Paratum etiam, teſte *Philippo Alegambe*, in Sacra Bibilia reliquit Tomum, in quo explicabat ceteros libros Sacros Hiſtoricos, *Eſdram*, *Nehemiam*, *Tobiam*, *Judith*, *Eſtherem*, *Machabæos*: item *Commentarios in Evangelia*, *Actus Apoſtolorum*, & *Epiſtolas S. Pauli*, eumque, dum librum Pſalmorum Commentario illuſtraret, & jam ad Pſal. 34. perveniſſet, Cælo maturum mors occupavit. *Joannes Stephanus Menochius*, natione Italus, *Hieropoliticon*, ſeu *Inſtitutionis Politicæ*, e Sacris Scripturis depromptæ, tres contexuit libros, & *Inſtitutionis Œconomicæ*, e Sacris Scripturis pariter deſumptæ, edidit libros, & inſuper *brevem ſenſus litteralis totius Scripturæ Sacræ interpretationem*. In exponendis Scripturis Sacr. totus ſimiliter incubuit *Jacobus Gordonus*, natione Scotus, qui ſcripſit *Opus Chronologicum* duobus Tomis comprehenſum, Regnorum mutationes, & rerum toto Orbe geſtarum memorabilium ab exordio mundi ſeriem complectens. Edidit quoque Opuſcula tria; *Chronologicum*, *Hiſtoricum*, *Geographicum*: *Diatribam de Catholica veritate*: & *Biblia Sacra cum Commentariis ad ſenſum Litteræ*, & *Explicationem temporum & locorum omnium*, *quæ in Sacris Litteris habent obſcuritatem*. Non minus Sacrorum librorum accuratus interpres fuit *Benedictus Pereyra*, ſeu *Pererius*, natione Hiſpanus, qui elaboravit *Commentarios in Geneſim & Danielem*: *Tomos* 4. *Diſputationum in Geneſim*: *Tomum* 1. *Diſputationum in Exodum*: *Tomos duos Diſputationum in Epiſtolam ad Romanos*: & *tres Tomos in Apocalypſin*. Extant etiam quindecim ejus libri Phyſicorum.

In hujus autem doctissimi Viri, teste *Philippo Alegambe*, Scriptis tantum apparet ingenium, tanta doctrina atque eloquentia, tanta rerum omnium comprehensio, ut supervacaneum sit lucernam Solis lumini inferre. *Joannes Philippæus*, natione Gallus, patria Andegavensis, Commentarios adornavit in duodecim Prophetas minores. Scripsit etiam *Tractatum Asceticum ostendentem veram hominis felicitatem in solo Deo reperiri*. His peritis Scripturæ Sacræ Interpretibus duos alios ejusdem Societatis Scriptores adjungam, videlicet *Nicolaum Serarium*, & *Martinum Antonium Delrium*, quorum primus, natione Lotharingus, ad Sacras Litteras explicandas & ornandas omne studium contulit, & egregiis commentariis illustravit Libros Sacros Historicos *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *Tobiæ*, *Esther is*; *Machabæorum*. Extant etiam ejus quinque libri *Rerum Moguntiacarum*, & tres libri *de Sectis Judæorum* contra *Scaligerum* & *Drusium*, aliaque ejus Opera, quæ simul collecta, typis edita sunt tribus Tomis in folio Moguntiæ an. MDCXXVII. 1. Alter, seu *Martinus Antonius Delrius*, patria Antuerpiensis, Vir multijugæ lectionis, & linguarum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, Belgicæ, Hispanicæ, Italicæ, Germanicæ peritus, reliquit *Adagia Sacra Veteris & Novi Testamenti*; *Notas in Genesim*, *in Canticum Canticorum*, *Threnos*, aliaque Opera cum sacra, tum prophana, inter quæ maxime laudantur ejus *Disquisitiones Magicæ*. Sed hæc de doctissimis Scripturæ Sacræ Interpretibus, quos Sæculo XVII. protulit Societas Jesu, pauca observasse sufficiat; plura de his legesis apud sæpius citatum *Philippum Alegambe* in *Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu*. Venio nunc ad Theologos Societatis Jesu, quorum alii Commentarios, aut Disputationes de rebus Theologicis instituerunt, videlicet Cardinalis *de Lugo*, *Franciscus Suarez*, *Gabriel Vasquez*, *Gregorius de Valentia*, *Fonseca*, *Henrice*, *Granado*, & *Typhanius*. Alii vero ad suffulciendum recens excogitatum de Gratia versatili, & de scientia media Molinianum Systema libros procuderunt, nimirum *Ferdinandus de Vastida*, *Petrus Arrubal*, *Christophorus Cobos*, *Leonardus Scherlogus*, *Gabriel Henno*, *Jacobus Platelius*, *Eugenius Philadelphus*, *Christophorus Ortega*, *Franciscus Perrinus &c.* Alii denique in doctrinam *Michaelis Baji*, & *Cornelii Jansenii*, Episcopi Iprensis, calamum acuerunt, quos inter celebriores sunt *Franciscus Annatus*, *Joannes Martinus Ripalda*, *Joannes Martinonus*, seu per anagramma purum, *Joannes Moraines*, & *Stephanus Deschamps*, quorum Opera notiora sunt, quam ut in eorum describendo catalogo diutius hic immorari necesse sit. Breviter tantum dicam, quod si olim *Propertio*, Poetæ orto Mevania, oppido Umbriæ tunc amplissimo, nunc mediocri, scriptis quatuor Elegiarum libris, hunc versum canere licuit ipso vento tumidiorem & inaniorem: *Et nostris tumefacta superbiat Umbria libris*; longe potiori jure gloriari debet Clarissima Societas Jesu, quod tot Sæculo Decimo septimo pepererit Theologos, qui ingenti multitudine librorum Scholas impleverunt.

D. Eccur, quæso, huic Theologorum Societatis Jesu Catalogo non accensuisti illos ejusdem Societatis Scriptores, qui de Theologia Morali Sæculo XVII. scripserunt, *Tamburinum*, *Baunium*, *Escobarium*, *Filliucium*, *Sanchez*, *Azorium*, *Sanctium*, *Tannerum*, *Reginaldum*, *Mascarenham*, *Busembaum*, & alios bene multos, quorum satis amplum indicem mihi nuperrime exhibuit Vir minime malus, & qui in lectione illorum Scriptorum perdius ac pernox versatur?

M. Ab his referendis Scriptoribus, quos memorasti, consulto abstinui, quia, ut candide fatear, in his, quæ spectant Disciplinam morum, non mihi probantur multa ab eis asserta Placita; sed alios longe antiquiores & secutiores Duces hactenus secutus sum, quorum libri inoffenso pede legi possunt, utpote immunes ab his morum corruptelis, & perniciosis laxitatibus, quas Summi Pontifices, *Alexander VII. Innocentius XI.* & *Alexander* VIII. proscripserunt. Non possum tamen, quin summis laudibus efferam *Tyrsum Gonzalem*, Præpositum Generalem Societatis Jesu, qui Sæculo XVII. hoc est, anno 1687. librum Romæ typis edidit, in quo probabilismum data opera impugnat, & invicte demonstrat, in conflictu duarum opinionum, quarum una minus probabilis, altera probabilior est, eligendam esse probabiliorem, quæ stat pro lege, relicta opinione minus probabili, quæ favet cupiditati, suamque Doctrinam confirmat testimoniis doctissimorum Theologorum Societatis Jesu, præsertim *Pauli Comitoli*, qui probabilismi, aliarumque in Doctrina morali laxitatum fuit acerrimus insectator. Hanc *Tyrsi Gonzalis*, Societatis Jesu Præpositi Generalis, contra Probabilitatem sententiam mordicus propugnarunt in Galliis duo ejusdem Societatis Jesu perdocti Theologi, *Franciscus Malatra*, & P. *Gisbertus*, qui novum probabilitatis commentum, ex quo periculosæ opiniones, & variæ morum corruptelæ eruperunt, publicis lucubrationibus exploserunt, confutarunt, profligarunt, atque solidis momentis propulsarunt calumniam, quam jactant nonnulli, qui Doctrinæ de vaga probabilitate inventionem Theologis Societatis Jesu acceptam referunt, aut ejus defensionem toti Societatis Jesu Scholæ falso imputare præsumunt.

D. Aliorum illustrium Scriptorum, illorum præsertim, qui in Theologia Polemica, Historia, & Critices, ac Chronologiæ excolendis Disciplinis Principatum in Societate Jesu Sæculo decimo septimo obtinuerunt, perge, quæso, describere seriem.

M. Ex Theologis Polemicis Societatis Jesu tres duntaxat proferam, Viris omnibus eruditis notissimos, *Robertum Bellarminum*, *Jacobum Gretserum*, & *Martinum Becanum*. Primus natione Italus, Doctrina & pietate toto Orbe celebris, sacra purpura Cardinalitia a *Clemente* VIII. Pont. Max. donatus, & Ecclesiæ Capua-

næ Archiepiscopus inauguratus, varia & erudita reliquit Scripta, inter quæ sunt ista: *tres Controversiarum Tomi* adversus sui temporis hæreticos, in quibus de Verbo Dei, de Summo Pontifice, & Conciliis fuse differit: *Explanatio in Psalmos*: *Conciones Sacræ*, & liber unus *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, in quo de 400. circiter Auctoribus Ecclesiasticis suum eruditum & sapiens profert judicium. *Supplementum* huic *Bellarmini* libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* addidit postea *Casimirus Oudinus*, Canonicus Regularis Ord. Præmonstratensium. Opus Cardinalis *Bellarmini* ab hæreticis *Witakero*, *Junio*, aliisque Sectariis impetitum, egregie defendit *Jacobus Gretserus*, natione Germanus, in Opere duobus Tomis in folio comprehenso, quod publicavit Ingolstadii an. 1607. Edidit etiam *Gretserus* tres Tomos in quarto *de Cruce*, in quibus omnia quæ spectant Crucis Christi Domini figuram, apparitiones, instrumenta, miracula, cultum, dilucide explanat, varia Patrum Græcorum tum edita, tum inedita, monumenta, Hymnos, Prosas, & Epigrammata in laudem Crucis Christi collecta inseruit. Aliorum Operum, quæ scripsit *Jacobus Gretserus*, linguæ Græcæ peritissimus, Catalogum legesis apud *Philippum Alegambe* in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu. *Becanus*, natione Brabantinus, præter Scholasticam Theologiam, quam edidit, brevem, facilem, & expeditam, scripsit insuper varios Tractatus Polemicos, in quibus Cardinalis *Bellarmini* vestigiis insistendo, controversa Fidei Catholicæ dogmata solide defendit. Inter Scriptores ejusdem Societatis Jesu, qui in Antiquitate Ecclesiastica, Critices ac Chronologiæ Disciplinis versatissimi fuerunt, hi Principem locum obtinere debent, *Dionysius Petavius*, *Jacobus Sirmondus*, *Philippus Labbæus*, *Gabriel Cossartius*, *Petrus Possinus*, *Antonius Possevinus*, *Fronto Ducæus*, *Andræas Schottus*, & *Petrus Franciscus Chiffletius*, quorum Opera hic indigitare sat superque sufficiet. In primis, *Dionysius Petavius*, natione Gallus, patria Aurelianensis, insignis Theologus, Historicus, Orator, Poeta, & linguarum exoticarum notitia excultus, varia doctissima conscripsit Opera, inter quæ sunt, *Synesii Ptolomaidis Episcopi Opera e Græco Latine reddita, cum Notis adjunctis*: *Breviarium Historicum Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, cum Notis Chronologicis*: *Opera S. Epiphanii Græce & Latine data, notisque illustrata*: *Opus Theologicum de Dogmatibus Theologicis*, in quinque Tomos distributum: *Opus de Doctrina temporum*: *Rationarium temporum*: *Paraphrasis Psalmorum omnium & Canticorum*: *Variæ Orationes*, aliaque Opuscula Critica, Historica, Chronologica, Polemica, Poetica, Latina, Græca, Hebraica, quæ apud Viros eruditos magno in pretio habentur. *Jacobus Syrmondus*, natione Gallus, complura suæ in Antiquitate Ecclesiastica & in doctrina SS. Patrum profundæ eruditionis in lucem dedit Opera, inter quæ sunt: *Censura de Suburbicariis Regionibus*: *Anastasii Bibliothecarii Collectanea*: *de duobus Dionysiis Dissertatio*: *Sermones S. Augustini*: *Theodoreti Opera Græco-Latina*, Tomis quatuor comprehensa: *Hincmari Remensis Archiepiscopi Opera*: *Historia Prædestinatiana*: *Historia publicæ pœnitentiæ*: *Liber de Azymo*: *Caroli Calvi Capitula*: *Conciliorum Galliæ Collectio*, quæ tribus Tomis continetur. *Philippus Labbæus*, præter *Dissertationem*, quam edidit, *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, & *novam Bibliothecam* MSS. Librorum, duobus Tomis in folio comprehensam, aggressus est Conciliorum compilationem omnium maximam atque locupletissimam, quam Parisiis an. 1672. publicare cœpit, sed cum immensum illud Opus, e vivis sublatus, imperfectum reliquisset *Labbæus*, ei ultimam manum admovit, coronidemque imposuit eruditus *Gabriel Cossartius*, qui in Socii sui *Labbæi* Litterarios labores successit. Plura Scriptorum Græcorum Opera latine reddidit *Petrus Possinus*, natione Gallus, scripsitque tres Epistolas Chronologicas ad *Papebrochium* Societatis Jesu, quæ præfixæ sunt *Conatui Historico Chronologico*, quem edidit Papebrochius *de Vitis Romanorum Pontificum*. Magna, variaque eruditione multarumque rerum experientia instructus fuit *Antonius Possevinus*, natione Italus, patria Mantuanus, qui a *Gregorio* XIII. Pontifice Maximo gravissimis negotiis adhibitus, his ad Moscorum Principem abiit, & inter Moscos, & Polonos pacem feliciter composuit. Scripsit *Bibliothecam selectam, & Apparatum sacrum*, tribus Tomis constantem, & alia Opera. *Fronto Ducæus*, natione Gallus, inter Sæculi sui præstantissimos Viros claruit cum ob ingenii elegantiam, tum ob judicii soliditatem, insignemque sapientiam & modestiam. Multa SS. Patrum Opera recensuit, Notisque doctissimis illustravit, ut *Gregorii Nazianzeni*, *Nisseni*, *Basilii*, *Chrysostomi*. Scripsit præterea *Collectanea in Clementem Alexandrinum*: *Bibliothecam Græcorum Patrum* edi curavit, aliisque Operibus Rempublicam Litterariam illustravit, in quibus eximiam Græcæ linguæ notitiam, amplamque in Antiquitate Ecclesiastica eruditionem prodit. *Frontoni Ducæo* socium addam *Andream Scottum*, natione Belgam, patria Antuerpiensem, qui eloquentiam, Historiam, & Litteras Græcas magna cum laude pluribus in locis docuit: *Adagia Sacra Novi Testamenti* collegit: *Photii Bibliothecam* Latine transtulit: *Observationum humanarum quinque libros* edidit, & multa alia Opera aut scripsit, aut transtulit, aut eruditis Notis illustravit. Denique, *Petrus Franciscus Chiffletius* multa variorum Scriptorum Opera, adjectis doctissimis Notis publicavit. Aliquot Opuscula Critica, & Historica conscripsit, sed præsertim eximium *Tractatum de Linteaminibus*, quibus involutum Corpus Christi Domini sepulturæ fuit mandatum. Prætermittere non debeo alium Societatis Jesu, qui pene mihi e memoria exciderat, Scriptorem, *Joannem Garnerium*, qui vulgavit *Liberati Breviarium*, & *Marii. Mercatoris Opera cum Notis*, & *Dissertationibus*. Inter illos Viros illustres Societatis Jesu, qui Antiquitatis Ecclesiasticæ, Critices Disciplinæ, & Chronologiæ studiosissimi fuerunt, lubens enumerassem *Joannem Harduinum*, natione Gallum, insignem

signem Societatis Jesu Scriptorem; sed cum probe sciam, multa in ejus Operibus inveniri paradoxa, & peregrinas opiniones, quas ipse, jussu Societatis Jesu, publico Instrumento tetractare ac palinodiam canere coactus est, ideo eum hic silentio prætermittam, non secus ac ejus Discipulum *Bartholomæum Germonium*, quem parum æquum Veterum MSS. Codicum æstimatorem esse, palam ostenderunt Cl. Abbas *Justus Fontaninus*, & doctissimus *Petrus Coustant*, Congregationis S. *Mauri* Benedictinus, in his lucubrationibus quas adversus prædictum *Germonium* ad vindicandam veterum MSS. Codicum fidem concinnarunt. Consulto etiam nullam prorsus mentionem feci *Theophili Raynaudi*, Societatis Jesu Scriptoris, licèt librorum, quos edidit, numero superiorum temporum Polyhistores provocarit, ac facile vicerit, nihilosecius nec laudandus, nec probandus est, quod erga Religiosos Ordines, & de Ecclesia bene meritos, sese parum modestum, verum, & æquum Censorem, ut mitius loquar, in libris, quos in publicam lucem edidit, exhibuerit.

D. Texuistine integrum Catalogum Societatis Jesu Scriptorum, qui Sæculo XVII. magna nominis celebritate, & eruditionis fama in Republica Litteraria claruerunt?

M. Infinitus profecto essem, si omnes Sæculi XVII. Scriptores Societatis Jesu Grammaticos, Oratores, Poetas, Philologos, Matheseos, & cæterarum liberalium Artium ac Disciplinarum cultores, qui pene innumeri sunt, vellem impræsentiarum percensere. Hos igitur missos faciam, sicut eximios ejusdem Societatis Concionatores & Scriptores Asceticos, quorum Elogia, & Indices Operum legere poteris, si tibi per otium liceat, apud sæpe laudatum *Philippum Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu*; hic tantummodo referam Scriptores Historicos, quorum Sæculo XVII. feracissima fuit Societas Jesu. Et primo quidem, præter *Maffæum Orlandinum*, *Sachinum*, & *Josephum Jouvancy*, qui Historiam Societatis Jesu culto elegantique calamo scripserunt, præter *Horatium Tursellinum*, qui *Epitomen Historiarum*, & *Domus Lauretanæ Historiam* puro itidem, terso, ac castigato stylo litteris mandavit; alii Sæculo XVII. fuere Societatis Jesu Historici Scriptores, quos inter, hi, quos indigitabo, illustriores esse videntur. *Jacobus Salianus*, Annales Veteris Testamenti ab Orbe condito usque ad Christi in cælum Ascensionem digessit, & in optimo lumine collocavit. Cardinalis *Pallavicinus* ex sinceris Actis ac Monumentis *Historiam Concilii Tridentini* concinnavit, adeo veritatis amans & in scribendo modestus, ut nihil per assentationem affinxerit, nec unquam passus sit aliquod verbum asperum sibi excidere, etiam contra juratos Ecclesiæ hostes. *Famianus Strada*, patria Romanus, rerum Belgicarum Historiam styli majestate complexus, turbatæ Europæ causas, initia, progressus accurate exposuit, & libera, plena, & eleganti narratione posterorum memoriæ tradidit. Vir fuit sublimi admodum ingenio, judicio acri & perpolito, doctrina varia & admirabili, eloquentia rara, imo singulari, quem frustra carpere ausus *Gaspar Scioppius*, alter sui Sæculi Aristarchus, in libro, quem contra ipsum scripturivit, & cui titulus est: *Infamiæ Famiani*. Gallorum Historiam descripserunt duo Societatis Jesu Scriptores, P. *Bussiers* Latine, nuperrime vero idiomate Gallico P. *Daniel*, qui Litterariis Concertationibus, quas cum Dominicanis *Natali Alexandro*, & *Hyacintho Serry* habuit, notissimus est. *Annales* a creatione Mundi usque ad annum Æræ Christianæ MDCLXIII. contexuit *Philippus Brietius*, quos deinde alter Scriptor continuavit usque ad annum MDCXCIII. His Sæculi XVII. Societatis Jesu Scriptoribus Historicis addi jure merito debent illi ejusdem Societatis Jesu Scriptores, qui incredibili labore, nec mediocri doctrinæ apparatu, ingens Opus in plura Volumina tributum *de Vitis & actis Sanctorum*, Sæculo proxime elapso aggressi sunt, & in eo ad umbilicum perducendo etiamnum insudant. Hoc immensum Opus *Heribertus Rosweidus*, Societatis Jesu jam delineaverat, dum viveret, & prima, ut ita loquar, illius fundamenta jecerat; sed, eo inopinata morte sublato Opus ab illo inchoatum continuandi provinciam susceperunt ejusdem Societatis Jesu Scriptores, *Joannes Bollandus*, *Godefridus Henschenius*, *Daniel Papebrochius*, *Cardonus Conradus Janning*, *Franciscus Baert*, *Nicolaus Raxe*, & *Joannes Baptista Sollerius*. Hoc opus, ut libere dicam, in majorem, quam par esset, molem excrevit, totque nunc ingentia comprehendit Volumina, ut iis legendis vix hominis vita sufficere possit; si quis tamen tædium istud devorare velit, offendet in hoc Opere Dissertationes, quæ Historiæ ac disciplinæ Ecclesiasticæ, Critices, ac Chronologiæ Studiosis haud parum inservire poterunt, & ad vindicanda contra hæreticos Acta Sanctorum, præclara ac certa monumenta suppeditabunt. Quo fit, ut merito improbari debeat præposterum judicium, quod *Guillelmus Cave*, Hæreticus Anglus, profert in sua Præfatione partis alterius *Scriptorum Ecclesiasticorum Historiæ Litterariæ*, dum infrunito ore ait, omnia hujusce stupendi Operis Volumina censeri ab emunctæ naris Viris *stultum laborem ineptiarum*, necnon *fabularum & nugarum plaustra*. Sed hactenus de illustrioribus Sæculi XVII. Scriptoribus Societatis Jesu, de quibus plura dicere non patitur Colloquiorum nostrorum brevitas.

D. Superest, ut in hac duodecima, seu ultima Classe Virorum illustrium, qui Sæculo XVII. floruerunt, seriem texas, juxta ordinem a te præscriptum, clarissimorum Congregationis *Oratorii Jesu* Scriptorum, a quibus tamen, ut te breviter expedias, ne longius nostrum protrahatur Colloquium, te etiam atque etiam obsecro atque obtestor.

M. Clarissimorum Congregationis Oratorii Jesu Scriptorum seriem daturus, incipiam a *Petro Berullo*, natione Gallo, qui Gallicanam Congregationem Oratorii Jesu instituit die 4. mensis Novembris anni 1611. & ab *Urbano VIII.* Pon-

Pontifice Maximo Cardinalis creatus est die 2. Octobris an. 1627. Testatur *Guillelmus Gibieuf*, Doctor Sorbonicus, & Gallicani Oratorii Jesu Presbyter, in sua ad *Urbanum* VIII. Epistola nuncupatoria præfixa erudito Operi *de libertate Dei & Creaturæ*, quod ipse ex mandato Cardinalis *Berulli* edidit, testatur, inquam, *Guillelmus Gibieuf*, Cardinalem *Berullum* Thomistarum Doctrinæ de Gratia se ipsa efficaci, & de Prædestinatione gratuita studiosum fuisse. Hæc sunt clarissimi illius Scriptoris verba: *Hujus sententiæ adeo studiosus fuit*, Cardinalis Berullus, *ut se a contraria alienissimum profiteretur. Etsi enim cultores quidem ejus admodum probaret, quod tamen ea illos mente in hujusmodi sententiam descendisse animadverteret, ut rationi humanæ gratificarentur, & erga naturam liberaliores essent, nec originem illam, nec dogma inde derivatum probare unquam potuit. Quin magno animi ardore (ita enim erga Gratiam & Veritatem affectus semper fuit) & repudiabat ipse, & alios quoscumque occasio tulerat adducebat*. Hunc singularem erga Scholam Sancti Thomæ affectum aperte prodit Cardinalis *Berullus* in Epistola quinquagesima septima, in qua profitetur, se scholam S. *Thomæ* sequi in his maxime quæ ad Gratiam attinent. Varios Tractatus Polemicos, & quædam Opera Ascetica composuit Cardinalis *Berullus*, quæ simul collecta Parisiis edi curavit R. P. *Bourgovin*, tertius Congregationis Oratorii Jesu Præfectus Generalis. Post obitum Cardinalis *Berulli*, Congregationis Oratorii Jesu Præfectus Generalis electus *Claudius Condren*, natione Gallus, & Doctor Sorbonicus, diversos Tractatus Asceticos, Polemicos, & Morales, dum viveret, scripsit, qui tamen post ejus duntaxat obitum Parisiis publicam lucem adspexeront. Doctrinæ de Gratia se ipsa efficaci, & de Prædestinatione gratuita, quam *Guillelmus Gibieuf*, Congregationis Oratorii Jesu mox a me laudatus Presbyter, egregie defenderat, vindicias egit *Guillelmus Camerarius*, ejusdem Congregationis Oratorii Presbyter, qui Parisiis contra quosdam Molinïani Systematis Assertores librum luci dedit, cui titulus est: *Antiquitatis de novitate victoria, contra Pseudo-Eugenium Philadelphum*. Alia etiam cum Philosophica, tum Theologica lucubravit Opera, & aliquos selectos Sanctorum Patrum Tractatus, seu Opuscula publicavit. In Sacrarum Scripturarum & Linguarum peritia excelluerunt Sæculo XVII. quinque insignes Congregationis Oratorii Jesu Presbyteri, *Joannes Morinus*, *Bernardus Lamy*, *Richardus Simonius*, *Michael Mauduit*, & *Jacobus de Long*. Horum primus, seu *Joannes Morinus*, patria Blesensis, in Orientalibus linguis versatissimus, Pentateuchi Samaritani editionem una cum sua Latina interpretatione in Bibliis Polyglottis Parisiensibus excudendam suppeditavit: Biblia Græca & Latina juxta duplicem Romanam editionem vulgavit, & variantes lectiones ex Pentateucho Samaritano collegit. Alia insuper *Joannes Morinus* doctissima edidit Opera, præsertim librum unum de *Ordinatione*, librum alterum de *Pœnitentia*, doctissimas Dissertationes *de Hebræi Græcique Textus sinceritate &c.* Prodiit etiam in lucem post ejus obitum *Tractatus de Sacramento Confirmationis* ab ipso elaboratus, in quo multis exemplis ex Historia ac Disciplina Ecclesiastica petitis probandum suscepit, Sacramentum Confirmationis administratum ab Episcopo Hæretico, vel Schismatico, excommunicato, aut degradato, non imprimere characterem, ac subinde iterari debere. Idem in suo libro *de Ordinatione* docet de Ordinationibus factis ab Episcopo hæretico, vel Schismatico &c. Quæ sententia a communi Theologorum opinione abhorret quidem, sed nunquam ab Ecclesia fuit adhuc proscripta. *Bernardus Lamy* contexuit novam *Concordiam evangelicam*, & *Apparatum Chronologicum*, sed occasione novi Systematis, quo pertendit, Christum Dominum anno, quo mortuus est, Agnum Paschalem non comedisse, eumque Sacro-Sanctam Eucharistiam instituisse Luna decima tertia in secundis Vesperis; multi viri eruditi ad novum istud confutandum Systema calamum in eum strinxerunt, quos inter censentur viri illustres *Pie Nud*, & *Tillemontius*, necnon doctissimi Religiosi *Harduinus*, Societatis Jesu, *Mauduit* Congregationis Oratorii Sacerdos, *Pezron*, Abbas Cisterciensis, *Leo de Modena*, Franciscanus, *Bessinus*, Ordinis *S. Benedicti*, quibus accesserunt viri clarissimi D. *Witasse*, Doctor Sorbonicus. & D. *Anquetin* Parochus. Sententiam tamen non immutavit *Bernardus Lamy*: sed eam potius novis editis Opusculis, & Epistolis confirmare, & objecta sibi argumenta diluere nisus est. Extant adhuc quædam ejusdem *Bernardi Lamy* erudita Opuscula Physica, Mathematica, & Moralia, quæ apud viros harumce Disciplinarum peritos, magnam cultissimæ eruditionis famam ei pepererunt. *Richardus Simonius*, linguarum Orientalium notitia apprime instructus, præter *Historiam Criticam veteris ac novi Testamenti*, scripsit: *Disquisitiones Criticas: Historiam Criticam præcipuorum commentariorum in Novum Testamentum. Bibliothecam Criticam: novorum Bibliorum Polyglottorum Synopsin* edidit; & *Gallicam Pentateuchi*, & *Novi Testamenti versionem*, aliaque id genus docta Opera. *Michael Mauduit* texuit *Gallicam Analysim Scripturæ Sacræ*, perdoctis, & utilissimis Dissertationibus illustratam. Scripsit quoque Gallice contra Atheos, eruditum Opsculum. *Jacobus de Long* adornavit *Bibliothecam Sacram*, quæ duobus Tomis in 8. comprehensa omnes ferme Scripturæ Sacræ versiones, & editiones, Bibliorum Concordantias, Concordias Evangelicas, variantium lectionum collectiones, sacros manuscriptos Codices, omnium virorum illustrium in Scripturam Sacram aut Commentarios, Scholia, aut quaslibet alias Lucubrationes complectitur cum Notis Criticis & Historicis passim adjectis, non minus eruditis, quam curiosis. Historiæ & Disciplinæ Ecclesiasticæ illustrandæ egregiam navarunt operam quatuor pietate, & doctrina insignes Congregationis Oratorii Jesu Scriptores, videlicet *Carolus Cointius*, *Gerardus Du-Bois*, *Ludovicus Thomassinus*, & *Joannes Cabassutius*. Primus

mus

mus *Annales Ecclesiasticos Francorum* ab anno Æræ Christianæ 235. usque ad annum 845. octo Tomis in folio complexus est. Alter, seu *Gerardus Du-Bois*, duobus Tomis in folio descripsit *Historiam Ecclesiæ Parisiensis*. Primus Tomus, qui Ecclesiæ Parisiensis exhibet Historiam usque ad finem Sæculi XI. jam in publicam lucem prodiit anno MDCXC. Tomum vero alterum, in quo ejusdem Ecclesiæ Parisiensis Historia usque ad decimum quintum Sæculum producitur, morte sublatus, ineditum reliquit *Gerardus Du-Bois*, sed ut quam primum publici juris fiat, vehementer optant omnes viri eruditi. *Ludovicus Thomassinus*, omnigena doctrina præditus, Disciplinam Ecclesiasticam, cujus semper studiosissimus fuit, tribus Tomis in folio illustravit. Edidit etiam tria immensa volumina *De Dogmatibus Theologicis: Glossarium Hebraicum*: Varios Tractatus *de Jejunio: De Festis: De officiis Divinis: De Eleemosyna: De methodo legendi cum fructu & pietate Christiana libros Poetarum, Philosophorum, & eorum, qui de Historia prophana scripserunt: De methodo pie & Christiane addiscendi Grammaticam & linguas ad rectum & utilem usum lectionis Sacrarum Scripturarum*: *De Veritate & Mendacio, de Juramento & Perjuriis*, & alia luculentissima Opera. *Joannes Cabassutius* eruditam *Conciliorum Notitiam* edidit. Brevem insuper *de Usuris Tractatum*, ac tandem exactam *Juris Canonici Theoriam & Praxim* ad utrumque forum, non solum ad Juris communis & Romani, sed etiam ad Juris Francici normam luci publicæ dedit. Hi, quos hactenus laudavi, celebres Congregationis Oratorii Jesu Scriptores, natione Galli fuerunt, & Gallicanæ Congregationis Oratorii Jesu Sacerdotes, quibus alios quamplures doctissimos Scriptores, Asceticos, Polemicos, Theologos, & inter illos *Gasparem Jueninum*, nec non eximios Concionatores, quorum Gallicana Oratorii Jesu Congregatio feracissima est, facile hic addere possem; quos tamen silentio prætermittere debeo, ut pauca dicam de viris illustribus, quos eodem Sæculo XVII. dedit Ecclesiæ Italica Oratorii Jesu Congregatio, cujus institutor ac conditor fuit *S. Philippus Nerius*. Ut autem brevitati consulam, tres tantum Italicæ Congregationis Oratorii Jesu proferam Scriptores, videlicet *Odoricum Raynaldum*, *Antonium Gallonium*, & *Jacobum Laderchium*. Primus, seu *Odoricus Raynaldus*, Annales Ecclesiasticos, quos Cardinalis *Baronius* a Christo nato ad annum usque MCXCVIII. perduxit, indefesso labore continuavit, & plura Historiæ Monumenta, atque Romanorum Pontificum Diplomata, quæ antehac in Bibliotheca Vaticana delitescebant, in apertam lucem protraxit. Alter, seu *Antonius Gallonius*, patria Romanus, librum primo Italice, deinde latine scripsit de suppliciis, & variis suppliciorum instrumentis, quibus torti, cruciati ac dilaniati fuere Sancti Martyres. Edidit etiam idem *Gallonius* Historiam Virginum, Vitam *S. Philippi Nerii*, Acta aliquorum Martyrum, & *Tractatum de Monachismo S. Gregorii M. Pontificis*, in quo Cardinalis *Baronii* opinionem secutus, probat Sanctum illum Pontificem non fuisse Monachum Ordinis *S. Benedicti*, dataque opera refellit *Constantinum Belot*, Monachum Cassinensem, qui adversus Cardinalem *Baronium* librum scripserat, eique hunc titulum præfixerat: *Sanctus Gregorius M. Pontifex Ordini Benedictino restitutus*. Denique, *Jacobus Laderchius*, qui etiamnum Romæ vivit, eruditam edidit Dissertationem Historicam de Basilicis, quæ *Marcellino* Presbytero, & *Petro* Exorcistæ, Martyrii palmam sub Pontificatu *Marcellini* Papæ adeptis, Romæ sunt consecratæ. Scripsit etiam idem *Laderchius* Vitam *S. Petri Damiani*, & Vitam *S. Crescii* Martyris, ejusque Sociorum, & aliquas Responsiones Apologeticas adversus nonnullos Severioris Critices viros, qui in ejus stylum, & quædam Facta Historica & Chronologica, quæ ipse in Vitis *S. Petri Damiani* & *S. Crescii* Martyris inseruerat, virgam censoriam exercere, eaque liberiori calamo propalare, carpere ac perstringere ausi sunt. Alia Opera nunc lucubrat idem Scriptor, & Continuationem Historiæ Ecclesiasticæ, *ab Odorico Raynaldo* concinnatæ, ad hæc usque nostra tempora prosequitur.

D. Amplum satis pertexuisti catalogum illustrium Scriptorum Ecclesiasticorum, qui Sæculo XVII. doctrina & pietate floruerunt, atque, ut candide fatear, singulari voluptate afficior, quod e tam profundo & immenso mari, cui te commiseras, feliciter tandem emerseris. Nunc, abjecta omni cunctatione, domum me confero, crastina luce, bene fortunante Deo, rediturus, ut te de Doctrina, de Disciplina tam Ecclesiastica, quam Monastica, necnon de Morali Christiana Sæculi XVII. differentem arrectis auribus auscultare possim.

M. Siste, quæso; supersunt quippe adhuc illustres Sæculi XVII. Scriptores, qui licet vitam Regularem professi sint, ad illas tamen, quas superius instituimus, Scriptorum Monachorum, & Regularium Mendicantium classes revocari haud possunt, adeoque necesse est ut eis distinctum locum hic assignemus, eorumque saltem nomina, & Opera, quæ lucubrarunt, indigitemus. In clarissimo Ordine *Beatæ Mariæ de Mercede* unum præ cæteris aliis celebrem Scriptorem laudabo *Franciscum Zumel*, ejusdem Ordinis Præpositum Generalem, qui Doctrinæ Sanctorum *Augustini* & *Thomæ* de Gratia se ipsa efficaci, & de Prædestinatione gratuita tam constanter adhæsit, ut a Molinianæ doctrinæ defensoribus lacessitus, triplicem doctrinæ suæ defensionem adornarit, contra Molinæ doctrinam Censuram scripserit, & Molinianorum Theses de Divina Gratia, censoriis Notis dispunctas, Romam miserit. Edidit etiam idem *Franciscus Zumel* Tractatum *De inconcussa Clementis VIII. Papæ electione, & certitudine infallibili ipsius Pontificatus*, quem cum legisset Summus Pontifex, tanti fecit, ut ipsum Brevi Apostolico dato die X. mensis Martii anni MDCIII. dignatus sit, in quo postquam summam ejus eruditionem, pietatem, & erga Sedem Apostolicam devotionem commendavit,

davit, hæc ſubdit Summus Pontifex: *Sed hæc omnia manifeſtius agnovimus, & proſpeximus ex tuo Commentario, quem & tuo zelo incenſus, & ejuſdem Nuntii noſtri cohortatione permotus nuper ſubſcripſiſti, ut quorundam hominum novitates amantium parum conſideratas, ne quid gravius dicamus, opiniones confutares, & veritatem in re pergravi aſſereres & roborares...... Scito igitur hunc laborem tuum, & eruditam lucubrationem pergratam nobis fuiſſe &c.* Hoc Breve Pontificium *Clementis VIII.* ad *Franciſcum Zumel*, inter Clariſſimi *Pegnæ*, & *Thomæ de Lemos* Adverſaria invenit doctiſſimus noſter *Hyacinthus Serry*, illudque antehac ineditum publicavit, ac integrum dedit pag. 287. lib. 2. *Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis*, Editione, quam ſecundis curis adornavit Antuerpiæ an. MDCCIX. Ex Clariſſimo Clericorum Regularium Ordine, qui vulgo *Barnabitæ* appellantur, unum inſignem Sæculi XVII. ſeligam Scriptorem *Auguſtinum Torniellum*, qui Annales Eccleſiaſticos a creatione Mundi uſque ad Chriſtum ſtylo claro, methodo facili, incredibili labore & diligentia primus digeſſit, nec ſolum in ſuo erudito Opere Sacram Veteris Teſtamenti contexuit Hiſtoriam, ſed etiam bene multas fuſo calamo dilucidavit difficultates, quæ ad Chronologiam, Geographiam, Topographiam, necnon Ritus Judæorum attinent. Quo fit, ut illud *Auguſtini Tornielli* Opus omnibus Scripturæ Sacræ ſtudioſis ampliſſimi & locupletiſſimi Commentarii loco eſſe poſſit. Ordinem Clericorum Regularium, qui *Theatini* appellantur, Sæculo XVII. maxime illuſtravit *Joſephus Maria Thomaſius* Cardinalis a *Clemente XI.* Pontifice Maximo creatus, cujus jam mentionem fecimus in Colloquio Sexto in Hiſtoriam Sæculi XVI. Hic quippe Scriptor cum generis nobilitate, tum pietate & eruditione excellentiſſimus, præter brevem, quem edidit *Indiculum* quorumdam Opuſculorum Sanctorum Patrum, ex quibus præcipua Sacræ Doctrinæ argumenta ſibi derivent Theologiæ Candidati, varios quoque Romæ vulgavit *Inſtitutionum Theologicarum Veterum Patrum* Tomos: *Codices Sacramentorum nongentis annis vetuſtiores: Miſſale Gothicum Francorum & Gallicanum Vetus: Antiquos libros Miſſarum Romanæ Eccleſiæ*: ideſt, *Antiphonarium S. Gregorii Papæ: Pſalterium juxta duplicem Editionem, Romanam & Gallicam, cum Canticis, Hymnario, & Orationali*, aliaque doctiſſima Opera, quibus pius ille Cardinalis, Linguarum Hebraicæ & Græcæ peritiſſimus, nomen ſuum reddidit immortale. Ex Clariſſimo Canonicorum Regularium Sancti *Auguſtini* Ordine prodierunt Sæculo XVII. tres perilluſtres Scriptores, *Petrus L'Allemant*, *Joannes Fronteau*, & *Jacobus Marſolier*, natione Galli. Primus fuit Canonicus Regularis Sanctæ *Genovefæ*, & Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, treſque Tractatus Aſceticos Gallice ſcripſit, nimirum *de Morte Juſtorum: de Teſtamento Spirituali*: & *de piis deſideriis Chriſtiane moriendi*, aliaque id genus Opuſcula Aſcetica. Alter, ſeu *Joannes Fronteau*, ejuſdem Congregationis *S. Genovefæ* Canonicus Regularis, & Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, Linguarum peritiſſimus, præter aliquot Opera Theologica, quæ *de Gratia & Prædeſtinatione*, juxta Scholæ Thomiſticæ doctrinam, edidit; plures etiam ſcripſit Epiſtolas & Diſſertationes, in quibus præclara ſuæ in Sacra Antiquitate, & in Hiſtoria cum Eccleſiaſtica, tum prophana, eruditionis præbuit argumenta. *Jacobus Marſolier*, præter *Hiſtoriam*, quam concinnavit, *Sacræ Inquiſitionis, & ejus Originis*, deſcripſit inſuper Gallice eleganti ſtylo Vitas *S. Franciſci Saleſii*, Cardinalis *Ximenes*, *Armandi Joannis Butillierii Rancæi*, Abbatis Monaſterii *B. Mariæ Domus Dei de Trappa*, Ciſtercienſis Ordinis Reſtitutoris; & Vitam Venerabilis Servæ Dei *Franciſcæ Fremiot de Chantal*, Ordinis Monialium, a Viſitatione S. Mariæ nuncupatarum, una cum *Sancto Franciſco Saleſio* Fundatricis. Adornavit etiam idem *Jacobus Marſolier* luculentam pro *Deſiderio Eraſmo* Apologiam. In Sacro Canonicorum Regularium Præmonſtratenſium Ordine floruit Sæculo XVII. *Caſimirus Oudinus*, qui edidit *Supplementum ad librum Cardinalis Bellarmini De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, in quo plures Scriptores, a *Poſſevino*, *Bellarmino*, & aliis omiſſos, accurate recenſet, & de eorum ortu, patria, natione, profeſſione, fortuna, officiis, & Operibus diligenter diſſerit. In Congregatione *Doctrinæ Chriſtianæ*, quæ ſub Pontificatu Sancti *Pii V.* inſtituta eſt a Venerabili Servo Dei *Cæſare Du-Bus*, natione Gallo, celebris Scriptor fuit *Arnaldus Milhetus*, ejuſdem Congregationis Generalis Præpoſitus, qui poſt quatuor in lucem datos Philoſophiæ libros, brevem, ſed diſtinctam texuit *univerſæ Scripturæ Sacræ notitiam*. Denique, religioſiſſimus Minimorum *Sancti Franciſci de Paula* Ordo protulit Sæculo XVII. plures inſignes Scriptores Philoſophos, *Emmanuelem Maignan*, *Marinum Merſennum*, *Joannem L'alemandot*, *Joannem Saguens*, & *Franciſcum Polanco*, qui etiam quædam Opera Theologica lucubrarunt. Prodiit etiam nuperrime primus Tomus in folio *Theologiæ Patrum Dogmaticæ, Scholaſtico-Poſitivæ, Auctore R. P. Antonio Boucat*, doctiſſimo ejuſdem Ordinis Minimorum Profeſſore natione Gallo. Nihil hic impræſentiarum dicam de Scriptoribus Aſceticis ejuſdem Ordinis *S. Franciſci de Paula*, qui pene innumeri ſunt, & inter quos eminet *Franciſcus Giry*, natione Gallus, qui Tomum in folio *de Vitis Sanctorum* Gallico idiomate ſcripſit. Plura, ſi velis, de Scriptoribus Sanctiſſimi Minimorum Ordinis legeſis apud *Petrum Jacobum Triſtan*, qui an. MDCXVIII. contexuit *Chronicon illuſtrium Scriptorum Ordinis Minimorum*. Totam igitur illuſtrium Sæculi XVII. Scriptorum claſſem claudet *S. Franciſcus Saleſius*, genere nobilis, & natalibus Allobrox, qui in tertium S. *Franciſci de Paula* Ordinem adſcriptus, poſtea Epiſcopus & Princeps Gebennenſis fuit, pluresque libros in lucem emiſit, ſingularem doctrinam, eximiamque pietatem ſpirantes; quos inter præcipui ſunt: *Iſagoges ad Vitam Devotam: Philothea*, ſeu *de Amore Divino: Plurimi Tractatus Parenetici*, & *Epiſtolæ Familiares*. Circumfertur quædam S. *Franciſci Saleſii* Epiſtola ad *Leonardum Leſſium*, Societatis Jeſu,

data

data die 27. Augusti an. MDCXVIII. in qua ajunt, Sanctum illum Antistitem doctrinam *Lessii* de Prædestinatione ad gloriam meritis prævisis innixa, suo calculo approbasse. Verum, ejusdem Epistolam tanquam spuriam, Sancto huic Antistiti suppositam, & adulterinæ foeturæ partum, jure optimo exsufflant Viri eruditi eo potissimum nomine, quod si hæc Epistola genuina certaque esset, suum omni procul dubio tot inter alias *S. Francisci Salesii* Epistolas, summo studio & diligentia conquisitas, locum haberet. Porro, certum est hanc Epistolam, quæ prostat sub nomine *S. Francisci Salesii*, nullum inter ejus Epistolas locum habere, nec habuisse unquam; quod quidem argumento est, eam Sancto huic Antistiti afferi ac vindicari non debere, maxime cum hujusce Epistolæ nullam prorsus mentionem fecerint diligentissimi *S. Francisci Salesii* Operum Editores, quos tamen constat cetera quæque vel minutissima hujus Viri Dei sedulo collegisse Epistolarum fragmenta, eaque publica luce digna judicasse.

D. Quod istud Colloquium solito longiùs protraxeris, jure merito tibi succensere possem; abstineo tamen, veritus, ne idem in me intorqueas proverbium, quod nuperrime legi apud S. *Hieronymum* in Præfatione Commentariorum, quos scripsit in Epistolam S. *Pauli* ad Ephesios, ubi hæc habet: *Parum eloquens sum. Quid ad te? disertiorem lege. Non digno Græca in Latinum transfero: aut Græcos lege, si ejus linguæ habeas scientiam, aut si Latinus tantum es, noli de gratuito munere judicare, & ut vulgare proverbium est, Equi dentes inspicere donati.* Domum itaque me recipio, ibique tacitus aliquas mente agitabo difficultates, quas circa Doctrinam, Disciplinam Ecclesiæ & Moralem Sæculi XVII. ventilari solitas, tibi in proximo nostro Colloquio proponere possim.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Disciplina tam Ecclesiastica quam Monastica, necnon de Morali Christiana Sæculi Decimi septimi.

M. Catholica Fides, quæ, ut sæpe diximus, nulli temporum vicissitudini obnoxia est, illibata omni ævo mansit, manebitque perpetuo in Ecclesia Romana, quæ est sacra doctrinæ Evangelicæ Anchora, ad quam in tanta rerum humanarum caligine, qui salvi fieri volunt, confugere debent, ne errorum undis involvantur, vel, ut hi, qui erroribus impliciti a vera salutis via aberrant, recto cursui restituantur. Nunquam profecto movebitur hæc firma veritatis columna, qua innixi, adversus hujus Mundi vim, semper in deterius, & prolabentis & rapientis obsistemus; æternumque manebit solidum illud, nullis opinionum flatibus, nullis persecutionum procellis cessurum fundamentum, cui Christus Dominus superstruxit doctrinam suam, quæ de omnibus errorum, Hæresumve Monstris ad finem usque Mundi gloriosum reportabit triumphum. Hanc inconcussam fidem, quæ inviolabili temporum serie ad nostram usque ætatem pura & integra in Ecclesia Romana fuit propagata, ut illibaram conservare possis, charissime Discipule, necesse est, ut secteris Consilium Apostoli *Pauli*, quo discipulum suum *Timotheum*, a fabulis, interminatis Genealogiis, & futilibus quæstionibus, ex quibus nihil oriri præter invidias, contentiones, convitia, suspiciones malas, & perpetuas conflictationes, deterret. Quem Apostoli locum interpretans S. *Chrysostomus*, hæc habet: *Vides*, inquit, *quemadmodum*, Apostolus Paulus, *hujusmodi quæstiones damnat ac resecare conatur? Nam, ubi fides est, nulla est quæstionis necessitas. Ubi nihil oportet curiose perquirere, quid opus est quæstione? siquidem quæstio fidem tollit. Etenim, qui quærit, nodum invenit; qui quærit, difficile credere potest; & ideo monet, ne vacemus ejusmodi quæstionibus. Nam si quærimus, jam non credimus. Fides enim animum, cogitationemque facit conquiescere.* Non hæc tamen eo impræsentiarum dico, quod improbare velim Scholasticas conflictationes, ex quibus sæpenumero non aliter elicitur veritas, quam ex collisione silicum ignis excutitur. Sed modum in his ac delectum requiro, tibique auctor sum, ut puram Christi doctrinam haurias ex Sacris Litteris, ex definitionibus Ecclesiæ, & ex his Scriptoribus, qui proxime de istis Sacris fontibus biberunt.

D. Etsi a vanis, & inutilibus quæstionibus, quæ nec ad Fidem illustrandam, nec ad fovendam alendamve pietatem quidquam juvare possunt, semper ipse abhorruerim, mihi tamen summopere semper arriserunt quæstiones illæ, quas ad uberiorem Fidei, Doctrinæ, & Disciplinæ Ecclesiasticæ explicationem Theologi excitare solent. Quapropter, si quæ celebris quæstio circa Doctrinam ac disciplinam Ecclesiæ inter Theologos Sæculi XVII. fuit ventilata, rem longe gratissimam mihi facies, si ejus originem, statum, progressum atque exitum, hic dilucida expositione aperire non graveris.

M. Inter Theologos decimi septimi Sæculi celebris circa doctrinam Ecclesiæ de observatione Jejunii Quadragesimalis emersit in Galliis controversia, cui obsidio Urbis Parisiensis anno MDCXLIX. occasionem dedit. At enim, cum, durante illa obsidione, ob extremam Quadragesimalium eduliorum penuriam, quæ in Civitatem Parisiensem importari omnino non poterant, hujus Urbis Archipræsul carnium esum tempore Quadragesimæ per Dominicos, Lunæ, Martis, & Jovis dies, tam gravi urgente necessitate, indulsisset; quæsitum est a quibusdam Theologis, an Archiepiscopus in Jejunio Quadragesimali, cujus abstinentia a carnibus pars quædam est, præsumeretur dispensasse, non minus, quam in abstinentia carnis dispensaverat. Varie in utramlibet partem pro vario cujusque gustu ac genio, vel ingenio & ratiocinio disceptatum est. Fuerunt quidam Theologi, qui in molliorem sententiam abeuntes, putarunt, eos, cum quibus Archiepiscopus ab abstinentia a carnibus dispensaverat, a lege

à lege jejunii Quadragesimalis esse pariter dispensatos; quasi alterutrius par causa videretur. Alii vero Theologi in contrariam opinionem descenderunt, sicque Archiepiscopi Parisiensis concessam a carnibus abstinentiæ dispensationem intelligendam esse censuerunt, ut cibos tantum in unica ac legitima Quadragesimæ refectione, seu in prandio, suppleret, nec ideo reliquam legis Jejunii partem solveret; quæ seorsim proprio jure suo ad Jejunii Quadragesimalis observationem obstringebat, cum nihil tale Archiepiscopi Parisiensis dispensatio expressisset. Præter has duas diversas Theologorum sententias, tertiam tum temporis opinionem procudit *Joannes Launojus*, Sacræ Facul. Parisiensis Doctor, edidItque librum, cui titulus est: *de veteri Ciborum delectu in Jejuniis Christianorum*, in quo, licet doceat, a lege Jejunii non dispensari eos, quibus ab Episcopis conceditur facultas tempore Quadragesimali comedendi carnes, pertendit attamen, carnes qualescumque, etiam extra urgentem necessitatem comestas, non officere Jejunio Quadragesimali, fuisseque libere olim a Christianis jejunantibus, & in Quadragesima ipsa pro suo nutu & arbitrio usurpatas.

D. Theologorum decimi septimi Sæculi circa jejunii Quadragesimalis observantiam discrepantes opiniones certe video, sed cui sententiæ, seu probabiliori & legibus Ecclesiæ magis consentaneæ, adhærere debeam, dubius ac pendulus adhuc hæreo.

M. Ut mentem meam clariori, qua fieri poterit, methodo aperiam, necesse est, ut primo ostendam contra *Joannem Launojum*, nunquam Christianis jejunantibus & præsertim tempore Quadragesimæ, licitum fuisse carnes pro suo nutu, & arbitrio usurpare, eisque libere vesci. Deinde, evincam contra quosdam recentiores Theologos eos, qui tempore Quadragesimæ petunt, & obtinent ab Episcopis facultatem comedendi carnes, eo solo moti argumento, quod timeant, ne cibi Quadragesimales eorum sanitati officiant, non dispensari, vi illius obtentæ facultatis, ab observatione legis quadragesimalis Jejunii. Et primo quidem, quam antiqua, quam sancta, quam solemnis, quam unanimi Patrum, & Græcorum, & Latinorum sensu comprobata, & quam ex universali Ecclesiæ usu, & instituto necessaria sit in jejunio quadragesimali abstinentia quarumcumque carnium ex perpetua, sibique semper constanti traditione ab Apostolis profecta, & ad hanc usque ætatem in Ecclesia Romana fideliter conservata, facili negotio demonstrare possem. Sed, ne in referendis pene innumeris Sanctorum Patrum, cum Græcorum, tum Latinorum testimoniis, atque Historiæ Ecclesiasticæ Monumentis prolixior sim, pauca dumtaxat seligam, quæ ad exsufflandam novam, falsam ac periculosam, ne quid gravius dicam, *Joannis Launoji* sententiam sat superque sufficient. *S. Basilius* Hom. 1. de Jejunio ait: *Carnes non edis, a Vino abstines, Vesperam expectas, ut cibum sumas*. S. Augustinus serm. 1. de Dominica prima Quadragesimæ: *Illa est*, inquit, *in quadragesimæ diebus grandis utilitas*; *quod dum etiam a licitis abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui enim abstinemus nos a carnibus, quibus aliis diebus uti licet; qui nos abstinemus a vino, quo moderate uti licet; qui vitamus quæ aliquando licent; in primis fugiamus peccata, quæ omnino nunquam licent*. Non minus diserte loquitur *Theophilus* Alexandrinus in Epistola 3. Paschali ad universos Ægypti Episcopos, ubi hæc habet: *Nequaquam in diebus Quadragesimæ vini poculum suspiremus, neque in procinctu prælii, ubi labor & sudor est necessarius, carnium edulio delectemur. Qui autem legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in jejuniis, carnium esum repudiant*. His Sanctis Patribus succiount *Cyrillus Hierosolymitanus*, *S. Chrysostomus*, quorum prior in Catechesi quarta sic scribit: *Abstinemus per jejunium a carnibus, non quod eas abominemur, sed quod mercedem expectemus*. Alter vero, seu *S. Chrysostomus* Homil. 1. super Genesim de jejunio Quadragesimæ loquens, ait: *Jam coquorum discursus, & pecudum mactationes e medio tollantur*. Quin, tanto disciplinæ rigore abstinentia a carnibus in Jejunio Quadragesimali a fidelibus observari debebat, ut Patres Concilii Toletani octavi statuerint, ut ille, qui diebus Quadragesimæ carnes edere attentasset, Communione Paschali privaretur, & per illius anni curriculum ab omni esu carnium abstineret; *Si quis*, definit Concilium Toletanum, *carnium esum diebus Quadragesimæ præsumpserit attentare, non solum reus Resurrectionis Dominicæ, sed alienus erit ab ejusdem diei Communione, ac per ipsius anni reliquum tempus ab omni esu carnium abstinebit*. His omnibus adde rem singulari sane observatione dignam, quam *Nicephorus* lib. 17. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 52. narrat, videlicet quod, imperante *Justiniano*, cum gravis fames Urbem Constantinopolim urgeret, ideoque secunda Quadragesimæ Hebdomada carnes in foro vendi *Justinianus* imperasset, populus tamen, qui præceptum de abstinentia a carnibus in Jejunio Quadragesimali observare statuerat, neque illas emebat, nec edebat, *mortem* (quam ex fame passurus erat) *sibi potius tolerandam ac subeundam existimans, quam ut quidpiam de patriis moribus ac traditionibus immutaret*. Ex his, & aliis id genus momentis liquido patet, semper & ubique apud omnes Christianos carnium esum in Jejunio Quadragesimæ prohibitum fuisse, eisque piaculum visum esse, si in prædicto Jejunio carnibus vescerentur. Plura in hanc rem contra *Jo[a]nnem Launojum* legesis apud nostrum *Joannem [N]icolai* tum in secundo tom. *Pantheologiæ nos[tri]... Raynerii*, titulo *de Jejunio*, editionis accuratioris, quam ipsa, multis undecunque adjectis auctam ac illustratam, Lugduni in Galliis anno MDCLXX. adornavit; tum etiam in ea, quam idem doctissimus *Joannes Nicolai* contra *Joannem Launojum* edidit Dissertatione de *Jejunii Christiani*, & *Christianæ Abstinentiæ vero ac legitimo ritu*, *juxta veterem Ecclesiæ universalis usum*, ubi doctissimus P. *Joan. Nicolai* luculenter ostendit, illusorias, ac ineptas esse objectiones, quas famosus *Joannes Launojus* Anticriticus proponit ad prædictum de abstinentia

tia

tia a carnibus in Jejunio Quadragesimali universalem antiquitatis usum, unanimem consensum Patrum, & Ecclesiæ sensum, vel etiam historicorum testimonium eludendum.

D. Insidet adhuc animo circa sententiam *Joannis Launoii* scrupulus, quem mihi evellas velim. Enim vero Sancti Patres, quorum testimonia laudasti, fidem faciunt, Christianos in Jejunio Quadragesimali abstinuisse non solum a carnibus, sed etiam a vino. Porro verosimile non est, Ecclesiam universalem antiquitus imposuisse omnibus Christianis præceptum de abstinentia a vino in Jejunio Quadragesimali; ergo nec quoque præcepto eos obstringere voluisse ad abstinentiam a carnibus in Jejunio Quadragesimali. Utraque igitur abstinentia, videlicet a carnibus, & a vino, in antiqua Ecclesia non erat in præcepto, sed duntaxat in consilio, ita ut fideles, si vellent, possent pro suo nutu & arbitrio in Jejunio Quadragesimali comedere quascumque carnes, & bibere vinum, licet vi præcepti Ecclesiastici obstringerentur ad servandam Jejunii Quadragesimalis legem, quæ in unica in die refectione consistit, sicut pertendit *Joannes Launojus*.

M. Ad eliquandam propositam difficultatem tria in Jejunio Quadragesimali accurate discerni debent, quæ perperam nonnulli promiscue confundere solent. Primo in Jejunio Quadragesimali attendi debet hora, seu tempus, quod pro Jejunii termino institutum ac præfixum est. Secundo, notandus est modus aut rigidior, aut magis temperatus, quo observari potest Jejunium Quadragesimale. Postremo, præcipua ratio in Jejunio Quadragesimali haberi debet tum abstinentiæ a carnibus, tum unicæ refectionis quæ in jejunio sumenda est. Quod spectat horam, seu tempus, quod pro Jejunii Quadragesimalis termino institutum ac taxatum est, res est puræ Disciplinæ, quæ vicissitudini temporum fuit obnoxia. Antiquitus enim pro solvendo Jejunio Quadragesimali juxta strictiorem regulam expectari debebat hora vespertina, ita ut refectio non nisi sub noctem, hoc est, post occasum Solis, sumi posset. Deinde tamen, prolabente paulatim, vel sopito primitivorum Ecclesiæ Sæculorum fervore, jejunium quadragesimale ad horam nonam (quæ nostræ horæ tertiæ post meridiem correspondet) revocatum est, juxta illa quæ Secundæ Secundæ qu. 147. a. 7. notat S. *Thomas*, Doctor Angelicus, & quæ hunc morem adhuc ejus tempore usitatum ac observatum indicant. Nunc vero tandem ad horam sextam seu meridianam jejunium quadragesimale, ne qua nimiæ debilitatis excusatio prætexi possit, reduxit pia mater Ecclesia, hoc interim servato usus antiqui monumento, ut quemadmodum in aliis jejunii diebus Ecclesia Officium horæ Canonicæ, quæ *Nona* dicitur, præmittit ante refectionem, sic in Jejunio Quadragesimali horam Vesperarum cantet ante refectionem; quamvis nec id ad essentiam Jejunii Quadragesimalis requiratur, & aliter fieri, saltem privatim, possit, sicut casuum Conscientiæ Scriptores passim notant. Posset tamen etiamnum, si quis vellet, jejunium Quadragesimale protrahere usque ad horam nonam, juxta veterem usum, modo id faceret absque scrupulo & superstitione, vel affectatione singularitatis, vel aliter facientium contemptu, & condemnatione, ut docent periti Casuistæ. Quod attinet ad modum rigidiorem, vel magis temperatum, quo Jejunium Quadragesimale observari potest, certum est, longe rigidiorem olim Jejunii Quadragesimalis observantiam extitisse, quam nunc sit, aut ab aliquot Ecclesiæ Sæculis extiterit, non tantum quoad horam vespertinam, qua, ut mox diximus, Jejunium Quadragesimale solvebatur, aut refectio sumebatur, verum etiam quoad ciborum usum, quo Christiani non tantum a carnibus, ovis, & lacticiniis abstinere solebant, & ex lege debebant, sed etiam a quibusdam fructibus, & vino. De fructuum quippe abstinentia sic S. *Augustinus* expressis verbis dicit: *Christiani* (*non hæretici*) *sed Catholici, edomandi corporis causa propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non solum a carnibus, verum etiam a quibusdam terræ fructibus, vel semper, sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam fere omnes, quanto magis quisque vel minus seu voluerit, seu potuerit.* Vini vero abstinentiam in Jejunio Quadragesimali antiquitus fuisse communiter observatam, patet ex testimoniis Sanctorum Patrum, quæ supra adduximus. Ceterum, ad illum rigidiorem modum servandi Jejunium Quadragesimale non omnes & ubique Christiani ex præcepto universalis Ecclesiæ tenebantur, sed tantum multi ex devotione & non ex præcepto, vinum in Jejunio Quadragesimæ non bibebant, vel a quibusdam terræ fructibus abstinebant, ut magis corpus macerarent, & perfectius jejunarent, cum dubium non sit, abstinentiam a vino ad perfectionem Jejunii pertinere, etsi vini potus moderate sumpti essentiali Jejunii conditioni non adversetur. Hinc S. *Hieronymus* in Epist. 3. *de Vita Clericorum* scribens ad *Heliodorum* ait: *Si absque vino ardeo adolescentia & inflammor calore sanguinis & succulento validoque sum corpore, libenter carebo poculo, in quo suspicio est veneni*, quod videlicet animam perimit per peccatum, non secus ac venenum proprie dictum corpori mortem infert. Vides itaque ad hunc strictiorem modum Quadragesimale Jejunium observandi per abstinentiam a fructibus, & a vino, quem ad perfectionem Jejunii commendant Sancti Patres supra a me laudati, non omnes fideles ex præcepto universalis Ecclesiæ obstrictos fuisse, sed prædictam abstinentiam ex devotione, & majori quorumdam Christianorum fervore originem habuisse. Quod quidem confirmari etiam potest ex his, quæ *S. Epiphanius* ad calcem sui Operis *contra Hæreses* refert de Christianorum rigidiori modo jejunandi in ultima Quadragesimæ hebdomada, his verbis: *Præterea, sex illos* (Dominico excluso) *Paschatis dies* (hoc est, Paschati proximos, & Passioni Christi, veri Paschatis nostri, commemorandæ consecrato) *transigere xerophagiis, idest, arido victu, populus omnis consuevit: sive panem duntaxat sub vespe-*

ram

nem cum aqua potu ad corporis refectionem adhibere. Quin, addit quoque, quod & *nonnulli ad biduum, vel triduum vel quatriduum jejunia prorogant, & alii etiam hebdomadam integram usque ad sequentis Dominicæ gallicinium sine cibo transmittunt*. Hic autem rigidior in ultima Quadragesimæ hebdomada jejunandi modus, peculiaris tantum devotionis fuit, ex nullo universalis Ecclesiæ præcepto, sed solum ex usu, seu pia quadam consuetudine, quæ præsertim in Ecclesia Orientali inoleverat, observari solitus. Cum igitur juxta illum rigidiorem tempore Quadragesimæ jejunandi modum Christianos non obligaret universalis Ecclesia, nunc breviter ostendere debemus Ecclesiam universalem Christianis omnibus duo tantum præcepta olim imposuisse, & etiamnum imponere in jejunio Quadragesimali observanda. Primum Ecclesiasticum præceptum imperat abstinentiam a carnibus, ovis & lacticiniis. Alterum præceptum indicit, unicam videlicet refectionem in die. Hæc autem duo præcepta omnino inter se distincta ad observationem jejunii Quadragesimalis ab Ecclesia universali fuerunt quidem statuta, cum eo tamen discrimine, quod si quis præceptum Ecclesiasticum de unica refectione in die tempore Quadragesimæ non observaret, sed bis in die reficeretur, jejunium frangeret; at si quis, vel ob extremam urgentem necessitatem, vel quia timet, ne cibi Quadragesimales notabile damnum ejus sanitati inferant, a Superioribus Ecclesiasticis obtineat facultatem comedendi carnes, vel ova tempore Quadragesimæ, & semel tantum in die reficiatur, atque in unica illa refectione moderate carnes, vel ova comedat, jejunium non solvere, sed observare censetur, quia jejunium, ut docent Theologi & periti Casuum Conscientiæ Scriptores, principaliter in unica refectione consistit, quippe quæ a principio jejunii instituta est in Veteri Testamento, in quo Judæis jejunantibus unicam tantum refectionem ad Vesperam sumere licitum erat, nullus tamen cibus in illa Vespertina refectione eis prohibitus erat. Hinc *S. Thomas* principalem Ecclesiæ in institutione Jejunii Quadragesimalis finem, seu primariam intentionem, constituit in unica refectione, quæ in Jejunio Quadragesimali fieri debet, ita docet *S. Thomas* Secundæ Secundæ q. 147. art. 6. ubi hæc habet: *Dicendum quod jejunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrænandam, ita tamen quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest & naturæ satisfacere, & tamen aliquid concupiscentiæ detrahit, diminuendo comestionum vices: Et ideo Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel a jejunantibus comedatur*.

D. Cum perpetuum in Ecclesia viguerit præceptum, sicut luculenter mox demonstrasti, de abstinentia a carnibus, ovis & lacticiniis in Jejunio Quadragesimali ab omnibus Christianis jugiter observatum, facile percipio, errasse *Joannem Launojum*, dum pertendit, Christianis olim in Jejunio Quadragesimali quascumque carnes pro suo nutu & arbitrio usurpare integrum fuisse. Sed nunc scire velim, an iidem erraverit idem *Joannes Launojus*, dum asserit, eos quibuscum Superiores Ecclesiastici dispensant a præcepto de abstinentia a carnibus, ovis & lacticiniis tempore Quadragesimæ, teneri tamen ad observationem alterius præcepti de unica refectione in die sumenda, illosque non eximi a lege jejunii? Hæc siquidem *Joannis Launoji* sententia paulo mihi durior videtur, præsertim cum plures moderni Casuistæ (sicut nuperrime audivi) intrepide doceant, eos, qui ob periculum ne cibi Quadragesimales eorum valetudini detrimentum afferant, petunt & obtinent a Superioribus Ecclesiasticis licentiam edendi carnes tempore Quadragesimæ, non amplius obstringi ad legem jejunii, sed bis in die, citra ullum vel minimum scrupulum, posse carnibus se se reficere.

M. Non solum *Joannes Launojus*, sed plures gravissimi, juxta ac doctissimi Theologi & Casuistæ, quorum hic Catalogum texere longum esset, palam docent ac tuentur, eos qui nulla ægritudine laborantes, & ob periculum duntaxat, ne cibi Quadragesimales eorum saluti noceant, petunt & obtinent a Superioribus Ecclesiasticis licentiam comedendi carnes tempore Quadragesimæ, nullo pacto dispensari, vi obtentæ illius facultatis, a lege jejunii, sed semel in die se reficere debere, & in illa unica refectione carnes salutares moderate sumere. Huic doctissimorum Theologorum sententiæ utroque pollice subscribo, ductus variis momentis, quibus tu ipse, cum sis veritatis amans, & animæ potius quam corporis salutis percupidus, assensum, ut spero, præbere non detrectabis. Et primo quidem, si ex præscripto prudentię pręcepto tenemur meliores commodioresque emere vestes, salubrius sumere medicamentum, tutiorem viam eligere; multo potiori ratione prudentia suadere debet, in materia morum & salutis animę, eas a nobis eligendas esse opiniones, quę magis legi Dei & Ecclesię favent, relictis ac penitus repudiatis illis opinionibus, quę ad nutriendam & fovendam cupiditatem conducere possunt. Porro, sententia eorum, qui a lege jejunii illos eximunt, quibus tempore Quadragesimę conceditur facultas comedendi carnes, ne cibi Quadragesimales eorum saluti noceant; hęc, inquam, sententia favet cupiditati, cum semel exempti a lege jejunii possint non solum bis, sed ter, quaterve carnibus refici in die. Non stat etiam hęc sententia pro lege Ecclesię, quia Ecclesia, pręter illud pręceptum, quod Christianis tempore Quadragesimę imponit de abstinentia a carnibus, ovis & lacticinio, alio pręcepto illos adstringit ad jejunium, quod quidem Ecclesiasticum pręceptum convellit, ac penitus e medio tollit prędicta sententia. Est quoque minus probabilis hæc opinio tum probabilitate extrinseca, utpote quæ paucos habet patronos ac defensores, præ numero doctissimorum Theologorum & Casuistarum, qui alteri oppositæ sententiæ patrocinantur; tum probabilitate intrinseca, quia nullis solidis innititur rationibus, sed puris putisque argutiis, excogitatis ad excusandas excusationes in peccatis. Prętereа hi qui a pręcepto de abstinentia

nentia a carnibus a Superioribus Ecclesiasticis dispensantur, eo quod cibi Quadragesimales eorum valetudini officere possent, nihilosecius alterum præceptum Ecclesiasticum tempore Quadragesimæ Christianis impositum de unica refectione sumenda in die possunt absque ullo suæ salutis detrimento observare; ergo, stante etiam dispensatione a præcepto de abstinentia a carnibus, tenentur alterum adimplere Ecclesiæ præceptum de unica tempore Quadragesimæ sumenda refectione in die, hoc est, semel tantum in die carnibus se reficere, sicque saltem facere quod possunt, sicut in simili morum materia definivit *Innocentius XI.* Pontifex Maximus in suo Decreto die 4. mensis Martii anni 1679. dato, in quo inter varias Propositiones, morum doctrinam spectantes, hanc ordine quinquagesimam quartam his verbis conceptam proscripsit. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest tamen aliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*. Denique, eos, quos Superiores Ecclesiastici a præcepto de abstinentia a carnibus dispensant, ne cibi Quadragesimales eorum saluti noceant, ab obligatione tamen alterius præcepti de sumenda unica refectione in die, in qua consistit ratio formalis jejunii, non esse exemptos manifesto patet ex Bullis & Constitutionibus editis a Summis Pontificibus, qui diserte declararunt, eos, cum quibus dispensarunt a præcepto de abstinentia a carnibus, quod cibi Quadragesimales eorum saluti noxii esse possent, non excipi a lege jejunii, sed teneri tempore Quadragesimæ unicam in die sumere refectionem. *Gregorius XIII.* in Bulla *Cruciatæ* pro Regno Lusitaniæ sic statuit: *Præterea indulgemus, ut dicto triennio durante, carnibus de consilio utriusque Medici, temporibus jejuniorum tam Quadragesimalium, quam quorumcumque dierum totius anni vesci possint, ac pro eorum libito ovis, & lacticiniis, ita quod, qui carnes comederint, servata in ceteris jejunii Ecclesiastici forma, dicto jejunio satisfecisse censeantur*. *Alexander VII.* Pontifex Maximus anno 1657. Romæ promulgavit Edictum, quo, propter pestem, quæ anno præcedenti in hac Urbe sævierat, dispensavit tempore Quadragesimæ cum Civibus Romanis a præcepto de abstinentia carnis in diebus Dominicæ, Lunæ, Martis, & Jovis, expresse tamen declarans, eos jejunium servare debere, excepta die Dominica, in aliis diebus, in quibus libere possent carnibus vesci. Similem dispensationem a præcepto de abstinentia carnis tempore Quadragesimæ anno 1658. totius Ducatus Mediolanensis Fidelibus indulsit idem Pontifex, ea apposita Clausula: *Citra tamen exemptionem a jejunio:* Denique, in Edicto, quod Romæ pro observatione Quadragesimæ sub Pontificatu *Clementis* XI. anno 1703. publicatum est, hæc Clausula inserta fuit: *Ed osservare il digiuno, alle di cui leggi sono tenuti anche quelli, che per giusta causa si cibano di carni salubri*. Quæ verba sic latine redduntur. *Et debent observare jejunii legem, ad quam obstringuntur illi, quibus justa de causa permittitur, ut tempore Quadragesimæ carne salubri vescantur*. Sed, cum hæc inserta Clausula quibusdam displicuisset, diligentius hujusce rei examen selectis Viris eruditis commisit *Clemens* XI. Pontifex Maximus, atque post perfecta & ad Sanctuarii pondus librata hinc inde illorum Censoria suffragia, tandem ad marginem Edicti, quod Romæ pro Quadragesimæ observatione anno 1704. typis edendum ac vulgandum erat, sicut singulis annis fieri solemne est, hanc Clausulam propria manu scriptam, Edictoque inferendam, ipsemet Pontifex *Clemens* XI. apposuit: *Ed osservare il digiuno, alle di cui leggi siano tenuti anche quelli che si cibano di carni salubri col motivo di essere loro nocivo il vitto Quaresimale*. Quæ verba sic latine redduntur. *Et teneantur observare jejunium, a cujus lege non dispensantur illi, qui salubri carne vescuntur, eo solo ducti motivo, quod eorum saluti noceant Quadragesimales cibi*. Cum prædicta Pontificis Clausula Edictum pro observatione Quadragesimæ Romæ anno 1704. fuit publicatum. Extat etiam Edictum *Pauli Manfredi*, Urbis Romæ, totiusque Status Ecclesiastici Protomedici Generalis, datum Romæ pro observatione Quadragesimæ anno 1703. in quo expresse asserit, eos, quibus ex speciali Ecclesiæ indulgentia licet tempore Quadragesimali vesci carnibus, quod cibi Quadragesimales eorum sanitati haud modicum damnum afferre possent, non dispensari, juxta mentem Summi Pontificis *Clementis* XI. & declarationem *Gasparis Carpegna*, Cardinalis Vicarii ejusdem Summi Pontificis, ab observatione jejunii: *Nè per tanto li dispensano dall' astinenza, e digiuno in tutte le sere obbligate, non dovendoli, nè potendoli i Medici sciogliere da questa obbligazione, che per altro è salutare, e giovevole, benchè per le loro sanità se gli conceda il mangiare carni, conforme espressamente, coll' Oracolo di Nostro Signore, dichiara nel suo Editto Sua Eminenza*, seu Cardinalis *Gaspar Carpegna* Summi Pontificis *Clementis* XI. Vicarius, in suo Edicto, quod jussu ejusdem Summi Pontificis pro observatione Quadragesimæ Romæ anno 1703. publicavit.

Ex his itaque Bullis & Edictis Romanorum Pontificum, aliisque Documentis ad jejunii Quadragesimalis observationem spectantibus, quæ Clarissimus Canonicus *Nicolaus Antonius Cuggiò*, Cardinali Vicario Summi Pontificis a Secretis, Vir Doctrina & pietate conspicuus, & adhuc Romæ vivens, mecum summa humanitate communicavit, facile colligere potes, primo, non posse cum usu & consuetudine Ecclesiæ, atque Edictis Summorum Pontificum, pro observatione jejunii Quadragesimalis Romæ promulgatis, conciliari opinionem illorum, qui dictitant, non posse stare obligationem servandi legem jejunii, quando a Superioribus Ecclesiasticis conceditur dispensatio a præcepto abstinentiæ a carnibus; cum tamen, sicut mox ostendimus, Summi Pontifices, avitam secuti Ecclesiæ consuetudinem, conceptis verbis asserant, his, quibus ex indulgentia Ecclesiæ fas ac licitum est tempore Quadragesimæ comedere carnes, necessitatem incumbere jejunandi singulis diebus Quadragesimæ, exceptis tamen diebus Dominicis, nisi

al qua

aliqua ægritudine laborent quæ eos eximat a lege jejunii. Secundo, colligere debes, rationem formalem jejunii sitam esse in unica refectione, quæ in die sumi debet, & non in abstinentia a carnibus, cum certum sit, juxta Doctrinam Ecclesiæ expressam in Bullis, & Edictis Romanorum Pontificum, quæ superius laudavi, solvi jejunium, si bina in die fiat refectio, & versa vice, non solvi jejunium, si quis, post legitimam a Superioribus Ecclesiasticis obtentam dispensationem, semel in die tempore Quadragesimæ carnibus vescatur. Quando autem dico, rationem formalem jejunii sitam esse in unica refectione in die, non id eo in sensu intelligas velim, quasi unica illa refectio ita necessario in die sumenda sit, ut ille, qui ab ea abstineret, non jejunaret, cum potius perfectius jejunium servaret, si, ad exemplum Christi Domini, nullam in die sumeret refectionem; sed hoc in sensu a te intelligendum velim, quod unica refectio ita constituat jejunium, ut si quis in die bis reficiatur, jejunium solvere censeatur. Ut autem compertum habeas, quam diligentissime providerint Summi Pontifices, ne hæc lex jejunii in unica refectione posita, impune frangeretur, consulto hic inferam quinque propositiones, quas, cum ceteris aliis, numero quadraginta quinque, *Alexander* VII. Pontifex Maximus proscripsit duobus Decretis, quorum primum datum est die 24. mensis Septemb. an. 1665. Alterum vero fuit publicatum die XVIII. Martii an. 1666. Prima Propositio, quæ inter alias ab hoc Summo Pontifice jure optimo confixas est ordine vigesima tertia, sic habet: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat.* Altera Propositio, quæ est ordine vigesima nona, hæc est: *In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Tertia Propositio, quæ est ordine trigesima, his verbis concepta est; *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.* Quarta Propositio, quæ est ordine trigesima prima, ista est: *Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt, equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit; & etiamsi iter unius diei conficiant.* Quinta Propositio est hujus tenoris: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget.* Has quinque Propositiones ab *Alexandro* VII. damnatas detestari debes, iisque adhærere Sanctionibus, quas Summi Pontifices & Concilia circa jejunii Ecclesiastici observantiam præscripserunt.

D. Cum, occasione celebris istius Controversiæ, quæ circa observationem jejunii, potissimum Quadragesimalis, a Theologis Sæculi XVII. ventilari cœpit, essentiam, conditionem, necessitatem & obligationem jejunii Ecclesiastici hactenus enucleate exposueris, optarem tandem, ut hic, juxta Doctrinam S. *Thomæ*, præcipuas assignares causas, seu legitima impedimenta, quæ aliquos ab Ecclesiastico jejunio, sive per Ecclesiam instituto, dispensare, vel eximere possunt.

M. Duæ potissimum causæ, juxta Doctorem Angelicum, ab obligatione jejunii Ecclesiastici aliquos eximere possunt, *ætas* videlicet & *necessitas*. Et primo quidem pueri ob ætatem a lege jejunii Ecclesiastici dispensantur, tum quia propter naturæ debilitatem frequenti cibo, & non multo simul utuntur, tum quia etiam usque ad finem tertii Septennii, hoc est, usque ad annum completum vigesimum primum, semper sunt in statu augumenti, propter quod multo, seu frequenti indigent alimento. Secundo, senes, non quidem omnes, sed qui ad annum septuagesimum vel octogesimum pervenerunt, a jejunio Ecclesiastico immunes & excusati supponuntur, quia ætas effœta & ad ultimam vitæ periodum jam declinans, gravem debilitatem secum trahit. Hinc apposite S. *Hieronymus* in Epistola 22. Veteris editionis, ad *Eustochium*, Cœnobitarum instituta referens, ait: *Vivitur pane, leguminibus & oleribus, quæ sale solo condiuntur; Vinum tantum senes accipiunt, quibus, & parvulis fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens.* Quod si tamen in senibus, etiam provectioris ætatis, tanta debilitas non sit, ut eorum sanitati notabiliter non noceat, expedit, ut jejunium Ecclesiasticum, quantum pro viribus possunt, observare conentur, sicut & olim, nulla ætatis habita ratione, fuisse ab illis observatum, testantur Sancti Patres, *Basilius* Homilia 2. *de jejunio*, ubi ait: *Senibus ab antiquo assuetudo levem facit jejunii laborem;* & Sanctus *Ambrosius* in Sermone trigesimo quinto, ubi inquit: *Pudet dicere: senes & Aniculæ Quadragesimam faciunt, juvenes & juvenculæ non faciunt.* Altera causa, quæ a lege jejunii Ecclesiastici aliquos eximere potest, est necessitas, quæ nascitur aliquando ex infirmitate, paupertate, mendicitate, peregrinatione, operatione, prægnatione, & lactatione. Hinc primo, hi, qui infirmi sunt, liberantur a lege jejunii, propter impotentiam jejunandi. Secundo a lege jejunii immunes sunt pauperes, qui ostiatim victum quærunt, quod nempe ipsis cibi ad unam, quæ honesta sit, refectionem non sufficiant: *Pauperes*, ait S. Thomas, *qui possunt sufficienter habere, quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem a jejuniis Ecclesiæ, a quibus tamen excusari videntur illi qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.* Tertio, Peregrinantes, & Operarii eximuntur a lege jejunii, cum tantus est eorum labor, ac vehemens motus corporis, ut sine valetudinis detrimento jejunium observari non possit. Si tamen labor sine detrimento differri queat, aut sine gravi motu, vel agitatione corporis, aut brachiorum contentione vehementi peragi possit: Si etiam peregrinantes solius voluptatis causa iter suscipiant, aut illud pedibus non conficiant, sed curru vehantur, vel navigio deportentur, vel in equis incedant, vel aliquo quolibet modo in itinere subleventur, ne illius difficultatem experiantur aut sentiant, tunc nec peregrini, nec artifices

 a le-

a lege jejunii excusantur. Hinc violatæ legis jejunii rei sunt Pictores, Tonsores, Sutores, & alii hujus generis artifices, quando non jejunant, quia Opera quibus vacant, non sunt gravia, ac subinde nulla legitima subest causa, quæ jejunium pati secum non possit, vel quæ jejunium impossibile reddat, sive notabiliter difficile, ac sanitati periculosum & nocivum, sicut contingit in aliis Artibus mechanicis, quas exercent Fabri ferrarii, Monetarii, Lignarii, & Murarii, aliique similes Opifices operantes vehementi corporis & brachiorum contentione, quæ secum pati non potest jejunium, vel illud saltem reddit valde sanitati periculosum, adeoque illos excusat a lege jejunii, non tamen a carnium, vel aliorum, quæ tempore jejunii prohibentur, alimentorum abstinentia immunes reddit. Quarto, Mulieres prægnantes, aut Nutrices lege jejunii eximuntur, ne scilicet jejunium fœtui, quem vel in utero gestant, vel lactentem ad ubera portant, noceant. At legem jejunii violant mulieres illæ, quæ non jejunant, quod videlicet capite, ut ajunt, non nunquam laborent, quod non dormiant, si incœnatæ decumbant, & quod e sua forma exteriori, seu e venusta corporis sui specie, quam deperdeunt, per jejunium excidant. Ejusmodi, inquam, mulieres, nec molliores Confessarii, nec Medici, qui illis lenocinantur, a lege jejunii excusare, aut in foro conscientiæ tutas reddere possunt, nec debent. Præter has duas, mox a me, post S. *Thomam*, & celebres Theologos, assignatas præcipuas causas, quæ ex ætate, vel necessitate petitæ aliquos a communi jejunandi lege eximere possunt, aliam causam non jejunandi adducunt non ignobiles Theologi, eamque desumunt ex utilitate spirituali, quæ utilitati jejunii ejusque observantiæ præponi debet, videlicet propter laborem ad aliqua pia exercitia, & sacras functiones pro salute proximi exercendas ex publico munere ordinatum. Unde inferunt, Concionatores, Confessarios, Lectores, & alios similes, qui magna mentis attentione, & applicatione opus habent ut ministeria sua exerceant, ac propterea magnam spirituum cum vitalium, tum animalium, in munere suo digne, ut par est, obeundo, jacturam & exhaustionem patiuntur, a lege jejunii esse exemptos. Horum Theologorum opinioni non ægre quidem ipse subscripserim, tum quia, si labor propter conservationem Vitæ corporalis assumptus, quando propter difficultatem operandi non compatitur jejunium, sufficiens causa est, cur aliquis a jejunio excusetur, quidni etiam labor, propter aliquid ad æternam salutem necessarium, vel ad vitam spiritualem ordinatum, susceptus, poterit a jejunio excusare, quando simul cum illo jejunium observari haud poterit? tum quia etiam jejunium inter corporales duntaxat exercitationes annumerari solet, opera autem pietatis corporalibus exercitationibus anteponi debent, sicut testatur Apostolus Paulus Primæ ad *Timotheum* cap. 4. vers. 7. dicens: *Exerce te ipsum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum valet; Pietas autem ad omnia utilis est*. Cæterum quamvis hæc mihi probetur Theologorum opinio, optarem tamen, ut Concionatores, præsertim tempore Quadragesimæ, dum ad populum conciones habent de pœnitentia, de jejunio, de legum cum Divinarum, tum Ecclesiasticarum observantia, aliis suo præirent exemplo, imitantes Christum Dominum, qui *cœpit facere, & docere*. Exempla siquidem magnam habent vim & ad persuadendum, & ad inflammandos animos æmulatione virtutis. Quod si Concionatores difficultatem laboris, ac virium debilitatem causati jejunare non possint, debent saltem abstinere a carnibus. Alioqui periculum erit, ne multi ipsis exprobrent id, quod olim Apostolus *Paulus* Judaicæ legis Doctoribus vitio vertit cap. 2. Epistolæ ad Romanos, dicens: *Confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege: Qui ergo alium doces, te ipsum non doces ...... Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras &c.* Postremo, ut cetera alia silentio prætermittam, quæ ad Ecclesiastici jejunii observationem spectant, quæque commodius legere poteris apud Theologos, præcipue *Ludovicum Thomassinum* in libro accuratissimo ac doctissimo, quem *de jejuniis* conscripsit, brevem dumtaxat hic addam observationem ad explicandum fructum, qui ex jejunio Ecclesiastico percipi debet, omnino necessariam. Jejunant quippe multi, sed pauci fructum jejunii consequuntur. Jejunat æger, quia comedere non potest. Jejunat pauper, quia non habet quod comedat. Jejunat avarus, quia opes suas, quibus velut draco incubat, non vult expendere. Jejunat Vir ventri & gulæ deditus, ne cibis suffocetur, & ut avidius postea comedere possit. Jejunat hypocrita, ut vanam vulgi gloriam aucupetur, & hominibus jejunus appareat. Jejunat peccator, sed interim indulget vitiis ac cupiditatibus suis, nec jejunat a mendaciis, maledictis, aliisque pravis affectibus. Ejus venter rugit ob inediam, lingua temulenta est. Abstinet ab esu carnium, jactat ventrem leguminibus & piscibus alitum, continet dentes a morsu pecudum; sed linguam habet carnivoram, & dentem viperinum infigit fratri suo, pro quo mortuus est Christus. Solus Christianus vere pius, qui jejunat ut Deo placeat, ut ei pro peccatis satisfaciat, ut passionibus suis frænum injiciat, fructum ac meritum jejunii adipiscitur, quia ut inquit S. *Basilius* Homilia 2. de jejunio, *ut laudem promereatur jejunium, temperare a cibis non satis est; sed jejunium jejunemus acceptabile, Deo gratum: Verum jejunium est vitiorum abstinentia & immunitas, continentia linguæ, cohibitio iræ, concupiscentiarum amputatio, detractionis, mendacii, & perjurii resecatio, &c.* Ut igitur fructum jejunii percipere possis, diligenter expendas velim, quo jejunium tuum referas. Si jejunes ut parcas penui, aut religiosior habearis, nequam est oculus tuus. Si jejunes ne in morbum incurras; quorsum morbum metuis? Ne te privet usu voluptatum, vitiosus est oculus tuus. Si jejunes, ut Deo sit gratum jejunium tuum,

tuum, ut perduellem concupiscentiam reprimas, & a vitiis ac mundi illecebris abstineas. Bene curris, & scopum ac meritum jejunii attigisti.

D. Impense profecto gaudeo, quod multas de jejunio explicandi difficultates opportunam nobis occasionem suppeditarit celebris illa, quæ in Galliis Sæculo XVII. circa observationem jejunii Quadragesimalis inter Theologos oborta est Controversia. Modo gestit animus scire ea, quæ spectant Disciplinam Ecclesiæ Sæculi XVII. & an aliquæ Controversiæ circa Disciplinam Ecclesiasticam ejusdem Sæculi fuerint inter Theologos agitatæ?

M. Disciplinam, quam Sæculo XVI. Œcumenica Synodus Tridentina circa Metropolitanos, Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, & Clericos sanxit, retinuit ac observavit Sæculo XVII. Catholica Ecclesia, eamque egregie vindicavit adversus quosdam ejusdem Sæculi laxiores Theologos, qui, mollioribus adhibitis interpretationibus, vim Sacrorum Canonum emollire, atque solutiorem Disciplinam invehere moliebantur, sicut aperte liquet tum ex propositionibus proscriptis a Romanis Pontificibus *Alexandro* VII. *Innocentio* XI. & *Alexandro* VIII. tum etiam ex Conciliis, quæ Sæculo XVII. habita fuot, in quibus, sicut in quarto Colloquio ostendimus, vigilantissimi Præsules nihil tam curæ ac cordi habuerunt, quam ut sartam tectam conservarent, aut collapsam restaurarent Ecclesiæ disciplinam, quam, Sanctissimis editis legibus, Patres Generalis Concilii Tridentini pie ioviolateque servandam præscripserunt. Cum igitur eadem Sæculo XVII. obtinuerit Ecclesiastica Disciplina, quæ sancita ac statuta fuerat in Generali Concilio Tridentino, & cujus oos præcipua Capita in Colloquio VI. in Historiam Sæculi XVI. sat superque exposuimus, supervacaneum omnino esset in eodem argumento diutius versari, seu, ut vulgo ajunt, idem volvere saxum, eamdemque reordiri telam. Prætetire tamen oec possum, nec debeo gravem conteotionem, quæ sæculo decimo septimo circa Disciplinam administrandi Sacramentum Pœnitentiæ inter Theologos vehementer exarsit. Noonulli siquidem rigidiores Theologi, ad praxim revocare volentes veterem Ecclesiæ Disciplinam, juxta quam iis duntaxat pœnitentibus impertiebatur Sacramentalis Absolutionis beneficium, qui prius impositam sibi satisfactionem peregerant, damnarunt, tamquam abusum, eam, quæ mox io Ecclesia viget, disciplinam, seu consuetudinem absolvendi pœnitentem, antequam impositam sibi satisfactionem adimpleverit. Alii vero Theologi in alteram, huic e diametro oppositam, sententiam impegerunt, asserentes, mox & absque ulla procrastinatione concedendam esse absolutionem pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat: Utramque sententiam, sive rigidiorum, sive laxiorum Theologorum, opinionem falsam & erroneam esse, non abs re erit breviter hic commoostrare. Ad profligandam priorem sententiam rigidiorum Theologorum, qui pertendunt, absolute, & ex ipsa Christi lege, & præscriptione oecessarium esse, ut Minister pœnitentem cogat ad peragendam satisfactionem antequam ei conferat beneficium absolutionis, multa suppetunt momenta, quorum præcipua hic subnectere non pigebit. Primo, licet primis Sæculis Ecclesia non conferret lege ordinaria absolutiooem Sacramentalem, nisi his, qui prius pœnitentiam, seu satisfactionem peregissent; id tamen tanquam absolute necessarium, & ex ipsa Christi lege præscriptum esse non censebat, sed ut tem puræ disciplinæ spectabat, a qua certis in casibus, teste Sancto *Cypriano*, cum pœnitentibus dispensabat, eis, ante impletam satisfactionem, concedendo absolutionem Sacramentalem, sive cum urgeret mortis periculum, aut in discrimine versaretur Pœnitentis salus, sive cum immineret persecutio, sive quando Martyrum libellis commendabantur lapsi, vel quando lapsi, post scelus commissum, arduum aliquid, & eximium edebant, sive denique dum ex reditu lapsorum iogens aliquod bonum in Ecclesiam redundabat, ut Schismatis extinctio, aut multorum ad Ecclesiam reductio. Io his, inquam, casibus Ecclesia concedebat antiquitus absolutionem Sacramentalem Pœoitentibus, antequam functi essent pœnitentiæ laboribus, & satisfactionem Canonicam implevissent. Quod quidem argumento est, nunquam Ecclesiam existimasse, huoc ordioem præmittendi satisfactionem absolutiooi esse ex ipsa lege Christi ac præscriptione absolute necessarium, alioqui in nullo casu hunc ordinem intervertere, & ab hac lege cum nemine dispensare potuisset. Merito igitur *Alexander* VIII. Pontifex Maximus die XX. Mensis Decembris anni MDCXC. tres sequentes damnavit Propositiones, quarum prima hæc est: *Ordinem præmittendi satisfactionem Absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ; sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei quodammodo dictante.* Altera Propositio sic habet: *Per illam praxim mox absolvendi, ordo Pœnitentiæ est inversus.* Tertia Propositio his verbis concepta est: *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet Auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.* Tres illæ quorundam modernorum ac rigidiorum Casuistarum propositiones simillimæ & maxime geminæ sunt errori *Petri de Osma*, quem *Sixtus V.* Pontifex Maximus, Concilium Complutense coofirmans, proscripsit anno 1578. *Non sunt absolvendi Pœnitentes, nisi peracta prius Pœnitentia eis injuncta.* Quam damnationis sententiam ab hoc Summo Pootifice io *Petrum de Osma* latam ionovavit & retorsit die XXIII. mensis Junii anni MDCXLIV. Sacra Facultas Parisieosis in quosdam Theologos, asserentes: *Executionem Pœnitentiæ seu satisfactionis impositæ, necessario & ex institutione Christi, ac invariabili Sacramenti natura, ita prærequiri absolutioni, ut*

ni, ut alioqui absolutio non sit valida, nisi ejusmodi satisfactio prius completa fuerit. Praeterea quamvis satisfactio sit pars ad integritatem Sacramenti Poenitentiae requisita, non ideo tamen necesse est ut ante Absolutionem adimpleatur. Nam, & capilli, & ungues partes hominis sunt, nec tamen cum hominibus nascuntur. Sufficit ergo, ut Poenitens, dum se subjicit clavibus Ecclesiae, propositum habeat peragendi satisfactionem sibi impositam per spiritualis Judicis Sententiam, quia, ut inquit *S. Thomas* 3. Par. Quaest. 90. Artic. 2. ad 2. *Satisfactio confert gratiam prout est in Proposito, & auget eam prout est in executione.* Denique, summae temeritatis est velle improbare hodiernam Ecclesiae Disciplinam, juxta quam vere Poenitentibus impenditur Absolutio antequam satisfactionem impleverint, quamvis diversa olim in Ecclesia obtineret Disciplina, quae satisfactionem Absolutioni praemitteret. Hanc priorem, & Veterem Ecclesiae Disciplinam laudabilem fuisse lubentissime fateor, sed sic prior illa Disciplina laudanda est, ut hodierna non vituperetur. Est enim utraque unius ejusdemque Ecclesiae & Sponsae Christi consuetudo diversa, per quam, licet pro conditione temporum, pro languore Christianorum, vel alia justa ratione, mutatio quaedam in hac satisfactoriae Disciplinae observatione acciderit, doctrina tamen, & fides ratioque satisfaciendi una eademque perseverat. Suas habuit vetus Disciplina rationes, suas habet etiam rationes nova Disciplina. Neutra improbari debet, sed potius omnes Fideles profiteri debent, quod quemadmodum Ecclesia justis de causis immutavit veterem Disciplinam Baptismum conferendi in trina, vel unica immersione; Communionem Eucharisticam sub utraque specie percipiendi; Unicam in jejunio Quadragesimali ad Vesperam, vel ad horam Nonam sumendi refectionem, & gravia peccata expiandi per poenitentiam publicam, in quatuor Classes, *Flentium*, *Audientium*, *Substratorum*, & *Consistentium*, distinctam, omnes, inquam, Fideles profiteri debent, quod quemadmodum Ecclesia haec omnia, licet olim usitata, justis de causis immutavit, quia haec pertinebant duntaxat ad Disciplinam, quae & antiquitus varia fuit, & vicissitudini temporum obnoxia est; ita pari jure Ecclesia veterem Disciplinam praemittendi satisfactionem Absolutioni Sacramentali immutavit in hodiernam, quae viget, Disciplinam concedendi Absolutionem Sacramentalem ante peractam satisfactionem, quia minime necesse est ad essentiam Sacramenti Poenitentiae, vel etiam ad ejus integritatem, & fructum, ut ad Absolutionis Sacramentalis valorem, ut satisfactio ante Sacramentalem Absolutionem impleatur. Totum id Disciplinae negotium est, quae *lege fidei manente* ut ait *Tertullianus*, pro conditione temporum patitur mutationes.

D. Fuitne itidem damnata a Summis Pontificibus altera, quam mox circa Disciplinam administrandi Sacramentum poenitentiae referebas, quorundam Saeculi XVII. Theologorum sententia, asserentium, concedendam esse absque ulla cunctatione Absolutionem poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat?

M. Hanc laxiorum Saeculi XVII. Casuistarum sententiam, quae Disciplinam Ecclesiasticam labefactat, verae peccatorum conversionis spem extinguit, & omnibus vitiis aditum ac impunitatem aperit, damnavit *Innocentius* XI. Pontifex Maximus Decreto die 2. mensis Martii anni 1677. dato, cujus jam mentionem fecimus in Colloquio tertio. Noverat ille quippe optimus, juxta ac Sanctissimus Pontifex, non veras & sinceras, sed fictas ac fucatas esse illorum conversiones, qui eadem in singulis Confessionibus lethalia peccata accusant semper ac recurrunt, sed vitam numquam emendant, sicque perpetua inanis poenitentiae, & infructuosarum Confessionum vicissitudine labuntur, exurgunt, relabuntur rursum, & divinae hac inconstantiae levitate misericordiae illudunt. Vera autem peccatoris conversio non ex verborum foliis, non ex lacrymis doctis mentiri, non ex imperfectis mollis voluntatis desideriis, quae toties infructuosa fuisse deprehenduntur, & quibus, teste S. *Bernardo*, infernus scatet, sed ex robusto & efficaci, cujus saltem vestigium in vitae emendatione vere apparet, proposito non amplius peccandi dignoscitur. Noverat *Innocentius* XI. quod licet peccatores, etiam sceleftissimi, possint momento temporis ab improbitate ad pietatem per specialem gratiam Dei, quae tarda molimina nescit, tradnci; non tamen, juxta consuetum justificationis cursum, tam facile, tamque brevi temporis intervallo dirumpi possunt vincula peccatorum frequentatis actibus obfirmata, cor lapideum in carneum commutari, & veram ac stabilem obtineri conversionem, quae non nisi petendo, quaerendo, pulsando impetratur. Noverat etiam *Innocentius* XI. ac diuturna experientia, rerum magistra, compertum, ac exploratum habebat, nimiam absolvendi facilitatem recidivos ac Consuetudinarios peccatores in vitiorum luto fixos detinere, quia, ut ait S. *Ambrosius* Sermone VIII. in Psal. 118. *Facilitas veniae incentivum tribuit delinquendi*, vel, ut dicit *S. Augustinus* Sermone 34. de Diversis: *Si cito rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem*; idemque eleganter exprimit his Patribus a me laudatis antiquior S. *Cyprianus* in Tractatu *De Lapsis*, ubi haec habet: *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec comprimit delicta, sed nutrit. At, qui consiliis fortioribus redarguit simul, atque instruit fratrem, promovet ad salutem. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum mortale virus inclusum, dum servat, exagerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putredinibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet & conqueratur aeger impatiens*

tiens per dolorem, gratias aget postmodum cum senserit sanitatem. Noverat denique *Innocentius* XI. Pontifex Maximus, quod Clerus Romanus in Epistola, quam scripsit ad S. *Cyprianum*, & quæ inter Epistolas *S. Cypriani* est ordine trigesima prima, perstringit quosdam Sacerdotes, qui pro salutaribus dilationum remediis exitiosa præproperæ Absolutionis venena lapsis porrigere audebant: *Hoc non est curare*, inquit Clerus Romanus, *sed, si verum dicere volumus, occidere*. Et paulo post in eadem Epistola subdit idem doctissimus Clerus: *Oremus, ut qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam, neque præproperam desiderare medicinam .... Multum illis proficiet petitio modesta, humilitas necessaria, patientia non otiosa. Mittant legatos pro suis doloribus lacrymas; advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis & pudorem &c.* Fragmentum hujus Epistolæ Cleri Romani ad S. *Cyprianum* refert Cardinalis *Baronius* in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 253. numero 79. ibidemque suam ea de re mentem aperit his verbis: *Quam ergo parum tuta, quamque dubia sit illa festinanter exhibita reconciliatio etiam petentibus eam cum lacrymis, dicta nuper sententia declaravit*. Duo igitur munia, circa Disciplinam administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, & recte dispensandi Mysteria Christi, Sacerdoti, cui creditum est regimen animarum, obeunda incumbunt. Primo oportet ut iis, qui iteratis lapsibus firmum sibi propositum vitæ in melius commutandæ non adesse fidem faciunt, absolutionem differat, donec illorum sinceram vitæ emendandæ voluntatem probaverit, & congrua in eis exploraverit veræ conversionis indicia. Secundo, Sacerdos in administratione Sacramenti Pœnitentiæ sectari debet hodiernam Ecclesiæ disciplinam, juxta quam beneficium Absolutionis Pœnitentibus conceditur ante peractam satisfactionem. Si enim Sacerdos disciplinam, quæ olim viguit, & nunc antiquata est, vel in desuetudinem abiit, quæque satisfactionem Absolutioni præmittebat, in usum privato arbitrio revocare voluerit, perturbabit omnia, laqueum Animabus injiciet, nimis emungendo eliciet sanguinem, eritque omnino alienus ab ingenio piæ Matris Ecclesiæ, quæ, ad Fidelium salutem promovendam, vulnus Disciplinæ suæ inferri multoties passa est, illam sæpe immutavit, & nonnullarum Sanctionum observantiam in desuetudinem interdum abire permisit. Standum itaque est hodiernæ disciplinæ Ecclesiæ in Sacramentorum administratione, & ab ea ne latum quidem unguem recedendum; quamvis & antiqua Ecclesiæ Disciplina plurimi facienda sit, suscipienda, colenda, ejusque instauratio in pluribus optanda, nunquam tamen privato arbitrio & auctoritate tentanda. Quo enim spiritu gubernante veterem Disciplinam servavit, eodem regente mutavit Ecclesia, quæ pro varietate temporum, locorum circumstantiis, & Fidelium salute omnia consulte, provide, & sapienter disponit, suamque attemperat Disciplinam, quam si quis elato supercilio imbrobare, & veterem Disciplinam severiorem propria sua auctoritate postliminio revocare velit, tanquam Ecclesiasticæ pacis perturbator apud omnes audire debet, juxta præclaram illam S. *Augustini* Sententiam, quæ menti tuæ penitius infixa jugiter insidere debet: *Contra rationem nemo sobrius, contra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit*.

D. Circa Disciplinam cum Monasticam, tum Regularem Sæculi XVII. duo duntaxat argumenta, quæ mihi peculiari aliqua observatione digna videntur, proponam. Primum est, an Sæculo XVII. fuerint instituti novi Regulares Ordines, & quis eorum conditor sit? Alterum est, utrum Disciplina tam Monastica, quam Regularis eodem Sæculo viguerit, ac novum susceperit incrementum?

M. Sæculo XVII. præter celebrem Gallicanam Oratorii Jesu Congregationem, quæ sicut diximus sub finem Colloquii VI. in Historiam Sæculi XVI. a *Petro de Berulle* Presbytero Parisino, doctrina & pietate eximio, & postea S. R. Eccl. Cardinali, instituta, & ad petitionem *Mariæ Mediceæ* Galliarum Reginæ, & *Petri Gondii*, Archiepiscopi Parisiensis, a *Paulo V.* Pontifice Max. an. 1613. approbata, per omnes Galliæ Provincias, magno cum populi fructu propagata est; præter hanc, inquam, Illustrissimam Oratorii Jesu Gallicanam Congregationem, quæ hactenus innumeros pene Viros eruditione & vitæ probitate insignes Ecclesiæ dedit, alia non minus Ecclesiæ utilis prodiit Sæculo XVII. *Congregatio Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum* dicta vulgo *Paulina*, quod sub *Paulo V.* Pontifice Maximo erecta sit an. 1617. quamvis sub Pontificatu tantum *Gregorii* XV. Successoris *Pauli* V. inter Congregationes Clericorum Regularium locum habere meruerit. Huic Scholarum Piarum Congregationi initium dedit *Josephus Calasantius*, Aragonensis, ex clarissima Calasantiorum Familia, in Regno Aragoniæ adhuc florenti, oriundus, & in Academia Complutensi Doctoralibus infulis inauguratus; qui post rejectas pertinaci modestia oblatas sibi sæpius Ecclesiasticas Dignitates, sicut testantur ejus vitæ Scriptores, Romam se contulit, ubi attente considerans, bene multos esse juvenes, qui ob paupertatem parentum, litteris operam dare, & ad pietatem informari haud possunt, indeque Ecclesiæ & Reipublicæ plane inutiles evadunt, quodque gravius est, natura plerumque feroces, ad vitia proclives, & ad detrimentum parentum nati, cum nefariorum hominum gregibus vitam perditissime abjiciunt, & in omnia flagitiorum genera præcipites feruntur; hoc, inquam, grande malum, quod in Ecclesiæ ac Reipublicæ dedecus cedit, secum tacitus reputans *Josephus Calasantius*, eique præsentissimum remedium adhibere volens, de Scholis piis erigendis actutum cogitare cœpit, ut Juvenes tam Clerici, quam Laici pauperes, ad pietatem, ad liberales artes, bonasque Disciplinas gratis instituti, litteras excolerent, & honestam vitæ rationem tene-

rent. Arduum istud opus Venerabilis Servus Dei *Josephus Calasantius* Romæ suscepit, illudque ad optatum exitum feliciter perduxit, Clericorum Regularium Scholarum Piarum excitando Congregationem, quæ confestim non solum per totam Italiam, verum etiam per Hispaniam, Siciliam, Sardiniam, Germaniam, Poloniam longe lateque diffusa, & ex ea uberrimos fructus, sive in institutione Juvenum, sive in Concionibus habendis ad populum, sive in aliis piis, cum domesticis, tum publicis digne obeundis exercitiis, hactenus universa percepit Respublica Christiana. Habet hæc Clericorum Regularium Scholarum Piarum Congregatio Collegia, seu Scholas, in quibus Professores, præter Grammaticam, Rhetoricam, Artem Poeticam, Arithmeticam, ceterasque Matheseos Disciplinas, quarum notitia, citra ullam vel minimam mercedem, Juvenum Laicorum animos summa cura ac diligentia imbuunt, docent insuper Clericos ac Sacerdotes Philosophiam, ac Theologiam Dogmaticam, Scholasticam, Asceticam, & Moralem, juxta germanam mentem S. *Thomæ*, Doctoris Angelici, cujus doctrina nihil secundum Deum prius & antiquius habent, atque in eius verba jurare solent. Hinc illa, quæ inter hanc Clericorum Regularium Scholarum Piarum Congregationem, & Sacrum Ordinem Fratrum Prædicatorum ab initio semper intercessit summa necessitudo, quæ tandiu stabit, quandiu doctrinæ S. *Thomæ Aquinatis*, Theologorum Principis, suus in Ecclesia constabit honos. Hujus arctissimi inter Clericorum Regularium Scholarum Piarum Congregationem & Familiam Dominicanam initi fœderis locupletissimum testimonium præbuit nuperrime ejusdem Congregationis clarissimus Alumnus, & Romæ in Scholis Piis S. *Pantaleonis* Sacræ Theologiæ Professor *Nicolaus Maria a S. Dominico*, qui in eleganti Oratione, habita anno 1720. in Funere Rev. Patris *Antonini Cloche*, totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri, sic de sua illustri Clericorum Regularium Scholarum Piarum Congregatione effatur: *Rem non extraneam loquar, sed quam pium Institutum meum, universæ Terrarum Juventuti bonis artibus, moribusque informandæ peculiari Apostolicæ Sedis imperio destinatum, inter domesticos ipsos parietes majorem sibi, atque ampliorem in dies vindicat obtigisse. Sane quidquid in Philosophicis Divinisque Disciplinis & sapimus, & juventutem publice, ex Instituto, docemus, id totum a sapientissima, literatissimaque Dominici Familia, cujus beatissimo patrocinio perfruimur, & sapere, & doctos esse gloriamur. Grata semper in Lycea nostra redibit aureæ illius diei recordatio, quæ ad Angelici Præceptoris Thomæ Cathedram provoluti invictam ejusdem Doctrinam sequi, & ne bilum quidem ab ea deflectere, perpetuo jussi sumus. Hinc Horatianum illud præceptum, solidioribus longe studiis accommodatum, Auditoribus suis nostrates jure merito repetunt atque inculcant.*

— Vos Exemplaria Thomæ

Nocturna versate manu, versate diurna.

Hoc Publicum singularis erga Ordinem Prædicatorum, cujus ipse Alumnus sum, observantiæ ac benevolentiæ testimonium, quod in obitum Reverendissimi Patris *Antonini Cloche*, ejusdem Ordinis Generalis Magistri, exhibuit Romæ Clericorum Regularium Scholarum Piarum Congregatio, si non agnoscerem, cæcus: si non amplecterer, ferreus: si non prædicarem, ingratus omnino essem. Agnosco, amplector, etiam atque etiam prædicabo. Nunquam intermorietur, nunquam intercidet fidelis memoria tanti Beneficii, quod in omnium Familiæ Dominicanæ Alumnorum cordibus clavo trabali fixum perpetuo hærebit. Præter hanc clarissimam Clericorum Regularium Scholarum Piarum Congreg. originem habuerunt Sæculo XVII. *Ordo Monialium Visit. B. Mariæ Virginis*: *Ordo Monialium Ursulinarum*: *& Congregatio Monialium B. Mariæ de Calvario, & S. Scholasticæ*, de quibus pauca hic dicemus. *Ordo Monialium Visitationis Beatæ Mariæ*, sic dictus a munere infirmos & egenos visitandi, quo, ob reverentiam Mysterii B. Virginis *Mariæ*, visitantis *Elisabetham*, initio fungebantur piæ quædam fœminæ, Auctorem habet S. *Franciscum Salesium*, Episcopum Genevensem, qui Monialibus hujus Ordinis Anessiaci in Sabaudia circa annum 1610. Regularis Vitæ normam præscripsit, eisque præfecit *Joannam Franciscam Fremiot de Chantal* in Galliis natam Divione, Urbe Ducatus Burgundiæ, Diœcesis Lingonensis, quæ nascentem hunc Ordinem instar Matris ac Fundatricis lactavit, aluit, fovit, instituit, propagavit, atque post plura excitata Monasteria, post graves pro Dei gloria & salute tum sua, tum proximi ardenti zelo promovenda exhaustos heroica constantia labores animam Deo, quem in vita unice quæsierat, ac dilexerat, reddidit die 13. mensis Decembris anni 1641. Ea Sanctitatis fama in vita & post mortem adeo claruit Venerabilis hæc Dei Serva, ut nunc Acta de ejus Vita, Virtutibus, & Miraculis in Sacra Rituum Congregatione examinentur, omnesque Viri pii eam in spem erigantur, fore ut Cælitum albo propediem solemni ritu adscribatur. Alterum Ordinem Monialium *Ursulinarum*, seu Virginum ac Viduarum, sub nuncupatione S. *Ursulæ*, & Regula S. *Augustini*, ad erudiendas litteris & bonis moribus puellas Parisiis anno 1611. condidit nobilis Vidua *Maria L'huillier*, Domina S. *Bobæ*, quæ novæ a se institutæ Sodalitatis approbationem a *Paulo* V. Pontifice Maximo die 23. mensis Septembris ejusdem anni obtinuit. Huic Monialium Ursulinarum Ordini similem Monialium Congregationem sub nuncupatione *B. Mariæ Virginis*, ad puellas litteris & pietate imbuendas, instituit Venerabilis Servus Dei *Petrus Forerius*, Parochus Matencurii in Lotharingia, & Canonicorum Regularium S. *Augustini* Congregationis S. Salvatoris Reformator, vitæ sanctitate clarissimus. Denique Monialium Benedictinarum primæ Regulæ, sub nomine Congregationis B. *Mariæ de Calvario, & S. Scholasticæ*, Institu-

ſtitutrix fuit. *Antonieta Aureliana*, *Ludovici* Ducis Longavillani filia, quæ hanc Congregationem inchoavit in Monaſterio Pictavienſi in Galliis, ubi & ſexto poſt menſe pie deceſſit die 25. Apr. an. 1618. Prætermittere non debeo Congregationem *Piorum Miſſionariorum*, cujus Sæculo 17. Auctor ac Inſtitutor fuit *Carolus Carafa*, Neapoli e nobiliſſima Familia oriundus. Hic, ſpretis Mundi illecebris, inter Sacerdotes adſcriptus in Specum ſe recepit, ut vitam ſolitariam ageret, anteactæ vitæ ſuæ peccata amare fleret, & auſtera pœnitentia expiaret. Zelo tamen promovendæ ſalutis animarum vehementer accenſus, & potens opere ac ſermone, agros Caſtellaque circumiens, multos ejuſdem vitæ ſocios ſibi adſcivit, atque fundamenta jecit *Piorum Operariorum* Congregationis, quæ a *Gregorio* XV. approbata fuit Conſtitutione, quæ incipit: *Ex qua Divina Majeſtas*, &c. & iterum confirmata eſt ab *Urbano* VIII. Regitur hæc Congregatio a Præpoſito triennali, ejuſque Alumni, nullo Religionis Voto obſtricti, Miſſiones exercent, ceteriſque laboribus perfunguntur, quos Viri Apoſtolici ad excolendam Vineam Domini obire ſolent. Eorum Veſtis eſt lanea, laneum etiam geſtant induſium, laneis operimentis utuntur in lecto ex paleis duntaxat ſtrato, aliiſque piis exercitiis, jejuniis, vigiliis, orationibus vacant. Quæ omnia accurate recenſet in Vita *Caroli Carafæ*, hujus Congregationis Inſtitutoris, *Petrus Giſophus* ejuſdem Congregationis Alumnus. Confundi non debet hæc Piorum Operariorum Congregatio cum altera Presbyterorum Miſſionariorum Congregatione, quæ Sæculo XVII. a Venerabili Servo Dei *Vincentio a Paulo* in Galliis circa annum 1626. inſtituta, & per univerſum Orbem dilatata, innumeros protulit Viros illuſtres, qui, parentis ſui veſtigiis inſiſtentes, procurandæ ſaluti animarum, qua exemplis, qua Miſſionibus, qua editis Aſceticis libris, unctione Spiritus Sancti perfuſis, indefeſſo ſtudio allaborarunt, & plurimos in Chriſto filios multo ſudore genuerunt. Obiit Pariſiis Venerabilis Servus Dei *Vincentius a Paulo*, meritis plenus & vitæ ſanctimonia conſpicuus, die 27. menſis Septembris anni 1660. & ſepultus eſt in Eccleſia S. Lazari, ejuſque Sepulcro illud inſcriptum eſt Epitaphium. *Hic jacet Vir Venerabilis Vincentius a Paulo*, *Fundator*, *ſeu Inſtitutor*, *& primus Superior Generalis Congregationis Miſſionis*, *necnon Puellarum Charitatis*. *Obiit die 27. Septembris anni 1660. ætatis vero ſuæ* 85. Ejus in Deum pietatis, & ardentiſſimæ in proximum charitatis merito factum eſt, ut a multis Principibus, a Clero Gallicano, & a Generalibus Ordinum Regularium Præfectis petita ſit a Sede Apoſtolica ſolemnis illius Canonizatio, quæ univerſam Eccleſiam ſumma lætitia cumulabit.

D. Viguitne Sæculo XVII. Monaſtica, ſeu Regularis Diſciplina, ac novum ſuſcepitne incrementum?

M. Sæculo XVII. in multis Monaſteriis primitiva diſciplinæ cum Monaſticæ, tum Regularis obſervantia collapſa eſt, obſcuratum aurum, mutatus color optimus, diſperſique lapides Sanctuarii. *Deploranda eſt* (inquit doctiſſimus noſter *Vincentius Contenſonus* in primo Tomo ſuæ Theologiæ *Mentis & Cordis* Editionis Lugdunenſis in folio, pag. mihi 441.) *quorumdam laxatiſſimæ diſciplinæ Regularium conditio*, *apud quos nunquam proponitur Regula*, *ſub cujus nomine militant in Eccleſia Dei*. *Vidi quoſdam Canonicos Regulares conteſtantes*, *ſe nunquam audiviſſe Regulam Divi Auguſtini*, *ad eamque obſervandam minime ſe teneri effutientes*: *& cum quæſiviſſem ab eis*, *quid toto probationis anno profeciſſent*, *ingenue reſponderunt*, *ſe ſimplicibus modis Gregoriani cantus artem didiciſſe*, *& ſæpius diſſonantes flagris a Magiſtro ſeveriſſime exceptos fuiſſe*; *Regulam vero Divi Auguſtini non magis audiviſſe*, *quam ſi non extaret in Orbe Terrarum*: *Vah indignitatem*! *Ubi pudor mentis*? *ubi rubor frontis*? *Siccine irridetur Deus*, *& illuditur Eccleſia*? *Væ Abbatibus & Prioribus oſcitantibus & diſſimulantibus*: *Væ Magiſtris ſic Novitios educantibus*: *Væ ſic Profeſſis judicandis non ſecundum adeo rationi adverſam conſuetudinem*, *ſed ſecundum Vota*, *quæ diſtinxerunt labia ſua*, *quæve reddiderunt coram omni populo Dei*. Et alio in loco, ſeu pag. 191. ejuſdem primi Tomi Theologiæ *Mentis & Cordis* exclamat hic pius, doctus & elegans Scriptor: *Sed quid de Religioſis dicam ego ſtatu Religioſus*, *charactere Sacerdos*, *licet immeritus*? *Cum videamus tam multa Monaſteria a primitiva Obſervantia collapſa multiplicatis quidem Regularis vitæ Profeſſoribus*, *ſed non multiplicata lætitia*. *Libenter & vere cum Bernardo in Apolog. ad Guillelmum Abbatem ſcripſerim*: *Quis in principio*, *cum Ordo cœpit Monaſticus*, *ad tantam crederet Monachos inertiam devenire*? *O quantum diſtamus ab iis*, *qui in diebus Antonii extiterunt Monachi*! *Sic Macarius vixit*? *Sic Baſilius docuit*? *ſic Antonius inſtituit*? *ſic Patres in Ægypto converſati ſunt*? Hactenus noſter *Contenſonus* Monaſticæ, ſeu Regularis Diſciplinæ Sæculi XVII. teſtis oculatus. Cum igitur eo Sæculo in multis Monaſteriis collapſa eſſet Monaſtica, ſeu Regularis Diſciplina, excitavit Deus Optimus Maximus eodem Sæculo Sanctiſſimos Pontifices, & Viros Diſciplinæ Regularis zelo flagrantes, qui ad reſtaurandam Monaſticam & Regularem Diſciplinam, quæ in multis Cœnobiis erat collapſa, omnem curam, induſtriam, ac diligentiam contulerunt. Inter Summos Pontifices, unum præ ceteris laudabo *Innocentium* XII. cujus intentionem conſulendi inſtaurationi Diſciplinæ Regularis, Sacra Cardinalium Congregatio ab eodem Summo Pontifice ſuper Diſciplina Regulari ſpecialiter deputata, expreſſe declarat in eo edicto, quod die XVIII. menſis Julii anni 1695. publicavit, cujus præcipua Capita hic exſcribere, tuiſque ſubjicere oculis neceſſarium eſſe duxi.

(„ Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. Innocentius Divina Providentia Papa XII. pro Paterna charitate, qua Religioſos Ordines multis, magniſque in Eccleſiam Dei meritis refulgentes, & peculiaris erga Sedem Apoſtolicam devotionis no-

nis nomine commendatos complectitur, volens eorum conservationi & propagationi consulere, simulque ex injuncto sibi cælitus Pastoralis officii debito providere, ut Regularis in iis Disciplina ad Religiosorum salutem, & totius Christiani Populi ædificationem, utilitatemque sarta tecta custodiatur, ac vigeat, & sicubi collapsa est, adjuvante Domino, reparetur, constituit, & declaravit, se licentiam recipiendi Novitios in singulis approbatis Ordinibus benigne concessurum, ut volentibus e periculosis Sæculi fluctibus ad Religionis portum confugere, facilis, tutusque aditus aperiatur; dummodo tamen observentur ea, quæ pro Regulari vita recte instituenda tam a Sacrosancta Synodo, quam a Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus, præcipue vero felicis recordationis Clemente VIII. in Decretis Generalibus pro Regularium reformatione, necnon Innocentio X. & Alexandro VII. Novitiorum receptione, & Professorum educatione salubriter constituta sunt, quibus omnibus firmiter inhæret Sanctitas Sua, eaque, quatenus opus sit, confirmat & renovat .... Quocirca Sacra Congregatio, ab eodem Sanctissimo Domino Nostro super Disciplina Regulari specialiter deputata, quæ plura hactenus pro recta nonnullorum Monasteriorum gubernatione Decreta edidit, aliaque in dies editura est, ut omnibus præfata ejusdem Sanctissimi Domini Nostri mens pateat, & celerius innotescat, de mandato Sanctitatis Suæ præsentis Decreti tenore denuntiat omnium & singulorum Ordinum Regularium Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, ceterisque, ad quos spectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam & Insulas adjacentes quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum saltem, ibique auctoritate Apostolica statuant omnimodam observantiam Regulæ, Constitutionum uniuscujusque Ordinis, & Decretorum Apostolicorum, præcipue vero exactæ vitæ communis ad formam eorumdem Decretorum ab omnibus Religiosis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii & Professi educandi sunt, morabuntur, omnino servandæ. Postquam vero Regularem observantiam, & signanter quoad exactam vitam communem cum effectu stabilitam fuisse, eidem Sacræ Congregationi sufficienter constiterit, tunc Sanctitas Sua ante dictam licentiam, quam hactenus distulit, Novitios ibi recipiendi benigne concedet, & locum ad Professos pietate & litteris instituendos usque ad Sacerdotium, vel alias, juxta antiquas & laudabiles cujusque Ordinis consuetudines, in iisdemque Conventibus, non autem in aliis, nisi fuerint ejusdem Observantiæ, destinabit. Quæ quidem omnia, quo facilius, efficacius & durabilius ad praxim deduci valeant, eadem Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate committit, & in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit præfatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in supradictis Conventibus non collocent, nisi Religiosos graves, devotos, exemplares, Regularis Observantiæ & puritatis Regulæ studiosos, orationi præsertim ac mortificationi, sine quibus non potest Religiosa vita consistere, addictos, quique consentiant exacte servare vitam communem, atque inde amoveant eos omnes, qui tam sanctæ Ordinationi contradicere, seu verbis, aut factis, quoquo modo se se opponere audeant .... „) *Præcipit etiam eadem Sacra Congregatio Superioribus* („ ut memoratis Conventibus præfici omnino curent Viros non solum disciplinæ zelo, sed etiam charitate & morum suavitate præditos, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, quorum regimini libenter alii se submittant. Studeant vero præcipue, ut ea omnia, quæ tam ad victum & vestitum, quam ad reliquas vitæ necessitates pertinent, singulis Religiosis prompte subministrentur, ac præsertim ægritudinis tempore nihil alicui desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat. „) Postremo, ne Regularis Disciplina, dum in Conventibus jam erectis statuitur, relaxetur in erigendis, eadem Sacra Congregatio, Sanctissimo Pontifice *Innocentio* XII. approbante, statuit atque decernit, *nulla in posterum Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, aut alia Religiosorum loca fundari, erigi, aut quovis modo institui debere, nisi sub expressa obligatione exactæ vitæ communis ab omnibus Religiosis ibi commorantibus perpetuo & inviolate servandæ, ac propterea nullas deinceps admittendas hujusmodi fundationes, nisi, præter alia ad id requisita, prius legitime constiterit, adesse annuos reditus, vel certam eleemosynarum spem, quibus duodecim saltem Religiosi in exacta vita communi commode valeant sustentari*. Hoc Sacræ Congregationis, a Sanctissimo Pontifice *Innocentio* XII. super Disciplina Regulari specialiter deputata, saluberrimum Decretum extat integrum in *Collectione Bullarum, Constitutionum, Brevium, & Ordinationum Innocentii* XII. quæ Romæ Typis Cameræ Apostolicæ edita est anno 1697. O utinam! omnes Disciplinæ Monasticæ, seu Regularis, cultores ad hanc vivendi normam mores suos exigere satagerent, primævæ suorum Ordinum Regulæ observantiam restaurarent, seque ad vincendas omnes difficultates, quæ ab hac cælesti ineunda via timidos deterrere possunt, vicissim adhortarentur ea præclara Sententia, quam *Lactantius* libri VI. *Institutionum Divinarum* cap. IV. tradit, hisce elegantissimis verbis expressam: *Via illa cælestis*, inquit, *difficilis & clivosa proposita est, vel spinis horrentibus aspera, vel saxis extantibus impedita, ut cum summo labore ac pedum tritu, cumque magna cadendi solicitudine sit cuique gradiendum. In hac* (seu via) *posuit*, Deus, *justitiam, temperantiam, patientiam, fidem, castitatem, abstinentiam, concordiam, scientiam, veritatem, sapientiam, ceterasque virtutes, sed simul cum his paupertatem, ignominiam, laborem, dolorem, amaritudines omnes .... justus ergo, quoniam durum asperumque iter ingressus est, contemptui, derisui, odio sit, necesse est. Omnes enim, quos cupiditas aut voluptas præcipites trahit, invident ei, qui virtutem capere potuit, & inique ferunt id habere aliquem, quod ipsi non habent. Erit itaque pauper, humilis, ignobilis, subjectus injuriæ, & tamen omnia,*

omnia, quæ amara sunt, perferens: Et si patientiam jugem ad summum illum gradum finemque perduxerit, dabitur ei corona virtutis, & a Deo, pro laboribus, quos in vita propter justitiam pertulit, immortalitate donabitur.

D. Quod olim Apostolo *Paulo* (sicut nuperrime cap. 27. vers. 28. Actuum Apostolorum legebam) causam suam contra Judæos, acerrimos ejus insectatores, peroranti, respondit Rex *Agrippa: In modico*, Paule, *suades me Christianum fieri*; idem tibi, de perfectione & sanctitate Monasticæ Vitæ, seu Regularis Disciplinæ disserenti, lubenti animo dicam: *Parum abest, quin mihi suadeas, ut nuncium Mundo remittam, & arctiorem Disciplinam Regularem amplectar.* Verum, ut istud, quod mox animum meum incessit, desiderium suscipiendæ cucullæ, majus possit suscipere incrementum, percense, quæso, Viros illos illustres, qui Sæculo XVII. ardentissimo zelo incensi, primævum Monasticæ Vitæ, seu Regularis Disciplinæ nitorem revocarunt.

M. *Opto* sane, charissime Discipule (ut verbis utar ejusdem Apostoli *Pauli*, Regi *Agrippæ* respondentis) *Opto*, inquam, *apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis ego sum &c.* Nec dubito, quin sanctum illud propositum, quod, divina afflante gratia, animum tuum subiit Regularem vitam profitendi, magis inardescat, & altiores radices agat in corde tuo, postquam in medium produxero celebres Viros, & immortali memoria dignos, qui Patrum suorum zelum incredibili fervore æmulantes, & nulli labori, nullis vigiliis, nullis respectibus humanis parcentes, Monasticam, seu Regularem disciplinam, multis in Cœnobiis Sæc. XVII. restituerunt, eamque sanctissimis legibus muniemnt. In primis, inter Observantiæ Regularis Sæculi XVII. Restitutores jure optimo recenseri debent duo Familiæ Dominicanæ Alumni, natione Galli, *P. Sebastianus Michaelis*, & *P. Antonius Cubeus*, quorum primus eximia pietate præditus, plures in Galliis Ordinis Prædicatorum Conventus reformavit; Alter vero novam in Gallo-Provincia, annuente Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, instituit Congregationem sub nomine *Sanctissimi Sacramenti*, in qua Religiosi Dominicani Constitutiones Ordinis ad strictos juris apices observant, summæ paupertati addicti, annuis reditibus etiam in communi carent, in Missionibus jugiter insistunt. Oppida pedibus peragrant, verbo Dei reficiunt, exemplis permovent, Confessiones excipiunt, parvulos Doctrina Christiana imbuunt, & post exantlatos Apostolicæ vitæ labores, sæpe sunt pane & aqua cruda contenti, ad novos labores semper vegeti, semper alacres, nunquam fessi, vultu hilares, in oratione continui, in austera vivendi ratione sibi perpetuo constantes. Ad restaurandam itidem Ordinis *Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum* primævæ Regulæ observantiam plurimum in Gallia laboravit Venerabilis Pater ejusdem Ordinis *Hieronymus a Sanctissimo Sacramento*, qui Romam missus, Diploma obtinuit a *Clemente VIII.* ut in Gallia reformatam Congregationem erigeret, eique facultatem concessit *Paulus V.* ut duas ejusdem Ordinis Provincias Franciæ jurisdictioni unius Vicarii Generalis subjiceret. Tandem a *Gregorio XV.* Litteras Apostolicas, & ab *Urbano VIII.* anno 1629. Breve accepit erectionis & confirmationis Gallicanę Congregationis Discalceatę *Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum*, eamque primum Romę instituit in Conventu *S. Dionysii*, cujus ipse in Monte Exquilino fundamenta jecit, & in quo pie obiit die 30. mensis Januarii anni 1637. Hęc Gallicana Ordinis *Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum* Discalceata Congregatio per hoc prętertim distinguitur ab altera ejusdem Ordinis Discalceata Congregatione quę viget in Hispania, quod Religiosi Gallicanę Congregationis Discalceatę Vestes deferant omnino albas, sicut in prima hujus Ordinis Redemptionis Captivorum erectione statutum fuerat, quem antiquum habitus Ordinis colorem immutarunt Hispanę Congregationis Discalceatę prędicti Ordinis *Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum* Religiosi: Verum, inter Congregationes, in quibus Sęculo XVII. refloruit Monastica, seu Regularis Disciplina, principem locum tenere debet Benedictina S. *Mauri* Congregatio, quę ad petitionem Christianissimi Regis *Ludovici XIII.* in Galliis sub Pontificatu *Gregorii XV.* anno 1621. erecta fuit, & confirmata ab *Urbano* VIII. anno 1627. Hęc, inquam, Congregatio prę ceteris aliis, quę Sęculo XVII. originem habuerunt, commendari debet, quia pietate, eruditione & laboribus, Reipublicę Christianę utilissimis, eo Sęculo maxime floruit, & universam etiamnum Ecclesiam illustrat. Hujus celeberrimæ Congregationis pietatem non longa dies, inimica rebus optime constitutis, imminuit, non ipsa rerum humanarum fatalis conditio, ut non sint admodum diuturnę, labefactavit; non varietas temporum ejus disciplinę rigorem laxavit, sed potius in avita Ordinis *S. Benedicti* severitate Disciplinę, & in iisdem Institutis adhuc inhęret acriter, ab iis ne latum quidem unguem discedit, in iisdem diurnis ac nocturnis precibus jugiter insistit, easque non sine suavissimo sensu pietatis, ac sanctissimarum Ceremoniarum apparatu ac veneratione celebrat laudatissima illa Congregatio, in cujus Monasteriis, vere pietatis Sanctuariis, mirantur omnes Templorum nitorem, Divinę rei faciendę curam, Monachorum mores, cultum, numerum, modestiam, gravitatem, sanctimoniam, eorumque Conventus ad sartam tectam conservandam Monasticam Disciplinam frequentes. De eruditione vero, & Litterariis Operibus, quibus clarissimę hujus Benedictinę *S. Mauri* Congregationis Monachi indefesso studio incumbunt, hoc unum duntaxat dicam, videlicet ex Illustrissima illa Congregatione, quę est instar *Civitatis illius in Monte positæ*, innumeros prodiisse, & nunc etiam prodire eruditos Monachos, quorum Operibus antiquitas, cum Sacra, tum Ecclesiastica & prophana fuit illustrata, Ecclesia adversus hęreticorum insultus stre-

strenue propugnata, & invictis propugnaculis munita, Sanctorum Patrum doctrina egregie vindicata, asserta ac explanata, pristinus bonis artibus & disciplinis restitutus splendor, totique Reipublicæ Litterariæ, ex qua modo in omnes terrarum tractus, quasi plenis portis Christianorum Heroum agmina funduntur, conciliatum immortale decus & ornamentum.

D. Percensuistine omnes Congregationes, quæ ad Monasticam, seu Regularem restaurandam Disciplinam Sæculo XVII. fuerunt institutæ?

M. Novæ, & strictioris Monasticæ Disciplinæ Ordinis Cisterciensis Congregationi initium in Galliis Sæculo XVII. dedit *Armandus Jo. Butillierius Ranceus*, Abbas Monasterii *B. Mariæ Domus Dei della Trappa*, Ord. Cisterciensis ex nobilissima Prosapia Parisiis die IX. mensis Januarii an. 1627. natus *Butillierius Ranceus*, ac politioribus litteris linguę Græcæ notitia, necnon Philosophicis & Theologicis excultus Disciplinis, in Ordinem Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis fuit cooptatus. Sacerdotio inauguratus, & pingui Beneficiorum Ecclesiasticorum proventu locupletatus, a recta salutis via deflexit, licentioris vitæ quæsivit oblectamenta, & Mundi procellis se commisit, ex quibus tamen, singulari Dei gratia, quæ, ut inquit Augustinus, *inclinandorum cordium omnipotentissimam habet potestatem*, ad pœnitentiam a Deo vocatus, feliciter emersit, viamque salutis ingressus, rebus fluxis ac propediem perituris nuntium remittere, totumque sese Deo consecrare statuit. Hoc Propositum, quod alte animo hærebat, quo facilius ad optatum exitum perducere posset, duabus Abbatiis, totidemque Prioratibus, quibus jure *Commendæ* præerat, se ultro abdicavit, & unam tantum Abbatiam Monasterii B. *Mariæ Domus Dei de Trappa*, Ordinis Cisterciensis, quam, ut Abbas Commendatarius, possidebat, sibi servavit, suamque amplissimum trecentarum millies librarum Patrimonium Parisiensi Xenodochio Pauperum dono dedit. Sic ab omni curatione & administratione proventuum cum Ecclesiasticorum, tum Sæcularium liber *Butillierius Ranceus*, abjecta omni cunctatione, Religiosæ vitæ tyrocinium posuit in Monasterio B. *Mariæ de Persenia* strictioris Observantiæ Monasticæ Disciplinæ, Ordinis Cisterciensis, atque in eo probationis suę stadium iniit die XIII. mensis Junii anno 1663. Eo emenso probationis anno cum summo spiritus fervore, & incredibili severioris Disciplinæ Monasticæ studio, ad reformandum Monasterium B. *Mariæ Domus Dei de Trappa*, cujus ex Abbate Commendatario evasit Abbas Regularis, sese accinxit. Longum esset hic recensere molestias, quas in hoc perficiendo Reformationis negotio devorare coactus fuit religiosissimus Abbas, qui tandem, placide toleratis animorum Monachorum æstibus, querulis vocibus ac diris, quas, ferendæ rigidioris disciplinæ impatientes, ei sæpius imprecabantur, eos coercuit, & ad rigidissimum vivendi genus, juxta primævos Ordinis Cisterciensium Usus, verbo & exemplo induxit. A novis & peregrinis doctriois semper abhorruit, præsertim ab infestis laxiorum Casuistarum opinionibus confixis a Summis Pontificibus, in quas jure optimo invehitur in Epistola, quam scripsit, quamque integram in ejus vita, Gallice scripta, refert *Jacobus Marsolier*. Ad instituendos Monachos circa Monasticæ vitæ officia, librum Gallice edidit *de Sanctis Monasticæ Vitæ Officiis*, eleganti, nitido, & nobili stylo conscriptum, atque reconditam Monasticæ Disciplinæ notitiam continentem. Sed cum solam Sacrorum, vel Asceticorum librorum lectionem Monachis permitti debere, eisque ad ceteras Artes, Scientias, & Disciplinas perdiscendas, vel ad lectitandas ceterorum Scriptorum lucubrationes aditum præcludendum esse, sanxisset clarissimus ille Abbas, Litterariam Concertationem *de Studiis Monasticis* habuit cum *Joanne Mabillonio*, doctissimo Monacho Benedictino Congregationis *S. Mauri*, in qua tamen raram, his præsertim temporibus, in scribendo moderationem ambo tenuerunt, & ne qua vel levissima tecti in corde odii suspicio in eorum animis oboriri posset, *Mabillonius* ultro adiit religiosissimum Abbatem, habiturus ei honorem, suaque obsequia exhibiturus. Quod sane Abbati tam gratum fuit quam quod maxime, palamque ambo, ultro citroque datis sinceræ observantiæ ac venerationis significationibus, demonstrarunt, veterem amicitiam hac litteraria disceptatione ne vel minimum quidem refrixisse. Monasterio Trappensi per plures annos præfuit Abbas *Butillierius Ranceus*, omniaque boni & omnibus numeris absoluti pastoris munia ardenti zelo cum eximia pietate conjuncto obivit. Tempus, vigilias, prudentiam, aliaque præclara ornamenta, quæ a Deo acceperat, ad salutem Fratrum impertiens, omnibus omnia fiebat, ut omnes Christo lucrifaceret. Corripiebat inquietos, consolabatur pusillanimes, suscipiebat infirmos, patiens erat ad omnes, totusque in id incumbebat, ut Monachi, quorum curam ei Deus crediderat, aureos Patrum suorum *Benedicti* & *Bernardi* mores & vitam exprimerent. Hinc volitante ubique fama & omnium gentium commendatione floruit, magnoque in pretio habitus est a Regibus ac Principibus, præsertim Christianissimo Rege *Ludovico* XIV. *Jacobo* II. Magnæ Britanniæ Rege, & *Cosmo* III. Magno Etruriæ Duce, apud quos jure optimo audiebat primigenii spiritus Ordinis Cisterciensis restitutor, & pristinorum Usuum perpetuus ac indefessus cultor. Tot virtutibus clarus, & non minus doctrina, quam pietate toto orbe celebris Abbas *Butillierius Ranceus*, pie, ut vixerat, obiit, & ad Deum migravit die XXVI. mensis Octobris anni MDCC. Si plura de præstantissimi illius Abbatis, cujus memoria in benedictione est, doctrina, vita, & moribus scire desideres, legesis ejus vitam Gallice eleganti stylo descriptam a *Jacobo Marsolier*, & librum quem nuperrime, seu an. 1718. in lucem edidit R. P. F. *Malachias D' Inguimbert*, insignis Monasterii Sanctorum *Joannis & Pauli* Casemarii Strictioris Observantiæ Monachus Cisterciensis, cuique hunc præfixit titulum: *Genuinus* Cha-

Character Reverendi admodum in Christo Patris D. Armandi Joannis Butillierii Rancei, Abbatis Monasterii B. Mariæ Domus Dei de Trappa.

D. Quinam sunt veteres illi Ordinis Cisterciensis Usus, quorum pene antiquatam Observantiam in Monasterio B. *Mariæ Domus Dei de Trappa* revocavit ac restauravit vigilantissimus ille Abbas *Armandus Butillierius Ranceus*, cujus nomen ac laudes celebrat fama longe lateque diffusa?

M. Veteres Cisterciensis Ordinis Usus sunt illi, quos S. *Benedictus* in sua Regula præscripsit, & quos S. *Bernardus* Monachis Cisterciensibus adamussim observandos proposuit. Hos itaque Veteres Cisterciensis Ordinis Usus Abbas *Butillierius Ranceus* in integrum restituit in Monasterio Trappensi, quod in Galliis positum est in ima Diœcesis Sagiensis Valle solitaria, quam densus & vastus saltus tegit, & varias in partes plurima immania stagna dividunt. Eosdem veteres Cisterciensis Ordinis Usus, quos in Monasterio Trappensi revocavit jam laudatus Abbas, Monachi strictioris Observantiæ Ordinis Cisterciensis, qui rigidissimum illius Abbatis vivendi genus amplexi, ejus vestigia sectantur, tanto cum fervore etiamnum ad minimos usque apices retinent ac observant, ut de hoc religiosissimo Abbate *Butillierio Ranceo*, jam e vivis sublato, sed in filiis suis redivivo, vere id dici possit, quod S. *Ambrosius* ait de *Theodosio Magno* Imperatore in Oratione de illius obitu, ubi hæc habet: *Ergo tantus Imperator recessit a nobis, sed non totus recessit; reliquit enim nobis liberos, in quibus eum debemus agnoscere, & in quibus eum & cernimus & tenemus.* Et sane, si quis Monachorum Cisterciensium strictioris Observantiæ Disciplinæ, qui Abbatem *Butillierium Ranceum* Patrem, ac Ducem Monasticæ Disciplinæ tam in Gallia, quam in Italia se habere gloriantur, viam, moresque inspiciat, si subodoretur suavissimum odorem virtutum omnium, quibus inculta horridaque eremus, quam incolunt, suffunditur, ultro fatebitur, in his Monachis, velut in suis genuinis filiis, reviviscere *Butillierium Ranceum*, vivamque illius Abbatis, omni laude superioris, imaginem in eorum vultu, ore, habitu, totiusque vitæ ratione adhuc expressam mirum in modum relucere. At enim ut pauca, ne longior sim, de illius Sanctissimi Instituti Legibus & Usibus attingam, abstinent illi Monachi, severioris Disciplinæ Ordinis Cisterciensis, vulgo a primo illorum in Galliis Monasterio dicti *della Trappa*, abstinent, inquam, semper a carnibus, ovis, & piscibus, præterquam dum morbo laborant, Oleo & Butyro in Refectorio non utuntur, solis herbis, leguminibus, & radicibus, lacte aliquando conditis, contenti. Juge silentium observant, nec ullam vocem emittunt, nisi ad Dei noctu dinque celebrandas laudes, vel ad pia exempla aliis præbenda, aut ad mutuas culpas summa charitate in Capitulo coram Abbate emendandas. Calceati incedunt, & Cuculla utuntur alba, circa lumbos coriaceo cingulo præcincta, etiam nocte. Supra paleas induti dormiunt, deposito tantum amplo Capucio, huic fere simili quod Monachi Fulienses ferunt. Cucullam albam duntaxat exuunt, dum singulis diebus per aliquot horarum spatium culturæ horti dant operam, nisi dies Festus impediat, vel in Culinæ operibus, aliove quovis labore, ad eorum vitam sustentandam necessario occupentur. Cupiditati mortui, perpetua maceratione carnem affligunt jejuniis, quæ præsertim a Festo Exaltationis S. Crucis, hoc est, a die XIV. mensis Septembris usque ad Pascha, exceptis diebus Dominicis, & die Natali Christi Domini, perquam accurare observant. Eorum Templa superfluis plane spoliantur ornamentis, nec auro, nec argento fulgent, sed priscam redolent paupertatem, & Ministrorum pietate, modestia, ardentique in Deum charitate potissimum ornantur. Exoculatam obedientiam Abbati sine mora exhibent, totique ab illius nutu & imperio pendentes, quocumque ducuntur, sine contradictione eunt, & quodcumque eis imponitur onus, absque ulla reluctatione ferunt. Nusquam apud eos audiuntur lites, nusquam contentio; sed altissima regnat pax, ac continuo viget immensa charitas, jucunda mentis tranquillitas, unitas, concordia, atque a Mundi tumultuum strepitu mira libertas. Propediem morituri in terram in cilicio & cinere deponuntur, ibique Sacro Extremæ Unctionis oleo deliburi, instar victimæ holocausti super Altare positæ, consummato sacrificio, placide in Domino moriuntur. Hi sunt Veteres Ordinis Cisterciensium Usus, quos a Religiosissimo Abbate *Joanne Armando Butillierio* in Monasterio *B. Mariæ Domus Dei de Trappa* restitutos observant strictioris Disciplinæ Monachi Cistercienses, qui sub egregii illius Reformatoris Vexillo militare gloriantur. Quo fit, ut de illis Monachis Cisterciensibus, vulgo dictis *della Trappa*, id jure optimo dicere possim, quod olim Venerabilis *Petrus*, Abbas Cluniacensis, in Epistola XVI. in laudem antiquorum Monachorum Cisterciensium scripsit: *Sicut Esdras legem, & Machabæi ruinas templi, sic illi* (seu Monachi Cistercienses) *Monastici Ordinis detrimenta, ac Monasteriorum, morumque ruinas repararunt, ac delicatis magis, quam necessariis, condescensionibus explosis, ad antiqui & primi fervoris morem, suorum temporum teporem revocarunt.* Plura, circa horumce Monachorum strictioris Observantiæ, Ordinis Cisterciensis, Leges, Usus ac Constitutiones, videsis in libro, quem Reverendissimus Abbas Monasterii *Boni Solatii*, vir doctrina & pietate conspicuus, & quem ipse patris loco colo ac veneror, an. MDCCXVIII. Florentiæ in lucem edidit, cuique hunc inscripsit titulum: *Breve Ragguaglio delle Constituzioni delle Badie della Trappa, di Buonsolazo, e di Casamari della stretta Osservanza dell' Ordine Cisterciense.* Qui titulus sic latine redditur: *Compendiosa Relatio Constitutionum, quæ observantur in Abbatiis B. Mariæ Domus Dei de Trappa, Boni Solatii, & Casamarii, strictioris Observantiæ, Ordinis Cisterciensis.* Auctor etiam tibi sum, ut interdum legas Vitas Monachorum, qui in Monasterio *B. Mariæ*

Domus

Domus Dei de Trappa, post expiatam dinturna & laboriosa pœnitentia flagitiosam vitam, quam duxerant in Sæculo, sancte obierunt. Horumce Monachorum Vitas Gallice descriptas, paucis abhinc annis Italico Idiomate donavit pius juxta ac doctus Abbatiæ *Boni Solatii* Monachus, easque Florentię anno MDCCXV. vulgavit eo prefixo titulo: *I Prodigj della Grazia espressi nella Conversione di alcuni grandi peccatori, morti da veri Penitenti nel Monastero della Trappa, della stretta Osservanza Cistercienſe*: idest: *Prodigia Divinæ Gratiæ, quæ sese produnt in conversione aliquot projectæ conscientiæ peccatorum, qui, ut veri Pœnitentes, in Monasterio B. Mariæ Domus Dei de Trappa strictioris Observantiæ Ordinis Cisterciensis mortui sunt*. Vere ejusmodi Peccatorum sincerę ac constantes conversiones, in perferendo laboriosę pœnitentię rigore perseverantia, ac tandem pretiosa mors appellari debent *Prodigia Gratiæ*, quę suapte vi & efficacia facit, ut inquit *S. Augustinus*, ex nolentibus volentes, ex dissentientibus consentientes, ex injustis justos, ex peccatoribus pœnitentes, atque in accepta justitia perseverantes reddit, inserta cordi suavitate ac delectatione.

D. Magno errore, in quo versabar, me profecto levasti. Existimabam quippe, vanis quorumdam sermonibus delusus, antiquos Monachos Cistercienses nunquam professos fuisse illos Usus, seu austerum istud strictioris Observantię Disciplinę genus, quod nunc Cistercienses Monachi, dicti *de la Trappa*, amplexi sunt; indeque eorum institutum, quasi novitatem redolerer, ac inusitatum plane induceret breviandę vitę modum, improbare haud verebar. At ab eo errore modo penitus liber, scire velim, an verum sit id, quod dictitant nonnulli, videlicet istud Monachorum, qui vulgo *de la Trappa* nuncupantur, institutum nec a Sede Apostolica confirmatum, nec ab Abbatibus Generalibus Ordinis Cisterciensis fuisse unquam approbatum?

M. Institutum Monachorum, qui *de la Trappa* communiter appellantur, a Sede Apostolica confirmatum, & ab Abbatibus Generalibus Ordinis Cisterciensis approbatum fuisse multis momentis demonstratur. Primo, quia Religiosissimus Abbas *Butillierius Rancæus*, dum flexam & exoletam Monasticam Disciplinam in Monasterio Trappensi in rectum revocavit, non novos condidit Usus, sed, sicut jam observavimus, primęvum Ordinis Cisterciensis nitorem, veteres Usus, ac potissima antiquorum Cisterciensium Monasticę Disciplinę Exercitia induxit in suum Monasterium, in quo, conditione rerum humanarum semper in pręceps ruentium, hęc jam pridem obsoleverant, pravique inoleverant Usus, quibus primariam *S. Benedicti* Regulam & veteres Cisterciensium Monachorum Usus pręponi debere jure optimo sanxit vigilantissimus ille Abbas. Cum igitur veteres Monachorum, cum Benedictinorum, tum Cisterciensium Usus a Summis Pontificibus fuisse confirmatos nemo inficias ire possit, palam est, Institutum quoque Monachorum Cisterciensium, qui vulgo *Trappenses* appellantur, quique a veteribus Monachorum Cisterciensium Usibus ne transversum quidem unguem discedunt, a Sede Apostolica confirmatum censeri debere. Preterea, hanc Reformationem Ordinis Cisterciensis, ab Abbate *Butillierio Rancæo* in Monasterium Trappense inductam & stabilitam impense laudavit *Innocentius* XI. Pontifex Maximus in Brevi Apostolico, quod ad eumdem Abbatem misit, quodque datum est die XI. mensis Augusti an. MDCLXXVIII. Quin & *Clemens Undecimus* Summus Pontifex, precibus Magni Etrurię Ducis *Cosmi* III. annuere volens, aliquot e Gallia Monachos strictioris Observantiæ Ordinis Cisterciensis, degentes in Monasterio Trappensi, in Etruriam adscivit, eisque Monasterium *Boni Solatii*, Ordinis Cisterciensis, quod est prope & extra muros Civitatis Florentię, concessit Litteris Apostolicis, datis die 19. mensis Sept. an. 1705. Denique, idem Pontifex ad petitionem sui ex fratre germano Nepotis Card. *Albani*, a Monasterio Casęmarii, Verulanensis Diœcesis, Ordinis Cisterciensis, amovit Abbatem & Monachos Provincię Romanę Congregationis Italicę Ord. Cisterciensis, & in idem Monasterium, cujus Abbas, seu perpetuus Commendatarius est laudatus Cardinalis *Albanus*, introduxit Monachos strictioris Observantię Ord. Cisterciensis *della Trappa* nuncupatos, ut liquet ex Litteris Apostolicis hujus Summi Pontificis *Clementis* XI. datis die VII. mensis Aprilis Anni 1718. Ex his Pontificiis Diplomatibus, quę integra leguntur in libro, quem nuperrime a Reverendissimo Abbate Monasterii *Boni Solatii* editum, paulo ante indicavi, aperte constat, hanc Monachorum Abbatiæ B. *Mariæ Domus Dei de la Trappa*, Ordinis Cisterciensis, Reformationem, seu strictiorem Monasticæ Disciplinæ Observantiam, Summis Pontificibus acceptam, multumque probatam fuisse, cum eam non solum sartam tectam conservare, sed etiam propagare maxime in votis habuerint. Nec minus ad eam fovendam ac protegendam strictioris Monasticæ disciplinæ observantiam propensa fuit voluntas Generalium Abbatum Ordinis Cisterciensis, qui, ad obstruenda quorumdam obtrectatorum ora loquentium iniqua, palam testati sunt, se nihil tam curæ ac cordi habere, quam ut strictiorem hanc Cisterciensis Ordinis Observantiam non modo protegerent, ac zelo charitatis complecterentur, verum etiam pro viribus diffunderent, ac latius propagarent. Reverendissimus Pater *Nicolaus Larcher*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, Abbas Cistercii, & Universi Ordinis Cisterciensis Caput, ac Superior Generalis, publicum testimonium ea de re die IX. mensis Julii anni 1711. dedit his verbis conceptum: („ Strictiorem Ordinis nostri Observantiam, cælesti irrigante Agricola, juxta primitivas Patrum nostrorum Institutiones, e Monasterio de Trappa, non sine ingenti gaudio, in Bono Solatio & aliis pluribus Monasteriis transplantatam, comperimus magnum accepisse incrementum, ac peruberes virtutum omnium fructus mirum ubique

que sparsisse suavitatis odorem. *Ac paucis interjectis subdit*: Cunctis notum facimus, re mature perpensa, ex relatione proborum virorum nobis facta, illud Disciplinæ Regularis genus, in prædictis de Trappa, Bono solatio, & aliis ejusmodi Monasteriis practicatum, nihil aliud esse quam sanctiores Exercitationes Regulæ D. Benedicti & Ordinis nostri Cisterciensis antiquis Usibus, ac Institutis, omnino conformes esse declaramus: Cumque fuerint hæ ab initio usque nunc a SS. Pontificibus semper confirmatæ, ita & illam Observantiam immerito novitatis, aut immoderationis esse suspectam profitemur; eo vel maxime, quod feliciter regnans SS. Dominus noster Clemens Papa XI. illius Alumnos singularibus in dies cumulare conatur favoribus, & gratiis, nec non aliis eam amplectendi licentiam benigne impertiri dignatur, in invidorum confusionem, debilium stimulum, fortium ædificationem, & omnium æmulationem &c. „) Hocce publicum testimonium confirmavit, novumque ei robur addidit Reverendissimus *P. Edmundus Perrot*, Universi Cisterciensis Ordinis nunc Generalis Abbas. Ille quippe Prædecessorum suorum Edictis inhærendo, Litteras die XVIII. Januarii an. 1716. dedit, in quibus decernit primo Monachos, apud quos in Monasteriis *de Trappa & Bono Solatio* viget strictioris Monasticæ Disciplinæ Observantia, veros esse Religiosos Ordinis Cisterciensis Professos, eosque ad restaurandam tuendamque Disciplinam regularem fuisse a Deo suscitatos. Secundo declarat, assiduas preces, asperitatem victus, arctam pauperiem, aliaque pœnitentiæ opera, quibus in prædictis *de Trappa* & *Bono Solatio* Monasteriis Deus in spiritu & veritate colitur, nihil aliud esse, quam actuatas D. *Benedicti*, & antiquorum Ordinis Cisterciensium Usuum exercitationes a Summis Pontificibus confirmatas, ac subinde prædictam Monasticæ Disciplinæ strictiorem Observantiam novitatis, insolentiæ, aut inconsiderationis suspicionem non mereri, sed potius dignam esse, quæ majoribus in dies Cœli cumulata benedictionibus ab omnibus Cisterciensis Ordinis Superioribus gratiis & favoribus excipiatur. Hæc paulo susius referre necessarium esse duxi, ut intelligeres, quantum Summis Pontificibus, & Abbatibus Generalibus Ordinis Cisterciensis, omnibusque Viris piis probata sit hæc strictior Regularis Disciplinæ Observantia, in quibusdam Monasteriis ejusdem Ordinis instaurata, & quam graviter hallucinentur nonnulli, qui, ultra nasum suos non defigentes oculos, sibi perperam persuadent, Monachos, hujusce strictioris Disciplinæ Observantiæ cultores, & Eremi incolas, miseram in continuis pœnitentiæ laboribus vitam trahere, cum tamen certo certius sit, illos, mira charitatis dulcedine perfusos innumeris tam internis quam externis abundare delitiis, quia vera & unica voluptas gaudium est puræ conscientiæ, lautissimæ epulæ sunt, studium Sanctarum Scripturarum; jucundissimæ cantilenæ, nocturna ac diuturna Psalmorum recitatio: summæ delitiæ, fruitio veri. Hæc ubi semel degustarunt pii illi Solitarii, nihil tam pretiosum, nihil tam voluptarium mundus hic possidet, quicum velint permutare. Illis dulciores sunt suæ lacrymæ, quam impiis risus, cachinni jocique sui. Illis jucundiora sunt jejunia, & lautiores mensæ herbis & leguminibus instructæ, quam divitibus, qui cupiditati indulgent, delicatiores cibi, & sumptuosa convivia. *Da amantem & sentit quod dico, da desiderantem, da ferventem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem: da talem & scit quid dicam.* Verba sunt Sancti *Augustini* Tract. 26. in *Joannem*. Viden, Charissime Discipule, qua libertate, qua tranquillitate, qua voluptate, qua spe in horrenti solitudine fruantur pii Monachi immodica licet confecti inedia, vigiliis prope perpetuis macerati, & tantis pœnitentiæ laboribus attriti, quorum cruces, ut loquar cum *Bernardo*, mundus videt, unctiones non videt. *O quoties*, inquit Sanctus Hieronymus, *in Eremo constitutus, in vasta illa solitudine, quæ exusta Solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum, putavi me Romanis interesse delitiis. Et, ut mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post Cælo oculos hærentes, nonnunquam mihi videbar interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudensque cantabam: Post te in odorem unguentorum tuorum curremus.* O fortunatam igitur incolarum Eremi sortem, quorum pauperie nihil locupletius, servitute nihil liberius, labore nihil quietius, inedia satura, angustiæ spatiosissimæ, mœror jucundissimus, amaritudo perquam suavis, vigiliæ somno quovis gratiores, vita felix, mors felicior, quam vita consequitur felicissima.

D. Certe nunc intelligo, non in Urbium, hominumque frequentia, non in negotioso fori strepitu, non in aulæ tumultu fastidioso, veram illam, cujus amore teneor, inveniri posse felicitatem, quæ potius celebritates odit, mundanos homines fugit, avias solitudines persequitur, locos inaccessos incolit, & urbanis negotiis procul, suam potissimum in eremo inter saxorum asperitates & impendentium montium altitudines sedem fixisse videtur. Horum igitur felicissimæ Monachorum sorti invideo, ac deinceps fugiam consortia illorum hominum, qui omnem felicitatem ventris voluptate metientes, ægre adduci possunt, ut credant, labores, in quibus Monachorum vita versatur, non modo molestos ac tristes non esse, sed hilares etiam ac jucundos. Verum, de Monastica & Regulari Disciplina Sæculi decimi septimi satis hactenus disseruimus. Nunc vehementissime optarem, ut sub finem nostri Colloquii aliquas Leges, seu Regulas præscriberes, quibus in delectu opinionum, quæ mores attinent, certo ac tuto adhærere possem. Probe quippe novi, complures Propositiones ad morum Doctrinam spectantes, Sæculo XVII. a Summis Pontificibus fuisse proscriptas, & bene multas etiamnum circumferri in Disciplina morum opiniones, in quibus deligendis, ut citra offensionem procedatur perbelle, cum alia multa cavenda sunt diligenter, tum vel in primis vitandi occurrunt scopuli quidam duo, ad quos appelli solere ferme, tu ipse in superioribus nostris Colloquiis jam sedulo obferva-

servasti: nimiam laxitatem dico & intempestivam severitatem; inter quæ duo tam facilis est lapsus, tam proclivis offensio, ut plerumque incidant in Scyllam, qui volunt vitare Charybdim. Hinc primum in seligendis opinionibus quæ ad morum Disciplinam attinent, præcavenda est nimia laxitas, seu vaga & effrænis opinandi licentia quæ innumeras, sicut in Colloquio tertio ostendisti, peperit morum corruptelas, cunctisque hominis Christiani officiis inflectendis & corrumpendis latissimam januam reseravit. Hinc etiam pari studio declinanda est imperiosa severitas, quæ nimio adhibito rigore, peccatores a tribunali pœnitentiæ arcet, eosque tantum non adigit in desperationem suæ salutis. Ne igitur in duo illa extrema vitia, quæ opiniones in Doctrina morum inficere solent, impingere valeam, optarem, ut in præsentia quasdam mihi præstitueres Regulas, quæ viam securam quasi digito præmonstrent, in qua deinceps ambulem, ad sinistram, vel dexteram nunquam declinando.

M. Antequam Regulas, ad præcavendas in Doctrina Morali laxiores opiniones, præscribam, necesse omnino est, ut præcipuas radices detegam, ex quibus pullularunt illæ corruptelæ morum, ac laxitates, quæ Sæculo XVII. Ecclesiam infestarunt, & a Summis Pontificibus fuerunt proscriptæ. Harum autem laxitatum radices, quæ bene multæ sunt, ad duas præcipuas, brevitatis ergo, revocabo. Quarum prima petitur ex novo quodam & insolito docendi modo quorumdam illius Sæculi molliorum Casuistarum, qui neglecto Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Patrum doctrinæ studio, plus rationi, in proponendis, vel dirimendis quæstionibus ad mores spectantibus, detulerunt, quam ei deferendum ac tribuendum esset. Hinc laxiores illi Casuistæ, ut passim videre est in eorum Operibus, novellas suas opiniones non fundabant in Sacra Scriptura, Traditione, Decretis Summorum Pontificum, Sacris Canonibus, & Sanctis Patribus, sed eas pluma & aranea tela levioribus rationibus ac conjecturis suffulciebant: Scripturæ Sacræ Oracula, Decreta Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum Doctrinam, Sacrorum Canonum rigorem inflectebant pro arbitrio suo, emolliebant, ad præscriptum rationis suæ accommodabant, mille adhibitis distinctiunculis & exceptionibus limitabant, atque tanquam cereum nasum in omnem partem ducebant, trahebant, detorquebant. Quid igitur mirum, si illi moderni Casuistæ, relictis publicis Doctrinæ Moralis fontibus, præeuntem duntaxat sequentes humanam rationem, quæ sibi permissa, ut plurimum cæcutit, hallucinatur, in turpissimos errores atque absurdissimas superstitiones prorumpit, sicut patet inspicienti antiquorum Philosophorum libros, & varias gentium pro suo nutu Religiones sibi confingentium opiniones, seu potius deliramenta; quid inquam, mirum, si moderni illi Casuistæ, arundineo innixi baculo, in tot laxitates, seu corruptelas morum prolapsi sint? Altera Doctrinæ Moralis laxitatum radix non aliunde peti debet, quam ex nimia indulgentia quorumdam Sæculi XVII. Casuistarum, qui Regula Lesbia utentes, Divinam Legem moribus applicarunt, cum, versa vice, mores ad Legem Dei componere ac exigere debuissent. Videntes siquidem recentes illi Casuistæ, vires hominis lapsi fractas, sauciatas, ac debiles esse, aliunde vero non admittentes gratiam se ipsa efficacem, quæ rumpit moras, difficultates suaviter vincit, præbetque, ut sæpius ait *S. Augustinus*, vires efficacissimas ad operandum in actu secundo, coacti sunt legem, non gratiæ virtuti, sed virium hominis lapsi infirmitati attemperare, & officiorum nostrorum rationes non arctis Evangelii Sanctionibus, non potentissimæ & suavissimæ Dei gratiæ efficacia, quæ facit ut faciamus, sed naturæ corruptæ languore ac debilitate tanquam Regula Lesbia & obliqua, metiri. Hinc quotiescumque Casus conscientiæ resolvunt, non aliam resolutionum suarum rationem adhibent, quam infirmitatem humanam, dictitantes, vel Sacros Canones *de Vita & Moribus Clericorum* non amplius obligare, sed, ob nimium rigorem, cui ferendo par non erat infirmitas humana, esse jam penitus abrogatos, vel præcepta Dei non obligare cum tanto onere, alias grave nimis jugum imponeretur filiis Adam. Hinc collapsis per primigeniam Protoparentis labem naturæ humanæ viribus plus æquo indulgentes moderni illi Casuistæ, legem Dei emollierunt, spinas Pœnitentiæ sustulerunt, angustam Cæli viam benignis & laxioribus opinionibus dilatarunt, multaque, sed a Sæculis inaudita, ad vitam commodius agendam lenocinia adinvenerunt. E contra vero Sanctorum *Augustini*, & *Thomæ* Discipuli, suarum virium infirmitatis conscii, & omnipotentis Divinæ Gratiæ tum per se efficacis, tum sufficientis firmitati subnixi, tenent se ad legem, non legem ad se detorquent, non eam emolliunt, nec sacrum pœnitentiæ rigorem enervant, sed incessanter petunt a Deo, a quo bona cuncta procedunt, ut infirmæ naturæ vires adaugeat, difficultates superet, & omnipotentis gratiæ suæ virtute, qua attingit omnia fortiter, & disponit omnia suaviter, legem, quantumvis carni, seu naturæ corruptæ, duram, spiritui reddat amabilem. Ubi enim aliquid *amatur, non laboratur, & si laboratur, labor ipse amatur*, inquit *S. Augustinus*. Detectis semel his laxitatum Moralis Doctrinæ radicibus, præstat nunc securim ad radicem adhibere, & aliquas præfigere Regulas, quarum ope ejusmodi laxitates ac corruptelas morum facili negotio declinare possis. Imprimis satagere debes, ut Doctrinam Moralem haurias ex puris illius fontibus, seu ex firmis ac tutis Theologiæ fundamentis, præsertim ex Sacra Scriptura, ex doctrina Sanctorum Patrum, ex Decretis Summorum Pontificum, & Sacris Canonibus Conciliorum. Omnia, inquam, quæ Sacri Scriptores, Summi Pontifices, Concilia, & Sancti Patres de moribus scripserunt, tenuerunt, ac docuerunt, debes absque ulla dubitatione firmiter credere ac tenere, subindeque repudiare novellas istas, & toti retro antiquitati ignotas opiniones Casuistarum, in quorum Operibus ra-

rissime

tissime Scriptura, Decreta Summorum Pontificum, & Conciliorum Canones citantur, ac vix, aut nunquam, veneranda *Augustini*, *Chrysostomi*, *Gregorii*, & aliorum Patrum nomina comparent, quasi nihil unquam de moribus scripserint, cum aliunde singuli pene versus nominibus recentiorum Casuistarum, locisque perstrepant, & in illorum auctoritate, leviculis rationibus subnixa, gravissima eorum Decreta, quæ velut de tripode pronuntiant, fundentur. Porro, credibile non est, has recentiorum Casuistarum opiniones, si essent veræ & animarum saluti utiles, fuisse in Ecclesia Catholica per mille & septingentos annos penitus ignoratas, istudque adeo insignis, ut jactitant, utilitatis arcanum latuisse plane Sanctos Patres, & postremis hisce duntaxat temporibus, hoc est, Casuistis Sæculi decimi septimi patuisse, quod sane nemo asserere potest, nisi Deo insignem injuriam, & Ecclesiæ Catholicæ, Sanctisque Patribus summam irroget contumeliam. Qua propter, quotiescumque videris Sanctos Patres stare pro dogmate aliquo, jus Divinum, seu naturale, seu positivum spectante, modernos vero Casuistas stare ex adverso, debes absque ulla hæsitatione Patrum auctoritatem, doctrinamque præferre opinamentis illorum Casuistarum, qui a regia via recesserunt, suamque doctrinam non ex puris Disciplinæ Moralis fontibus, sed ex lacunis, in quibus plus est sordium, quam liquoris, hauserunt. Secundo, ut in sana Ecclesiæ Romanæ doctrina morum sanus ac integer permanere possis, oportet, antequam te ad operationem accingas, ut abdices omnia præjudicia, divinum implores auxilium, quo menti tuæ offusæ tenebræ depellantur, regulas observes Christianæ humilitatis, simplicitatis, modestiæ, ac prudentiæ, sed præsertim a Deo humiliter petas mentis castimoniam, cordis munditiem, & affectus puritatem, quia si te iniquitas non oneret, si non fascinet carnis, mundique delectatio, si non inclinet voluptas, si non gravet cupiditatis pondus, si non deprimat bonorum temporalium amor, si non trahat superbia vitæ, omni proculdubio, intus lucente divina gratia, vitabis omnes laxitates & corruptelas morum, nec unquam sequeris opinionem minus probabilem, quæ favet libertati ac cupiditati, in conflictu probabilioris opinionis, quæ stat pro lege Dei. Tertio, si aliquando in delectu opinionum, quæ mores attinent, dubius hæreas, & quid tibi facto opus sit, ignores, adire debes Viros pios ac eruditos, quos in doctrina Traditionis Patrum magis versatos, cælesti lumine uberius perfusos, & divinorum experientia ac spiritus prudentia plenius sensis informatos. Horum, inquam, Casuistarum, qui in doctrina sunt veraces, & viam Dei in veritate docent, discreto judicio, ac sententiæ par est acquiescere, & citra ullum salutis periculum obedire. Absit enim, ut nonnullos peccatores imitari velis, qui normas morum exquirentes pravis suis cupiditatibus utiliter congruentes, dum ab uno Casuista, quem amor veritatis, & purioris doctrinæ Moralis studium movet, id quod votis habent, obtinere, seu potius extorquere haud possunt, ad alium benigniorem confugiunt, quo patrono & sponsore quieti, & nullo conscientiæ morsu perturbati legem Dei cum Maximis Mundi ita componere possint, ut placide Sæculi moribus vivant, dignitatibus, divitiis, voluptatibus, commodis lenti & otiosi perfruantur. Hujusmodi peccatores, qui varios consulunt Casuistas, donec aliquem inveniant, qui ad libitum respondeat, simillimos esse dicam antiquis illis plurium Deorum cultoribus, qui ab uno Deo, quem sibi iratum aut suis propensionibus minus consentaneum sentiebant, confestim ad alium Deum confugiebant Votis suis favorabilem, quem in Myriade illa falsorum Deorum facile inveniebant, ut videre est in hisce Versibus Poetæ *Ovidii*:

Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.
Juppiter in Trojam, pro Troja stabat Apollo,
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Denique, ut omnes laxitates ac corruptelas morum, quas Sæculi XVII. molliores Casuistæ invexerunt, facilius præcavere, & ex animo detestari valeas, sæpius in memoriam revocare debes Oraculum Christi Domini, docentis nos in Evangelio, duas tantum esse vias, unam arctam, quæ ducit ad Vitam, alteram latam quæ ducit ad perditionem. Præter has duas vias, aliam tertiam admittere viam, quæ sit media, hoc est, nec nimium lata, nec multum angusta, ejusdem periculi esset, ac triplicem terminum distinguere, qui duplex tantum pro adultis post finem Mundi designatus est. Scriptum est enim Matthæi c. 25. quod alii *ibunt in supplicium æternum, justi autem in Vitam æternam*. De tertia autem illa via, quam comminiscuntur Viri tepidi, dicitur c. 14. libri Proverbiorum: *Est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem*. Cum igitur duæ duntaxat sint viæ, arcta una, quæ ducit ad Vitam, altera lata, & spatiosa, quæ ducit ad perditionem, diligenter attendere debes quam viam inire velis. Si tibi placeant laxitates & corruptelæ morum, si Deo & Mundo inservias, si legem Dei ad quasdam regulas morum, tuis commodis, & utilitatibus congruentes, inflectas, profecto arcta via, quæ ducit ad Vitam, non incedis, sed potius viam calcas latam, quæ ducit ad perditionem. Hujus latæ ac spatiosæ viæ (ut verbis utar *Lactantii* cap. 4. libri 6. Institutionum) *Species & figura sic est composita in aspectus, ut plana & patens, & omni genere florum atque fructuum delectabilis esse videatur. In ea enim posuit Deus omnia, quæ pro bonis habentur in terra, opulentiam dico, honorem, quietem, voluptatem, illecebras omnes; sed cum his pariter injustitiam, crudelitatem, superbiam, perfidiam, libidinem, cupiditatem, discordiam, ignorantiam, mendacium, stultitiam, ceteraque vitia. Exitus autem hujus viæ talis est, cum ventum fuerit ad extremum unde jam regredi non licet, cum omni sua pulcritudine tam subito præciditur, ut non ante quis fraudem prospicere possit, quam præcipitatus in altitu-*

titudinem profundam cadat. Quisquis enim præsentium bonorum specie captus, & in his consequendis ac fruendis occupatus non prævideris ea, quæ post mortem secutura sunt, seque a Deo averterit; is vero ad inferos dejectus, in æternam damnabitur pœnam. Hanc latam viam, quæ ducit ad perditionem, non inibis, si mores tuos ad legem Dei componas, si a laxitatibus & corruptelis morum abhorreas, si conscientiam tuam non credas illis Casuistis, qui, ope cujusdam vagæ probabilitatis a Sede Apostolica proscriptæ, opiniones falsas, & æternæ Legi contrarias peccatn liberant, usuris, simoniis, vindictis, calumniis, mendaciis, homicidiis colorem prætexunt, ac bonum dicunt malum, & malum bonum; Cum tamen bonum esse non possit, quod æterna lege damnatur, juxta hanc *Tertulliani* c. 20. libri *de Spectaculis* præclaram Sententiam: *Erramus: nusquam & nunquam excusatur quod Deus damnat: Nusquam & nunquam licet, quod semper & ubique non licet. Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo & æqualitas timoris, & fidei obsequii, non mutare sententiam, nec variare judicium. Non potest aliud esse, quod vere quidem est bonum, seu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt: Ethnici, quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec Doctor veritatis Deus, malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur; alibi bonum quod alibi malum, & alibi malum, quod alibi bonum.*

D. Valde mihi probantur istæ, quas præfixisti, regulæ ad præcavendas inductas Sæculo XVII. laxitates & corruptelas morum, quæ ex nimia indulgentia & facilitate quorumdam Casuistarum originem habuerunt, multorumque animos pervaserunt. Superest modo, ut certam tutamque indices viam, quam tenere debeam, ne in Doctrina Morali in aliud extremum vitium impingam, videlicet in severiorem morum disciplinam, quam a quibusdam rigidioribus Sæculi XVII. Casuistis importatam non minus damnavit Catholica Ecclesia, quam molliorem, a laxioribus Casuistis in perniciem animarum excogitatam, morum doctrinam, Romani Pontifices, universa plaudente Ecclesia, Vaticanis fulminibus protriverunt.

M. Rigidiores in doctrina Morali opiniones, quæ jugum Christi plus æquo exasperant, perinde cavere debes, ac sententias laxiores, quæ corruptelas morum inducunt. Sicut enim illæ laxiores sententiæ, secundum Propheticum sermonem, *consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia, sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*: ita immoderata severitas, seu rigidior Disciplina morum in causa est, cur peccatores propriæ infirmitatis conscii, & acerbiori pœnitentia, morumque Disciplinæ rigore perculsi, pedem referant, difficultatibus succumbant, animum despondeant, & curam salutis prorsus abjiciant, vel cum infelici proditore Juda in desperationem acti ad restim confugiant. Hinc jure optimo Christus Dominus *Matthæi* c. 23. vers. 4. Scribas & Pharisæos his verbis redarguit. *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.* Ecclesia itidem, Christi Domini secuta exemplum, nimium rigorem, quem affectabant *Novatiani*, *Encratitæ*, *Eustathiani*, & *Luciferiani* improbavit, extatque in Decreto *Gratiani* Part. II. Causa 26. Quæst. 7. Canon. 12. his verbis conceptus; *alligant autem onera gravia, & importabilia, &c. Tales sunt Sacerdotes, etiam nunc, qui omnem justitiam populo mandant, & ipsi nec modicam servant; videlicet non ut faciendo sint, sed ut dicendo appareant justi. Tales sunt, qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt, quia dicunt & non faciunt. Et sic dum pœna præsentis pœnitentiæ fungitur, contemnitur pœna peccati futura. Sicut enim si fascem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare posueris, necesse habet ut aut fascem rejiciat, aut sub pondere confringatur. Sic & homo, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, aut pœnitentiam rejicit, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccat.* Denique S. *Ambrosius* Sermone V. in psal. CXVIII. rigidioris Disciplinæ moralis Doctores his verbis perstringit: *Sunt etiam in nobis, qui timorem Dei habent, sed non secundum scientiam; statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur consulere disciplinæ, opus virtutis exigere; sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturæ, nec æstimant possibilitatem.* Hujusmodi Doctorum, qui plus justo austeri, morosi, ac superciliosi præsentem Ecclesiæ Disciplinam contracta fronte, adductisque labiis damnant, atque rigidiores in doctrina morali opiniones obtrudunt, consortia fuge, & unum instar omnium in Doctrina Morali sequere Ducem Angelicum Doctorem S. *Thomam Aquinatem*, qui, Duce Verbo Dei, vestigia Patrum secutus, a rigidioribus, perinde ac laxioribus in doctrina morali opinionibus semper abhorruit. Hinc, *Alexander* VI. Pontifex Maximus Patribus Ordinis Prædicatorum, Romæ in Comitiis Generalibus anno 1655. congregatis, declaravit, se vehementer optare, ut Theologia Moralis ex Operibus S. *Thomæ Aquinatis* concinnaretur, quo hæc morum & opinionum licentia, quæ in dies grassabatur, quasi cauterii unione cohiberetur. Hujus propositi, quod animo Sanctissimi illius Pontificis alte insidebat, illiusque Declarationis factæ Patribus Dominicanis testis est locupletissimus, & omni exceptione major, doctissimus noster *Vincentius Baronius*, qui in iisdem Comitiis Generalibus aderat tanquam Definitor Provinciæ Tolosanæ, idque revera contigisse fidem publicam fecit in Epistola, quam ad Generalem Magistrum ejusdem Prædicatorum Ordinis directam præfixit libro nostri *Julii Mercori*, cui titulus est: *Basis totius Moralis Theologiæ*. Præcipuum igitur in Disciplina Morali Ducem sequere Sanctum *Thomam Aquinatem*, de cujus doctrinæ generali approbatione veridice, & juxta eleganter Cardinalis *Palavicinus*, Societatis Jesu, in Epistola nuncupatoria sui lib. 7. *De Virtute & Sacramento Pœnitentiæ*, quem, antequam ad Purpuram assumeretur, nostro *P. Vincentio Preto*, Sacræ Romanæ, ac Gene-

nera-

neralis Inquisitionis Commissario, quicum vetus illi intercedebat necessitudo, inscripsit; hæc habet singulari observatione digna: *Hoc mihi dolendum accidit, commendationes meas rude quid & impolitum esse pro ingenio tuo; sed tamquam tabulas affabre pictas exornare studui illito auro, utique Ophirio, nempe ab illis venis eruto, unde tu quoque locupletatus; (Divi Thomæ Codices loquor) Viri, quo non tam Ordo tuus, quam Christi Ecclesia, ipsumque humani generis nomen merito gloriatur. Sentio equidem in me tanti Scriptoris pretium, una cum ætate, sed longe supra ætatis incrementa crevisse... Præclare mecum egit divina bonitas, quod me vocavit ad eam religiosam cohortem, quæ jubetur Angelici Doctoris Theologiam sequi: eam namque sequerer, vel injussus, imo vix non sequerer, vel prohibitus .... Jam vero hæ postremæ hujus anni Disputationes, quas e suggestu dictavi, & quarum tibi Summam dico, plus aliquanto quam superiores editæ a me, tibi Aquinatem tuum redolebant, quo tantopere nunc delector, ut vix alium e Scholasticis diu teram sine fastidio; non quod in ceteris multa non inveniam, ignota mihi, & oppido pulchra; sed alia plura, & longe pulchriora me inventurum fuisse intelligo, si in lectione D. Thomæ tempus illud impendissem .... Id ex me sæpe audiunt, qui me audiunt: Quamvis tanta sit B. Thomæ & Sectatorum frequentia, & laudatorum approbatio, utramque tamen adeo infra merita mihi videri, ut inde communem humanæ perspicientiæ tenuitatem, vel aspernari cogar, vel misereri*. Hæc, & alia id genus in laudem Doctrinæ S. *Thomæ* scribit nobilis ille Societatis Jesu alumnus Cardinalis *Palavicinus*, quæ te ad veram assequendam sapientiam, quasi admotis stimulis, excitare debent. Sed, ut majorem utilitatis fructum ex lectione & studio Doctrinæ Moralis S. *Th.* percipere valeas, hic primus & unicus tibi sit scopus, hoc votum, hoc unum age, ut muteris, ut rapiaris, ut afferis, & transformeris in ea, quæ te docebit Angelicus noster Præceptor, in cujus doctrina tunc te profecisse intelliges, non si disputes acrius, sed si te senseris paulatim alterum fieri, minus elatum, minus iracundum, minus pecuniarum, aut voluptatum, aut vitæ cupidum, si quotidie vitiis decedat aliquid, pietati aliquid accrescat. In disputando servanda sobrietas, summaque animi moderatio, ut collatio, non conflictatio videatur. Lectionem subinde interrumpat precatio, aut gratiarum actio, quarum altera divinam opem imploret, altera beneficium agnoscat, sicubi te senseris profecisse. Vidi ipse ac novi complures juvenes, qui, avorum & atavorum suorum imaginibus tumentes, sanctissimæ doctrinæ Moralis Christianæ præcepta, quasi eorum statui ac conditioni contraria essent, fastidiunt, & sensibilium rerum præstigiis occæcati, nobilitatem, honores, divitias, voluptates mundi, & reliqua blandientis fortunæ commoda inter præcipua bona reponunt. Quod si vero aliquos claris Majoribus prognatos videant, qui sola conscientia recti, neque honores, neque opes, nec alia arridentis fortunæ commoda desiderant, illos tanquam deliros, hypocritas, rerum imperitos & Melancholicos judicant. Sic, proh dolor! castissimam Doctrinam Moralem Christi veneramur, sic exprimimus, ut nihil vecordius, nihil abjectius, nihil magis pudendum jam vulgo habeatur, quam vere ac toto pectore Christianum: quasi aut Christus frustra versatus sit in terra, aut alia sit nunc, quam olim, Christiana Moralis Doctrina, aut non ex æquo pertineat ad omnes. Ejusmodi juvenum consortia & colloquia velis remisque fuge, charissime Discipule; atque illorum errorem Democritico risu prosequens, id quod res est reputa, unicam ac summam esse nobilitatem in Christo renatum esse, ejusque servorum numero accenseri. Hos tibi majores esse puta, quorum virtutes æmularis. Divitias mundi depone tanquam sarcinas, quibus onusti, nec possunt per arctam viam Christum nudum sequi, nec per ostium humile intrare in regnum Cœlorum. Purga oculos, purga aures, purga palatum & incipiet tibi dulcescere Christus, quo vere gustato, etiamsi voluptatum mundi architecti, omnes suas illecebras in unum conferant, præ uno illo, in quo sunt omnia bona, nausea videbuntur. Denique, cum adhuc juvenis sis, etiam considerare debes; ne florem ætatis, nunquam rediturum, temere polluas, ne fluxis, moxque perituris voluptatibus perdas annos optimos, vereque aureos, qui & fugiunt pernicissime, & recurrunt nunquam; ne per inscitiam, & incogitantiam ætatis committas, quod te in omnem usque vitam mordeat, persequente scelerum conscientia, & amarissimis illis aculeis, quos fugiens voluptas in animis nostris relinquit. Ut autem hunc integritatis florem, qui adhuc nullis vitiorum malis oblitus in te viget, perpetuo illibatum conservare possis, fac ut semper præ oculis habeas auream Sententiam, quam tradit S. *Joannes Damascenus* in suis *Sacris Paralellis*, quæ extant in secundo ejus Operum Tomo ultimæ Editionis, quam Parisiis anno MDCCXII. Doctissimus noster *Michael le Quien* adornavit, ubi hæc habet S. ille Doctor. *Opibus flores: ob majores tuos præclare de te sentis, patriæ splendore, & corporis pulchritudine gloriaris, iisque honoribus, qui ab omnibus in te congeruntur: Attende tibi ipsi, quoniam mortalis es, & in terram reverteris. Circumspice illos, qui ante te iisdem in splendoribus versati fuerunt. Ubi sunt qui in rebus publicis auctoritatem obtinuerunt? Ubi invictissimi Oratores? ubi qui festa publica instituebant, ubi præclari illi equisones? illi militares duces? illi tyranni? nonne in paucis ossibus omnis eorum vitæ memoria sita est? incumbe in sepulcra, ac vide, num famulum ab hero queas secernere: ubi pauper jaceat, ubi dives. Distingue, si potes, vinctum a Rege, fortem ab imbecilli, pulcrum a deformi. Naturæ igitur si memineris, nunquam attolles animos*. Sed tempus est, ut vela contraham, tibique, amantissime Discipule, immensas grates rependam, quod palam, ante oculos omnium, per octo circiter annos Musæum meum frequentaveris quotidianus auditor, illiusque angustias, ex illustrissima licet

Principum prosapia oriundus, non refugeris; quo certe honore superbire possem, nisi a te modestiam didicissem. Gratulor interim mihi, quod in te nactus sim Discipulum, natura docilem, ad fingentis arbitrium flexibilem, & in quem ingenii laudes omnes novo fœdere & conspiratione facta confluxisse videntur, qui tam ad judicandum gravis est, quam celer ad intelligendum, & in quo lepos cum soliditate, gravitas cum facetiis, ubeitas cum moderatione, suavitas cum disciplinæ rigore summa consensione junguntur. Meministi, amantissime Discipule, quot & quam graves Philosophiæ ac Theologiæ decurrendo stadium, molestias in tenera adhuc ætate devoraveris, & quam sæpe Doctrinam *S. Thomæ Aquinatis*, quo Magistro gloriaris, velut pro aris ac focis pugnans, totis ingenii tui viribus publice defensurus, Olympico pulvere conspersus in arenam descenderis. Horum, inquam, meministi (actorum quippe juvat meminisse laborum) sed quam benigno vultu in publicis istis congressibus gratulationes omnium minime fucatas exciperes, quam modeste laudes tuas audires, quæ illis plausibus sine arte miscebantur, quam gravi & composito sermone gestientis juventutis ardorem temperares, non ita meministi fortasse, quia nullius rei soles, nisi virtutum tuarum oblivisci. At vero ipse virtutum tuarum & beneficiorum, quibus me licet immeritum donasti, memoriam adamantino clavo pectori meo defixam quotidiana narratione renovabo. Nunc coronidem impono nostris in Historiam Ecclesiasticam Colloquiis, in quibus si ea, quæ de Historia Ecclesiastica dixi, tibi placeant, his utere; sin minus, sedulitatem meam, qua præclaram tuam indolem quantalacumque ex parte, excolere studui, pro tuo candore boni consule. Tu modo perge, sicut instituisti, in bonas litteras incumbere, Ecclesiam, cui te totum consecrasti, doctrina & pietate illustrare, atque Familiæ tuæ, alioqui florentissimæ, novum honestis tuis studiis conciliare splendorem. Vale, dilectissime Discipule, & *si oblitus fuero tui, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*, (Ps. 136.) Cæterum, non te pigeat nostra identidem lectitare Colloquia, in quibus omnia, quæ universam Historiam Ecclesiasticam spectant, Monumenta breviter quidem descripsimus, singula tamen, majoris claritatis ergo suo quæque loco ordinate disposuimus, secuti hac in re consilium clarissimi poetæ *Horatii* dicentis:

Ordinis hæc Virtus erit & Venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici,
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.

D. Tam facili ac expedita methodo res ad Historiam & disciplinam Ecclesiasticam, vel ad Doctrinam Morum, quæ ad bene beateque vivendum conducit, attinentes, hactenus in nostris Colloquiis explanasti, ut hac unica rerum notitia modo delecter, eorumque sortem vehementer deplorem, qui, neglecto isto sacrarum Antiquitatum studio, nugas, puerorum more, consectari videntur. At enim, si nescire, quid antequam nasceremur acciderit, est semper esse puerum, ut sapienter monet *Plato*, quæ major, quæso, infantia esse potest, quam in ea, ubi sis natus & adultus Religione, adeo peregrinum & hospitem esse, ut nescias quidem quæ sint illius incunabula primordiaque, qui progressus & incrementa, quæ pulcherrima facta Virorum fortium, quorum sudore & sanguine parta nobis traditaque est per manus Religio, quibus persecutionibus a Tyrannis Imperatoribus exagitata sit Ecclesia, quibus fundata legibus, quibus Sanctionibus firmata, qui sint augustissimi illi fontes ex quibus haurire debeamus SS. Patrum Doctrinam, Conciliorum Canones, Decreta Pontificum, genuina Martyrum Acta, illustria veteris sanctitatis exempla, primigeniæ disciplinæ sinceram & incorruptam effigiem, quæ quasi quoddam lumen nobis elucet, Jura demum omnia jam inde a principio Christiani nominis tam sapienter a Majoribus nostris comparata. Quid, inquam, aliud est puerorum more vivere, quam in pulcherrimarum harumce rerum notitia, quæ cordato cuique tot nominibus longe antiquissima debet esse, rudem ac tyronem velle consenescere; nisi quis existimet majus quoddam operæ pretium esse disputare cum *Justo Lipsio* vel de lege tabularum duodecim, vel de Centuriatis Romanorum Comitiis, vel cum Scriptoribus prophanis laboriosius investigare, quibusnam artibus Græci, Romanique ceteras gentes subegerint, quam Sacrorum Religionis nostræ Rituum, & Dogmatum originem scrutari, vim & auctoritatem perpendere, Christiani Orbis Conciliorum Decreta callere, artesque ac vias indagare, quibus Majores nostri Christianæ Ditionis fines amplificarunt, Hæreses debellarunt, & Sanctissimas Leges ad bene informandos mores condiderunt. Non hæc tamen eo impræsentiarum dico, quod eruditionem prophanam elato supercilio despicari velim; quin potius suam illi laudem tam libenter impertiar quam qui libentissime; nihilo secius Prophanæ eruditioni, quantivis demum pretii sit, semper prætetam Historiæ Ecclesiasticæ notitiam, tum quia natus sum Romæ, quæ Civitas, ut nemo nescit, tot Religionis, avitæ pietatis, & Historiæ Ecclesiasticæ monumentis nobilitata, me ad eorum gratam recordationem jure ac merito debet inflammare: tum quia etiam, ex quo me totum Ecclesiæ obsequio mancipavi, alte meo animo defixi gravissimam illam, quam mihi sæpius inculcabas, *Innocentii* III. Vocem: *Nemini Sacerdotum*, inquit Summus ille Pontifex, *liceat Conciliorum Canones, & facta Patrum ignorare*. Notat nempe peritissimus Pontifex quantum ex harum rerum cognitione cum dignitatis, & amplitudinis, tum, quod caput est, emolumenti atque utilitatis efflorescere, si hæc sacræ antiquitatis Historia, & disciplinæ Ecclesiasticæ notitia apud Clericos, ut par esset, vigeret, & inter liberales hujus Sæculi disciplinas, hæc præ ceteris una dominaretur. Cæterum in Historiæ ac disciplinæ Ecclesiasticæ, nec non Doctrinæ Moralis Christianæ studio Regulas, quas

quas mihi præscripsisti, inviolate servabo. Et primo quidem, in Historia sicut nimiam quorumdam credulitatem, ita pruriginosam aliorum dubitandi libidinem, seu effrænatum intemperantis Critices studium perinde declinabo, nec committam unquam, vel ut rigidiores illi, veritatis exactores, seu nostri Sæculi Aristarchi quibus sapit palatum plus satis, meam simplicitatem rideant; vel ut æquiores rerum æstimatores de præfidentiori quadam Censura, vel morosiori quadam agendi ratione jure mecum expostulare possint. Secundo circa Ecclesiæ Disciplinam, laudabo quidem præsentem Ecclesiæ praxim impertiendi pœnitentibus ante impletam satisfactionem Absolutionis Sacramentalis beneficium; at propterea non adhærebo sententiæ illorum Theologorum, qui Disciplinæ Ecclesiasticæ rigorem plus justo elevare satagentes, dictitant, antiquos Ecclesiæ Canones, qui Clericorum, & Christianorum omnium formæ quædam ac regulæ morum sunt, per desuetudinem nunc penitus esse abrogatos, cum potius Ecclesia sicut sæpius me monuisti, antiquos illos Conciliorum Canones in intimo spiritu gerat impressos, eosque vel etiamnum teneat, quantum potest, aut quod eos tenere non possit, temporum difficultatibus præpedita, ingemiscat & doleat, nihilque non agat, ut cœlestia illa Instituta ad formandos in temporum perpetuitate Christianorum mores instaurentur, vel adhuc vigentia sedulo teneantur, retineantur collabentia, prorsus collapsa renoventur; moderante omnia Christiana prudentia, ne præcipiti zelo concordia Fidelium perturbetur. Postremo, in Doctrinæ Moralis studio, nec per laxiorum, nec per rigidiorum Casuistarum calles incedam, sed uni stabo Doctrinæ *S. Thomæ*, Angelici Præceptoris, cujus Oracula ab Academiis, ab Episcopis, a Conciliis, a Summis Pontificibus, ab ipso denique Christo ita fuere probata, ut, si Angelicam eius doctrinam sectando error contingeret, essemus, quod absit, ab ipsa veritate decepti. Sed ego captus suavitate quadam Doctrinæ *S. Thomæ*, non sentio satis superque verborum fecisse me, ac finem dicendi nunquam facturum, si eam, pro eo ac meretur, celebrandam susciperem. Nunc igitur ad te, colendissime Magister, sermonem converto, ut immortales gratias referam, quod ad mea promovenda studia, res ad universam Historiam & Disciplinam Ecclesiasticam pertinentes singulari perspicuitate tradideris, suo quidque loco scite digerens ac collocans, genusque dicendi ubique usurpans ad difficultates enodandas & enucleandas maxime accommodatum, nitidum videlicet, facile usitatum, tale denique ut absque salebris, absque ulla asperitate influat in aures animosque discentium, eisque non ascita, fucisque ac pigmentis quæsita pulchritudine, se ingenuo quodam pudore se commendet. Agnosco itaque lubens, observantissime Magister, me plurimum tibi debere, quod, & ad litteras, & ad pietatem meum informaveris animum, velimque, in perenne grati animi monumentum, tibi persuadeas, nullam esse rem minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non charior sit, quam meæ res omnes; idque eum sententiam, sedulitate mihimet ipse satisfacere possum, te quidem ipsa, ideo mihi non satisfacio, quod nullam partem tuorum erga me beneficiorum, non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia, consequi possum. Vale, mihi multis nominibus charissime Magister; Ego quæ pertinere ad te intelligam, studiosissime omnia, diligentissimeque curabo. Non fallam opinionem tuam, sed vincam meis studiis & officiis cogitationes tuas. Interea, dum ea, quæ de Historia & Disciplina Ecclesiæ hactenus me docuisti, sæpius lectitabo, erit ut dicam identidem cum Sancto Augustino: *Patiantur Aquilæ, dum pascuntur Columbæ*.

Finis Omnium Colloquiorum in universam Historiam Ecclesiasticam.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATIO

RES ECCLESIASTICAS SÆCULI XVIII. CONTINENS.

COLLOQUIUM I.

De Principibus qui Sæculo XVIII. inter Catholicos regnarunt.

„ DISCIP.  Uæ facies fuerit Orbis Catholici Romani usque ad inclinatum Sæculum XVIII. mihi pandas velim. Quanquam enim ætate nostra, & fere nostris sub oculis hæc habeamus; juvat tamen eorum memoriam, quæ jam ante aliquot annos vidimus, refricari.

„ M. Morem tibi geram, quamvis non ea felicitate, qua cætera hucusque scripta sunt a P. Gravesonio, qui ad initium hujus Sæculi historiam suam perduxit.

„ Igitur ineunte hoc Sæculo Romanum Imperium administrabat Leopoldus Cæsar, Princeps, ut bene nosti, religiosissimus, qui tamen haud multo post vita decessit ingenti omnium luctu anno 1705. III. Non. Majas.

„ Eo defuncto Imperii gubernatio devoluta est ad Josephum Jacobum Ignatium Joannem Antonium Eustachium Leopoldi filium ex uxore Eleonora Magdalena Teresia secunda Leopoldi Conjuge natum. Hic jamdiu antea anno 1687. XV. Kal. Decemb. Rex Hungariæ coronatus fuerat, postmodum vero anno 1690. Rex Romanorum renuntiatus. Breve illi fuit post mortem Patris Imperium, nam anno 1711. XV. Kal. Majas variolarum morbo sublatus est. Motum a Patre Leopoldo bellum adversus Gallos, Hispanosque pro vindicanda Domui Austriacæ successione in Regnum Hispaniæ (quod Philippus Borbonius ex testamento Caroli II. Austriaci jure hæreditario sibi occupaverat) Josephus prosecutus est non infeliciter, cum armorum vi jam sibi recepisset Mantuanam, Mediolanensem, & Neapolitanam ditionem. Ea de causa iniquius habuit, quod Clemens XI. Rom. Pontifex consuetum tributum pro Neapolitani regni investitura solvendum, recipere a se recusaverit; sed rogatum licet supplicibus, ac demum minacibus literis Pontificem flectere nequaquam valuit.

„ Fratri Josepho successit Carolus VI. electus Romanorum Imperator anno 1711. & coronatus Francofurti die XXII. Decembris, succedentique anno 1712. XI. Kal. Junias Regni coronam obtinuit. Cum res Austriacæ in bello adversus Philippum Borbonium feliciter ad id usque processissent, anno tandem 1722. utriusque Siciliæ regnum ita sibi aperuit, ut etiam a Pontifice Innocentio XIII. investituram impetraverit. Tandem cum pro Regno Hispaniæ diu, multumque inter utramque partem vario eventu certatum fuisset, de pace inter utrosque æmulos conventum est anno 1725. eademque his conditionibus firmata, ut utriusque Siciliæ regnum cum Mediolanensi Ducatu & Belgio Carolo cederet, de hispanici possessione nihil deinceps Philippo contenderetur, ejusque filio Carolo obveniret Etruriæ, Parmæ, & Placentiæ Ducatus si forte Medicea, & Farnesia familia deficerent. Dissidium aliquod cum Clemente XI. Pontifice habuit ob vulgatam ab illo de revocatione Monarchiæ Siculæ Constitutionem. Provisum etiam voluit Successioni in Hungaricum, & Bohemicum Regnum, si forte sine hæredibus maribus ex familia sua deficeret, quod imminere prævidebat. Ea Constitutio Pragmatica Sanctio appellata est. Hac igitur Constitutione Mariam Theresiam primogenitam suam hæredem declaravit. Bellum cum Turcis grave, & diuturnum, nec semper prospero successu gessit; pace tandem cum hostibus omnibus composita vitam pacificus absolvit anno 1740.

„ Caro-

„ Carolo defuncto inter Electores nata dissensio est de successore, cum Carolus Albertus, „ Mariæ Amaliæ Leopoldi Filiæ maritus, Bavariæ Dux Pragam, quæ caput est Bohemiæ, „ armorum vi occupasset, sibique posceret Imperium, quod tandem impetravit anno 1742. „ IX. Kal. Februarias, in suum favorem Electorum suffragiis traductis, & Carolus VII. appellatus est. Brevis, & afflicti Imperii Princeps, cum semel iterumque patrium Principatum „ amiserit, eoque vix recepto obierit anno 1745. „ die XX. Januarii.

„ Vires tunc suas resumpsit Pragmatica sanctio, quæ Mariam Theresiam Walburgam Austriacam jam inde ab anno 1736. Francisco Stephano Lotharingiæ Duci Conjugii lege copulatam, hæredem Regnorum paternorum declaraverat; atque inde factum ut Franciscus idem „ Lotharingius, potentissimæ Conjugis auctoritate valens, anno tandem 1745. comitiis de more habitis Rex Romanorum die XIII. Septembris ejusdem anni renunciaretur. Is modo regnat feliciter, diuque ut vivat subditorum Imperii vota expetunt, pacatumque ut sibi Regnum, & ab armis adversariorum securum precibus suis sollicitant.

„ D. Satis superque dixisti de Cæsaribus, nunc „ mihi de Galliarum Regibus edissere.

„ M. Sæculo hoc ineunte Ludovicus XIV. jura adhuc dabat Gallis, confectisque ceteris bellis ad novum se apparabat pro asserenda Philippo Borbonio Hispanici Regni successione, „ supremis tabulis Caroli II. Hispaniarum Regis „ illi relicta, cui Domus Austriaca, utpote sibi „ debita se se opponebat, vi armisque jus suum „ prosecutura. Diu pugnatum est diverso Marte; „ tandem pace composita, de qua superius egi, „ Philippo regia hæreditas mansit. Nec cum exteris tantum dissidia componenda Ludovico fuerunt, sed & interna cum Jansenistis sustinenda. Novatores enim illi, post pacem, quæ „ vocatur Clementis IX. cum quievisse viderentur, „ labente præcedenti Sæculo iterum motus agitabant, qua de causa Ludovicus institis apud „ Clementem XI. ut novam bullam daret in factiosos, de qua suo loco dicetur. Verum cum „ neque id satis roboris habere videretur ad animos sedandos, quos magis magisque incitabat „ opus a Quesnellio vulgatum inscriptum *Reflexions Morales* &c. rogavit eundem Clementem, ut „ facta diligenti ejus libri discussione per delectos ab utraque parte Theologos, ederetur celebris Bulla *Unigenitus*, tot postea dissensionum „ in Gallia fomes, & origo. Sua etiam authoritate id effecit, ut a Conventu Cleri Gallicani, tum & a Sorbona acceptaretur. Verum „ hac de re in sequentibus Colloquiis. Mortalis tandem vitæ cursum absolvit anno 1715. Kal. Sept. „ Princeps non armis tantum, sed & religionis „ defensione gloriosus. Hanc enim armis, edictis, legibus, authoritate, patrocinio asseruit. „ Illustria amoris hujus in Catholicam Religionem exempla proferrem, nisi P. Gravesonius „ in fine historiæ suæ provinciam eamdem egregie occupasset. Cum autem Ludovicus unicum „ quem habebat Delfinum ante se vidisset extinctum, ejusdemque Delfini filius Ludovicus Burgundiæ Dux itidem ante avum periisset, natus „ ex hoc postremo filius Ludovicus XV. quinquennis puer, supremis abavi testamentariis tabulis Regni hæres renunciatus est, assignato illi Regni tutore Philippo Duce Aurelianensi. „ Eo vero habenas moderante discordiæ pro Constitutione *Unigenitus* auctæ sunt in immensum; „ donec Ludovico novo Rege majoritatem adepto, atque pro ea Constitutione valide insistente pax tandem Ecclesiæ Gallicanæ reddita „ est Noaillio Cardinali victas manus dante, „ atque Benedicto XIV. Pontifice Brevi suo ad „ Gallos dato pleno sapientiæ, ac prudentiæ cooperante, de quo in sequentibus Colloquiis dicam. Huic Regi sceleſtus quidam ex improviso „ aggressus errante dextra vulnus quidem grave, „ sed citra lethalem noxam inflixit; quare Rex „ brevi convaluit, & Sicarius apprehensus dignas „ tanto sceleri pœnas luit. Nunc vero Imperium „ justum, gloriosum ac felix gerit, regnaturus „ diu, si subditorum vota precesque Deus exaudiet.

„ D. Perge ut cœpisti aliorum Catholicorum „ Regum seriem intexere.

„ M. Apud Hispanos Regnum inter duos contendentes nutabat. Philippus Borbonius postremis Caroli II. Regis Hispanici, anno 1699. „ defuncti testamentariis tabulis hæredis jure illud sibi repetebat; Domus Austriaca jure devolutionis ad se pertinere defendebat. Grave „ hinc bellum exarsit; jus Borbonicum Gallorum „ arma vindicabant; Austriacum vero Leopoldus „ Imperator, & post illum Josephus ejus filius „ itidem Imperator juncto cum Anglis Batavisque fœdere defendebant. Pugnatum est vario „ marte, tandem fœdere dirempta lis est, atque „ Hispanicum Regnum Philippo Borbonio mansit, qui nomine Philippi V. regnavit aliquandiu, sed tandem amore quietis eo se demisit „ anno 1724. in gratiam Ludovici I. Filii sui; „ ipse vero in Castrum S. Idelphonsi secessit, sibi & Deo vacaturus. Verum Ludovici hujus „ I. breve Regnum fuit cum eodem anno 1724. „ die postrema Augusti vitam cum morte commutaverit. Regnum igitur iterum rediit ad „ Philippum V. qui tandem anno 1746. die 9. „ Julii decedens thronum filio suo Ferdinando „ VI. nato ex priore ejus conjuge Maria Aloysia Sabauda permisit, qui & ipse decedens anno 1759. Monarchiam Hispanicam vacuam reliquit Carolo utriusque Siciliæ Regi Philippi „ V. filio, ex altera ejus conjuge Elisabetha „ Farnesia nato. Hic hodie feliciter regnat, „ eademque prudentia, qua olim Regnum utriusque Siciliæ rexerat, Monarchiam gubernat, ac „ tranquillitatem vastissimi Imperii efficit.

„ In Polonia Rex electus est anno 1704. Stanislaus Lesczincki, sed brevi a Friderico Augusto Electore Saxoniæ deturbatus, æmulo illi „ cedere coronam coactus est. At vicissim anno „ 1733. Friderico defuncto idem Stanislaus jure

„ postliminii restitutus est ; magnis tamen exortis diffidiis iterum cedendum illi fuit, assumto Friderico Augusto III. Electore Saxoniæ, qui hodie regnat.

„ Nunc de Regno Portugalliæ agendum superest. Sublatis e vivis Petro II. anno 1706. successit filius Joannes V. Rex augendo Ecclesiarum cultui, & splendori natus. Huic vita functo anno 1750. suffectus est Josephus I. Emmanuel. In hunc facta conspiratio est a sceleratis quibusdam, qui e latebris in Regem minoris bombardæ laxata rota igneas glandes exploserunt. Verum præter leviorem quandam noxam nihil funestam Regi innoxio accidit. Auctores tanti flagitii diu fugerunt Regiam perquisitionem; tandem vero detecti promeritum supplicium subierunt. Eo pariter regnante incolæ Paraguai in Indiis arma defectionis sumpserunt; sed tandem repressi sunt. Duæ istæ causæ fons, & origo fuerunt tot in Lusitaniæ calamitatum, quas modo lugemus. Nam Patres Societatis Jesu tota Regis Lusitaniæ ditione expulsi sunt, assignata aliis Religiosis viris eorum templa, & in loca pia bona eorum omnia divisa. Supplicia pariter de multis sumpta sunt, exules alii acti, alii carceribus detenti.

„ Sub eo pariter Rege anno 1755. Ulissipona ingentem concussionem terræ passa est non sine magna incolarum strage, & ædificiorum eversionibus. Modo Regis cura, & liberalitate reparatis ædificiis, & incolis redeuntibus in proprias sedes Urbs floret.

„ D. Quinam in Italia per hæc secula regnatunt.

„ M. In Italia Reges regnant duo, Sabaudus, qui Sardiniam Regis titulo obtinet. Ibi vero Victorius Amadeus II. qui imperium occuparat an. 1675. hoc ineunte seculo adhuc vivebat, Princeps omnibus regnandi artibus callens, quibus & in pace, & in bello adeo valuit, ut Regnum florentissimum efficeret, & armorum felicitate longe lateque dilataverit. Postremis Regni sui annis rerum sæcularium pertæsus de secessione, & quiete sua cogitare cœpit; qua apud se decreta solemni abdicatione anno 1730. facta Coronam in capite filii sui Emmanuelis deposuit, privatusque vitam transegit, ac demum post tredecim ab abdicatione sua menses anno 1732. die 31. Octobris obiit. Sub vitæ exitum fortunam, quam ad id usque felicem habuerat, adversam expertus moderate tulit. Igitur filius ejus Carolus Emmanuel regiminis habenas post Patris secessionem suscepit, vel retinuit, quas etiam modo regit ea prudentia, & æquitate, ut subditorum felicitatem, statumque tranquillitatem efficiat, & insigni augmento regnum in se a Patre translatum auxerit, & dilataverit.

„ Utrique Siciliæ hoc ineunte Sæculo præfuit Carolus I. Borbonius, qui sibi hoc Regnum armis acquisivit anno 1734. Is Philippo V. ex Elisabetha Farnesia genitus est anno 1716. regnoque potitus est anno 1734. Pacatum, ac tranquillum gessit imperium, tenuitque usque ad annum 1759. quo, defuncto Ferdinando VI. Rex Hispaniæ proclamatus est. Abiturus in novum Imperium successorem Ferdinandum suum tertiogenitum, legitimum Regni, a se feliciti successorem lata Constitutione declaravit, & investivit, prætermisso primogenito, quem gubernando regno nimus aptum ex peritorum judicio, & publica omnium confessione declaraverat. Alter vero qui illi succedebat Carolus Antonius Asturiæ Princeps, & hæres regni Hispanici præsumptibus annunciatus est. Juvenis hujus Principis spes non obscuris editis indiciis optima concipitur.

COLOQUIUM II.

Series Pontificum Romanorum.

„ D. SÆculares Regnorum Catholicorum Principes teneo; nunc Ecclesiasticam historiam ejusdem Sæculi revocare in mentem meam incipe. Quinam Romanæ Ecclesiæ Pontifices hoc demum Sæculo sacra jura dederunt?

„ M. Clemens XI. Sæculi hujus exordium occepit, natus Urbini ex nobili Albana familia, Joannes Franciscus antea dictus. Ne plura de hoc Pontifice enarrem, & insignia ejus gesta sub oculis tuis revocem, effecit P. Gravesonius, qui Ecclesiasticam historiam suam usque ad ejus Pontificis exitum perduxit. Longum ille Pontificatum clausit anno 1721. die 19. Martii. Ei defuncto successor datus est Michael, Angelus ex vetusta Principum de Comitibus familia Romana ortus, (cui nomen Innocentii XIII. inditum. Totus summi Pontificatus splendor in eo eluxit, ut Summum Principem decet; Virtutes etiam eximiæ, quales in Summo Christi Vicario desiderantur. Ad illum in exordio Pontificatus septem Episcopi Gallicani literas dederunt, quibus Constitutionem *Unigenitus* revocari postulabant, utpote turbarum, & dissidiorum in Ecclesia incentricem, ac malorum omnium fomitem. Acceptas Pontifex nulla data responsione neglexit; quin potius Summæ Romanæ Inquisitioni in examen revocandas tradidit, cujus decreto damnatæ, sicut & simili censura in Regio Galliarum Consilio notatæ sunt. Diætæ Ratisbonensis Decreto, quo Hispanis Principibus postulantibus ab Imperio investituram Ducatus Parmæ, & Placentiæ assensum præbendum esse sancitum fuerat, pro viribus obstitit, utpote lato contra antiquum jus Romanæ Ecclesiæ, e qua unice tota ea ditio pendebat. Vicissim autem investituram Neapolitani Regni, postulanti Carolo VI. Imperatori præstitit, an. 1721. Cardinalem Alberonium ab impactis sub Clemente XI. criminibus, pro quibus inquisitio judicialis instituta fuerat, ab omni crimine absolutum pronunciavit. Interim hæc agentem, atque alia majora meditantem Innocentium, triennii Pontificatu nondum absoluto, mors oppressit an. 1724. die Nonar. Mart. Princeps munificentissimus, & effusa in egentes caritate commendandus.

„ In

„ In vacuam Ecclesiæ Cathedram evocatus tunc, contra communem omnium expectationem, fuit Vincentius Maria Cardinalis ex illustri Ursinia Neapolitana familia ortus, qui antea ex Ordine S. Dominici, cui se ab ineunte ætate devoverat in Cardinalem, & Beneventanum Archiepiscopum assumptus fuerat. Quod ab ineunte ætate susceperat humilis, & austeræ vitæ institutum constanter retinuit, ne abjecta quidem Religiosa Monachi veste, atque jejuniis ejusdem Ordinis Monachis præscriptis sancte custoditis. Reformando luxui intentus ab Aula, & Ecclesiasticis occepit, vetito Clericis ficto Capillitio, prostitutas fœminas multas ex urbe expulit, reliquas severis legibus in arctius restrinxit. Templorum cultui provisurus ipse per Urbem discurrens improvisus, templa quædam ingressus num essent omnia ad formam lustrabat. Egenis paterna cura providit, quibus & statis per annum diebus pedes humilis lavabat, reficiebat etiam convivio, amplisque largitionibus providebat. Sanctissimum Sacramentum, quotidie pro more expositum ad cultum fidelium, adoraturus nulla non die invisit. Solemne Jubilæum singulis vigintiquinque annis recurrens indixit in annum 1725. & ad lucrandas indulgentias propositas conditiones ipse religiose explevit omnes. Comaclum ab Imperatore occupatum, nec sine propositis conditionibus facile restituendum, ipse tamen sine conditionibus ab Imperatore sibi, & Ecclesiæ obtinuit. Lateranense Provinciale Concilium Romæ indixit anno 1725. cui Interfuerunt Cardinales XXXII. Archiepiscopi, Episcopi, ceterique minores Prælati plures, totumque sessionibus septem absolutum est. Paci inter Christianos Principes componendæ, ac potissimum Hispanos inter, & Gallos allaboravit plurimum; felicius tamen illi cessit cura, & diligentia, quam in reducendo ad æquiora Cardinalem Noaillium impendit, quem tandem ad subscribendum Constitutioni *Unigetus* induxit. Beneventanam Diœcesim, quam ipse adepto etiam Summo Pontificatu sibi retinuit, bis invisit. Dissidia in causa jurisdictionis inter Romanam, & Sardiniæ Regis aulam diu agitata composuit. Tandem plenus annis (agebat enim ætatis suæ 81. Pontificatus 5. additis mensibus 8. d. 23.) plenus etiam meritis, & gloriæ Romæ obiit anno 1730. die 21. Februarii.

„ Communibus Electorum suffragiis in sedem S. Petri & Benedicti XIII. successorem assumtus est Laurentius Cardinalis ex illustri Corsinorum Florentina familia satus anno 1730. die 12. Julii, idemque sibi nomen imposuit Clemens XII. Primæ ejus curæ fuerunt cognoscendi causas illorum, qui præcedentis Pontificis bonitate abusi Urbis quietem turbaverant, quæ multorum mensium consultatio fuit; ac tandem quorundam exitium induxit. Cum in Belgio dissidia arderent in causa acceptandæ Bullæ *Unigenitus* vacanti sedi Ultrajectinæ Capitulum ejusdem Ecclesiæ quendam Theodorum Vandercoon, seditiosorum caput, extulerat, electumque Dominicus Maria Varler, Babylonensis Episcopus diu tamen antea a munere Episcopali suspensus, consecravit. Indignum id judicans Pontifex hujus electionem infirmavit, depositumque simul & consecrantem, cum ceteris suffragium in eam rem ferentibus, subjecit anathemati Constitutione sua lata anno 1735. die 17. Februarii. Egentium curæ intentus alimentorum caritati providit, ac vectigal pro illis pendendum Apostolico ærario in partem remisit. In sectam, quam vocant *de Liberi Muratori* lato anathemate invectus est, edita Romæ anno 1738. die 29. Maji Constitutione. Exornandis sacris, publicisque ædificiis Urbis Romæ plurimum intendit. Ita tandem quietum ac pacificum Pontificatum absolvit, enatus anno 1740. die 6. Februarii.

„ Eodem anno 1740. inclinante Prosper Cardinalis Lambertinus Bononiensis, Patriæ suæ Archiepiscopus, Summus Pontifex renunciatus est die 16. Augusti, sibi nomine indito Benedicti XIV. Pontifex *quo per multa secula non sedit eruditior alter*, quo elogio a Matthæo Pfaffio, viro Protestanti multis editis libris insigni, mactatus est. Nec immerito ille quidem, nam vix inito Principatu sumtibus Aulæ resecandis e Pontificia mensa plura restrinxit; moderationem etiam induxit in ea stipendia, quæ aulicis suis impendebantur, sicut & multa remisit ex proventibus in commodum Pontificis cedentibus. Quæ ex ea derractione pecunia proveniebat ad subveniendos pauperes, honestasque familias convertit. Promovendis Ecclesiasticorum studiis intentus, palam pro concione edixit ne quis se speraret a Pontifice efferendum ad altiora nisi id sibi dignitatis studio, morumque honestate promeruisset. Academias tres Romæ instituit; alteram de Historia Ecclesiastica; alteram de sacris Canonibus; tertiam de Romana Historia, quibus ille præsentia sua, & approbatione favit; Musæum Capitolinum, & Bononiense plurimum locupletavit. Numerum superant latæ ab eo Constitutiones, morum & Canonum doctrinæ illustrandæ, & definiendæ aptissimas. Plura statuit ad componendum statum Ecclesiæ Orientalis, Græcæ, Maroniticæ &c. De connubiis in ditione Hæreticorum celebrandis ortas Controversias composuit. Sedandis pariter in Ecclesia Gallicana novis turbis occasione Bullæ *Unigenitus* celebrem Constitutionem edidit anno 1756. cujus exordium est: *Ex omnibus Christiani orbis regionibus*, qua ejus sanctione pacem Ecclesiæ illi agitatæ restituit. Denique libros plures evulgavit doctrina, prudentia, eruditione conspicuos. Inter has curas Pontificatum exegit 18. annorum & quod excurrit, diuturnum. Obiit enim v. nonas Maji 1758. sed vulgata de illo per totum orbem fama numquam peribit.

„ Eodem anno 1758. pridie nonas Julias in solium Pontificale evectus est Carolus S. R. E. Cardinalis Rezzonicus, Venetus, ac Patavinus

Epi-

„ Episcopus, quem effusa in egentes largitas maxime commendat, nec minor illi cura Ecclesiasticæ disciplinæ verbo & exemplo reformandæ, Divino cultui augendo, ac Cleri disciplinæ ad normam sacrorum Canonum dirigendæ. Mariæ Theresiæ Austriacæ, Hungarorum Reginæ, atque ejus in Regno Hungariæ successoribus *Apostolici* titulum, non tantum Augustæ regnantis merito concessit, sed & jure debitum declaravit Constitutione sua anno 1758. evulgata. His crepundiis spes affulget majorum, si Deus vitam diuturniorem Pontifici, jam quadriennio regnanti, concesserit, quod ut fiat communia Ecclesiæ vota efflagitant.

COLLOQUIUM III.

De Synodis in Ecclesia Catholica Seculo XVIII. celebratis.

„ D. NUm Synodi aliquæ præter Diœcesanas nostro hoc seculo celebratæ sunt? Audivi enim commune effatum esse tempus habendorum Conciliorum jamdiu effluxisse.

„ M. Rara esse quidem fateor Provincialia, aut Nationalia ætate nostra Concilia; adhuc tamen nonnulla convenisse postquam hæc tibi enarravero intelliges. Seculo igitur hoc ineunte anno scilicet 1703. Albanum Provinciale, seu nationale Concilium coactum est, cura, & studio Vincentii Zmaievich Archiepiscopi Antibarensis Apostolici Visitatoris Serviæ Primatis, eidemque interfuerunt præter Visitatorem Archiepiscopi duo, Episcopi quatuor, præter alios Apostolicos apud Albanenses Missionarios. Latæ in eo sanctiones in partes distinguuntur quatuor. Earum prima est de Fide ejusque prædicandæ ratione, ac de sanctionibus Ecclesiasticis servandis. Altera de Sacramentis; tertia de Ecclesiasticis in dignitate constitutis; quarta de Parochis. Abusus in remotas eas regiones ex temporis diuturnitate inductos tollit, cavens sub anathemate ne ad evitandas Ordinariorum censuras Turcarum patrocinium imploretur. Vetat ne amplius toleretur abusus, quo adulti nonnisi post annum ætatis 16. 18. vel 20. ad Sacrum Pœnitentiæ tribunal accedebant; ne ulterius consuetudo permitteretur, ut in Patrinos Baptismi Infideles, & Schismatici invitarentur; ne insuper filii Turcarum baptizentur, eo tantum fine a parentibus oblati, ut infantes abluantur ad tollendum fœtorem puerilem, & defensandos ab insultibus ferocium animalium. Demum gravi censura castigatur inducta in eas gentes opinio, quod septem tantummodo annis quadragesimale jejunium servandum esset, & nihil ultra. Cætera ex eodem Concilio repetas, vulgato Romæ anno 1704. iterumque in meo Conciliorum supplemento Tom. VI. pag. 215. recuso.

„ Alterum est Concilium Ruthenicum in urbe Zamoscia anno 1720. sub Benedicto XIII. celebratum, Præside Hieronymo Grimaldi Archiepiscopo Edesseno, & Nuntio Pontificio. Adfuerunt præter Archiepiscopos quatuor, Exarcha totius Russiæ, Episcopi duo, Proto archimandritæ, & Archimandritæ plures. Quatuor ejus sunt sessiones, quas fidei professio ab omnibus Concilio præsentibus subscripta præcedit; sequuntur literæ Apostolicæ Clementis XI. ad Synodum hanc habendam invitantes. Philippi cujusdam impia dogmata in undecim capita redacta damnantur, ejusque asseclis anathema dictum est. Capita ista cum de Hæreticis agam recitabo.

„ Tertium est Concilium Romanum Provinciale sub Benedicto XIII. anno 1725. coactum, in quo multa ad fidem, ad mores Cleri, & Populi sancita sunt; ac præterea Constitutio *Unigenitus* agnita, & admissa. Ejus Canones in titulos 31. distribuuntur. Adfuerunt præter Pontificem, Cardinales 31. Archiepiscopi 5. Episcopi 39. præter eos, qui per procuratores suos interfuerunt, Abbates, Procuratores insignium Capitulorum, & Monasteriorum.

„ Quartum recensetur Ebredunense Provinciale sub Petro de Guerin de Tencin ejus Urbis Archiepiscopo, anno 1727. celebratum, cujus acta in capita XI. distincta habentur in novissima Labbei editione Veneta excusa anno 1733. Interfuerunt præter Archiepiscopum Episcopi XV. quorum unus tantummodo per Procuratorem adstitit. In laudata Veneta editione desunt acta damnationis literarum Pastoralium Episcopi Sanicensis, in quibus Quesnelli liber *Reflexionis* commendabatur, & Constitutio *Unigenitus* refutabatur. Auctor ipse Sanicensis Episcopus, annorum 80. ætate grandævus, sistere se Synodo causam suam dicturus coactus est; protestatione tamen interposita sibi providit.

„ Quinta est Synodus Montis Libani anni 1736. cujus acta nondum typis producta sunt. De illa hæc legas apud Cl. Berti in suo Ecclesiasticæ Hist. Breviar. tom. 2. p. 248. *Interfuere Patriarcha Antiochenus, XIV. Episcopi Maronitæ, duo Syri, totidem Armeni, Abbates aliique complures; in qua Synodo Decreta Sacræ* Congregationis de Propaganda Fide *proposita & recepta fuerunt, actumque de munere, limitibus & divisione Diœcesum Maronitarum, & de contributione erogari solita Episcopis in collatione Ordinum & Sacrorum Oleorum distributione. Quibus Romæ discussis Synodus approbata est anno 1741. Kal. Septembris a Benedicto XIV. Quæ approbatio facta est adjecta clausula*: Ita tamen, quod per nostram prædictæ Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur Constitutionibus Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & decretis Conciliorum Generalium super ritibus ceterarum quarumcunque Nationum sive generaliter, sive specialiter factis &c. *Addibere solet hanc clausulam Apostolica sedes in qualibet confirmatione Synodorum Orientalium: adhibuitque illam anno 1714. confirmando Synodum Albaniæ, sive Epiri, & anno 1720. confirmando Synodum Ruthenorum Zamoscii in Polonia celebratam.*

„ Ex

„ Ex eadem Maronitarum Synodo plura deprompsit, ediditque V. Cl. Joseph Aloysius Assemanus in libro VIII. par. III. Codicis Liturgici Ecclesiæ universæ.

„ D. Satis superque edoctum me a te esse censeo de Synodis Provincialibus in Ecclesia Catholica ad hæc usque tempora celebratis. Sed Synodos per singulas Diœceses celebratas ab Episcopis fidei, & disciplinæ zelo studiosissimis, ne verbulo quidem commemorasti.

„ M. Synodos omnes Diœcesanas si recensendas assumpserim, & mihi, & tibi tædio fuerim. Unam, vel alteram seligam. Inter insigniores habentur Pisanæ tres sub Archiepiscopo Francisco Frosini annis 1708. 1717. stylo Pisano & 1726. celebratæ. Miniatensis sub F. Joanne Maria Poggi ex Ordine Servorum B. M. V. An. 1707. habita; ac tandem Fulginatensis sub Josaphat Baptistellio Episcopo coacta An. 1722., quam Synodum in peculiari Congregatione a Pontifice instituta contradictorio judicio diligenter discussam Congregatio illa speciali elogio confirmavit.

COLLOQUIUM IV.

De Controversiis in Causa Religionis agitatis præsertim in Gallia.

„ D. Cum de hæresibus Colloquium nostrum „ modo instituendum sit, doceas me, rogo, quæ fuerint hoc Sæculo agitatæ in Gallia quæstiones circa Dei Gratiam Romanos inter Catholicos, & Jansenianos; audivi enim multis turbatam esse Gallicanam Ecclesiam a factiosis quibusdam, & Pontificiis legibus obsistentibus.

„ M. Post pacem, quam vocant Clementis IX. Gallicana Ecclesia usque sub exordio Sæculi XVIII. quievisse visa est; donec anno 1704. igniculi dissidiorum, qui sub cinere ardebant nondum extincti, eruperunt iterum occasione *Casus Conscientiæ*. Hujus origo ita narratur. Minister quidam Pœnitentiæ Sacramentalis audivit quemdam pro confessione exponentem se quidem religiose admittere, & subscribere formulario Alexandri VII. ut Pontificiis mandatis obsequeretur; intus tamen, & in corde sentire, teipsa dignum non esse damnatione librum Jansenii, ejusque doctrinam prout a libro explicatur sanam esse; vel saltem suspendere ea in damnatione assensum suum, intimum tamen mentis suæ sensum nemini aperire, nihilque demum hac subscriptione sua aliud intendere, nisi jussionibus Pontificiis religiose parere. Pœnitentiarius ille, nihil in re tanta decernere ausus, quæstionem in folio descriptam subjiciendam censuit 40. viris Theologicæ facultatis peritissimis, quos de sententia sua consuluit. Illi omnes ad unum sufficere ad obsequendum Pontifici censuerunt, ac de scripto firmarunt. Folium istud deinceps publicatum est, & scandalum apud Orthodoxos ingens peperit, vicissim autem Jansenianis arrisit. Quod cum rescirent Theologi approbatores, seque in invidiam vocari intelligerent, partim sententiam a se datam de scripto revocarunt, partim conquesti sunt, quod privata opinio sua, familiari in colloquio cum alio communicata, nec evulganda, propalata in vulgus fuisset. Clemens XI. Scriptum illud damnavit, idem etiam Parisiensis sacra Facultas censura sua inussit. Nihilo tamen secius Jansenianie xcitatos tumultus hoc fomento auxeruat. Quæ causa fuit cur Clemens XI. anno 1705. Bullam *Vineam Domini* ederet adversus Jansenistas, quam Bullam Gallicanus Clerus, & Facultas Parisiensis acceptavit, atque probavit. Incendium illud in majus provexit liber Paschasii Quesnelli, Congregationis Oratorii Presbyteri, inscriptus *Reflexions Morales*; tum & alter ejus *Abregé* &c. in quibus sub velamento pietatis dogmata omnia Jansenii insinuaverat. Ut erant opera a Viro Doctrinæ laude celebri evulgata, mirum quantum arriserunt pluribus, ac præsertim Jansenistis, cujus hæresis virus non jam occulte, sed palam grassabatur. Periculo occurrendum Clemens XI. P. censuit; quare discutiendos libros tradidit delecto Cardinalium, & Theologorum cœtui qui extractas ex eis Cl. propositiones censura sua notatas Pontifici exhibuerunt. Rem, ut erat, summi momenti Pontifex ratus, solemni Bulla conficiendam judicavit, condita ea est, & promulgata Romæ anno 1713. eademque in Bulla propositiones omnes expressæ sunt, atque simul omnes confixæ. Tum missa ad Gallos Constitutio est, nec diu post adnitente Rege Ludovico XIV. a XL. Galliarum Episcopis in cœtum collectis, sicut etiam a Sorbona jure admissa est, spondente insuper Sorbona se quamprimum editturam brevem & claram earundem propositionum expositionem. Ita dissidia composita videbantur; quamquam non deerant inter Episcopos, qui assensum suum illi præbere detrectarent, quorum princeps erat Card. Noaillius, Parisiensis Archiepiscopus. Sorbona etiam, quamquam aliquandiu metu Regis siluit, resumpto tamen, post Ludovici XIV. decessum spiritu seditionis, causata est nunquam se Constitutionem *Unigenitus* recepturam vel antea recepisse, nisi in ordine ad explicationem dein a se promendam. Hinc nova dissidia, nunquam compescenda quoadusque Sorbona staret. Re intellecta, Clemens XI. Brevi suo, dato an. 1716. Ludovico XIV. Rege jam defuncto, Sorbonam omnibus privilegiis, juribusque multavit. Nec ideo tamen fracta contumacium audacia est; haud enim ita multo post, anno 1717. typis evulgatus prodivit actus Appellationis ad futurum Concilium Generale re quidem & nomine quatuor Episcoporum, sed & adhæsione plurium Parochorum totiusque demum Sorbonæ. Vicissim Pontifex literis ad Gallos datis, signatisque die 8. Septembris anni 1718. alienos ab Ecclesiæ communione declaravit omnes, excepto nemine, qui Bullam *Unigenitus* acceptare recusarent. Tunc Cardina-

„ lis

„ lis Noaillius, qui peti se hoc telo intellexit, „ cum acceptationem semper obstinate repudiasset, „ provocationem ad futurum Generale Concilium „ interposuit, exemplumque Archiepiscopi sui Parisiensis Universitas iterum secuta est, decreto suo „ signato die 5. Octobris 1718. In hoc rerum „ statu perseveratum est in Gallia usque ad obitum Clementis XI. qui post biennium anno „ 1721. decessit.

„ D. Prosequere nunc reliquum dissidiorum „ Gallicanorum usque ad nostra tempora.

„ M. Sub Innocentio XII., cujus breve regnum fuit (obiit enim anno 1724. die 7. „ Martii) nihil memoria dignum est actum ad „ Gallicanam Ecclesiam quod attinet. Sub ipsis „ vero novi Pontificatus Benedicti XIII. auspiciis aliqua pacis lux affulgere visa est. Temporis enim beneficio mitigari efferatorum animi, „ mollescere obstinatorum rigor, audiri saniora „ consilia cœperunt, adnitente præsertim Aula „ Regis, quæ Constitutioni numquam non favit, „ tata, tunc demum Regnum fore quietum, cum „ plenum obsequium Romanorum Pontificum jussionibus religiose præstaretur. Igitur paternis „ monitis Pontificis, sibi dudum amicitia conjuncti, inclinatus Cardinalis Noaillius Regis sui „ auctoritate impulsus, ipsa etiam rationis evidentia rei veritatem demonstrante persuasus, „ (cum enim universæ per Catholicum Orbem Ecclesiæ Constitutionem sese recipere, edita professione, declarassent, ut de Hispanica „ Conimbricensis Academia testatur, datis, editisque literis anno 1715. de Trevirensi provincia, itidem ex literis a suffraganeis ejusdem „ eodem anno vulgatis, de Gallica ex iis, quæ „ superius attigi demonstratur; de Lusitanica Conimbricensis Academia illustre testimonium tulit datis literis ad Pontificem Clementem XI. „ anno 1717. Nemo vero ambigit Ecclesiam cum „ definitionem aliquam fidei recipit, & approbat, infallibilitatem, Christo Domino pollicente, obtinere), his, inquam, persuasus manus „ victas tandem cessit Noaillius Cardinalis, datisque ad Benedictum XIII. anno 1728. literis „ Bullam *Unigenitus* puram, ac simplicem nulla „ admissa explicatione admittere se professus est. „ Litteras ille quidem in eam rem *Pastorales* dedit „ non quidem ut singulis damnatis propositionibus sensum suum indere tentaret, sed ut mentem suam panderet & explicaret. In his enim „ acceptare se Constitutionem animo obsequenti, „ & religioso palam edicit; tum Quesnelli librum *Reflexions*, extractasque ex eo propositiones, repetitis totidem verbis censuris in Bulla „ latis, damnat. Item vero alio edicto paulo post „ evulgato scripta contra acceptationem antehac „ a se edita reprobavit. Firmo dein in ea adhesione perseveravit animo ad obitum usque, qui „ anno 1729. die 4. Maji contigit, quamquam „ non defuerunt, qui sparserint in vulgus rediisse illum in priorem sententiam Constitutioni „ aversam. Ab hac tamen calumnia se egregie „ vindicat literis ad Cardinalem Quirinum scriptis bimestri ante suum obitum die scilicet „ 21. Martii anni 1729. quas legas in ejusdem „ Cardinalis Commentariis ab ipso editis partis „ 2. lib. 2. pag. 42. Vires tunc fractæ sunt adversariis Constitutionis; cum præsertim favere „ eidem regiam Aulam multis argumentis demonstraretur. Manent tamen adhuc nonnulli „ animum in Constitutionem obstinatum ferentes „ motus sua deque ciere ad omnem occasionem „ prompti, quod præsertim patuit in obitu Parisii (ita illi nomen) Clerici inter „ pervicaciores Constitutionis adversarios obstinatissimi, quamquam alioqui morum honestatem præseferebat. Sparserunt enim in vulgus „ ad ejus sepulchrum Divina miracula patrari, „ curari morbos, expelli Dæmones, & argumenta plurima Sanctitatis exhiberi, quæ omnia „ sectatores ejus in majus augere, ac prædicare „ studuerunt. Prompte tamen erumpenti malo „ occursum est, suppressæ historiolæ de miraculis „ Parisii longe lateque sparsæ, inhibitus ad sepulcrum ejus concursus, ac de miraculis fama „ diligenti inquisitione instituta falsi revincta est. „ Accidit etiam nostris hisce annis, ut Parochi „ quidam Gallicanarum Diœceseon, majori facile „ zelo, quam prudentia, sacramenta multis in „ extremo vitæ articulo constitutis ex quacumque „ etiam tenui suspicione de fide ea in re sua aspersis denegarent, nisi prius coactis formulario „ Alexandri VII. & Bullæ *Unigenitus* subscribere. Iniquum id visum plerisque atque invidiæ „ plenum, cum eo adacti testimonium ferre publicum viderentur se ita vixisse, ut de fidei „ suæ integritate dubitaretur. Hic novus dissidiis „ fomes datus crevit in incendium, cum Gallicana Parlamenta authoritate sua adsisterent laicis „ conquerentibus, pro Parochis vero Episcopi stantent. Recursus tunc ad Aulam factus, quæ „ pro constitutione stetit. Ex hoc tumultus anacti, pulsi enim Sedibus suis Episcopi, amoti „ Parochi confugium unicum superfuit Pontifex „ Benedictus XIV., qui, utraque audita parte, „ ac re mature discussa plenam sapientiæ Constitutionem edidit, cujus exordium *Ex omnibus* „ *Christiani orbis regionibus*. Sancitum in ea est „ nemini in Constitutionem palam refractario nisi palam resipuerit danda Sacramenta esse. Palam vero notorium illum habendum esse, de „ cujus delicto valida argumenta palam habentur. „ Cum vero instituta in reos accusatio conjecturis tantummodo, præsumtionibus incertisque rumoribus nititur, tunc inquiri oportere num „ Paschalem Eucharistiam rite perceperint, inde „ enim valida pro conferendis Sacramentis morituro conjectura deducitur. Sin vero nihil inde retrahi possit, & indicia vehementiora insistant, tunc Parochi serio moneant ægrotum, „ exponantque quæ contra illum suppetant argumenta; togent ut resipiscat, alioqui enim non „ alia se de causa inducendos fore ad extrema „ Sacramenta illi conferenda, nisi infamiæ publicæ vitandæ gratia. Signatur Constitutio illa „ die 16. Octobris 1756. Quies tunc reddita est „ Gallicanæ Ecclesiæ, quam perpetuo mansuram „ speramus, & a Deo supplices rogamus.

„ Hære-

„ Hæresis altera apud Catholicos Ruthenos nata hoc sæculo, & extincta est, cujus auctor fuit Philippus quidam; ejus fit mentio in Concilio Ruthenorum, de quo inter Concilia differuimus. Hujus hæresis capita in eadem Synodo recensentur sess. IV. Cap. I.

„ 1. *Distiactæ sunt trium Personarum Divinarum naturæ.*

„ 2. *Non alia fuit statura corporis Christi in utero Mariæ, quam in Cruce.*

„ 3. *Cruces argenteæ sunt illicitæ, quia Christus in ligno affixus expiravit.*

„ 4. *Nullum est Eucharistiæ Sacramentum, nullum Sacrificium, quia jam sunt ante Christi tempora.*

„ 5. *Nullum est Sacramentum Pœnitentiæ, nec Extremæ unctionis, nec Ordinis.*

„ 6. *Quicumque baptizandus in aquam non immergitur, Paganus est.*

„ 7. *Signum Crucis, integra manu expressum, est signum Antichristi.*

„ 8. *Libros non scriptos, sed impressos legere nefas est.*

„ 9. *Aqua benedicta non est salutaris.*

„ 10. *Mahometanorum fana, ac Synagogæ Judæorum sunt Ecclesiis anteponendæ.*

„ 11. *Matrimonium contrahere non est necesse; sed sat est cum uxoribus conjunctissime vivere.*

„ Dogmata hæc omnia cum eorum auctore, & asseclis Synodus illa Ruthenica, Chyoviæ habita, præsente Hieronymo Grimaldo Archiepiscopo Edessend, Nuncio Apostolico in Regno Poloniæ solemni Patrum consensione damnavit, & reprobavit anno 1720.

COLLOQUIUM V.

De Scriptoribus Ecclesiasticis Saeculi XVIII.

„ D. EXpedias mihi, si vales, Auctores Ecclesiasticos qui medio hoc nostro Sæculo sacra eruditione potissimum floruerunt.

„ M. Rem difficilem postulas; si enim de singulis non differere tantummodo, sed vel solam feriem intexere voluerim, vix mihi liber sufficeret. Nihil igitur melius me præstiturum judico nisi ut plurimorum catalogum exhibeam ipsis verbis utens Clarissimi Patris Joannis Laurentii Berti Augustiniani, Florentini, legendis in ejus Breviario Historiæ Ecclesiasticæ T. 2. pag. 255. edit. 2. Venetæ anni 1761.

„ *Floruerunt hactenus litteris, & eruditione postremo hoc seculo plurimi, quorum nonnullos commemorabo, cunctos enim recensere non est delineantis historiæ Ecclesiasticæ solum prospectum. Veniant autem primo loco ex Monastico S. Benedicti Ordine Scriptores præclarissimi* Joannes Mabillon *vita functus anno* 1707. *cujus immensam eruditionem* Sæcula *sui Ordinis*, Museum Italicum, *amplissimum de re Diplomatica opus, aliaque scripta plura erudita, & singularia collaudant*: Theodoricus Ruinart *sublatus e vivis anno* 1709. *cujus ingenium deprehendet quisquis acta Martyrum sincera, & Historiam persecutionis Vandalicæ, ut alia prætereamus scripta, pervolutabit*: Renatus Massuet *mortuus anno* 1716. *librorum S. Irenæi editor, & illustrator, atque Editionis operum S. P. Augustini adversus P.* Langlois *Jesuitam Vindex acerrimus*: Joannes Martianæus, *qui e vivis concessit anno* 1717. *adversus P. Pezron Textum, & Chronologiam Hebraicorum Codicum defendit, edidit que summo Studio S. Hieronymi opera*: Dionysius Samarthanus *Galliæ Christianæ eruditissimus auctor, qui decessit anno* 1725. *Prætermitto* Petrum Coustant, *ejusque in Epistolas Romanorum Pontificum notas uberrimas*, Edmundum Martenem, *& ejus Rituum omnium sacrorum eruditissimas explanationes*, Matthæum Petitdier, *atque illius pro Theologia Morali, & auctoritate Ecclesiæ lucubrationes Apologeticas, quorum primus obiit an.* 1724., *tertius an.* 1728. *alter an.* 1739. *Quis vero cuncta* Augustini Calmet *qui claruit annis nuperrime elapsis in Sacras litteras Commentaria, Dissertationes, Chronologiam, & sacræ antiquitatis monumenta percurrat? Itali etiam Monachi æmulantur studia ceterorum; idque ostendunt* Angeli Mariæ Cardinalis Quirini *Episcopi Brixiensis, qui decessit anno* 1755. *litterarii labores, & aliorum complurium jam editæ, & ad prælum paratæ, subacti ingenii dissertationes.*

„ *Neque in aliorum Monachorum Congregationibus Ecclesiastica studia torpescunt.* Claudius *De Vert Cluniacensis vita functus anno* 1708. *Ceremonias Sacras quatuor voluminibus plano, litterali, & historico sensu explicavit. Ordinis Vallisumbrosæ monumenta colligit, vindicatque Domnus* Fidelis Soldani. *Ex Camaldulensium Cœtu Abbatis* Guidonis Grandi *qui obiit anno* 1742. *non tantum Mathematicis disciplinis, verum etiam Sacra Theologia, & Historia percelebris apud nos immortalis viget memoria. Hunc æmulatur vir præclarus* Claudius Fromond, *Annales, Historiamque ejusdem Ordinis, Ab* Anselmus Costadoni, *& D.* Benedictus Mittarelli *erudite diligenterque conscribant*: Angelus Calogerà *multiplici præstat eruditione.*

„ *Claruerunt in amplissima Prædicatorum Familia* Antoninus Massoulié *mortuus anno* 1706. *auctor voluminum, quorum titulus* Divus Thomas sui interpres: Natalis Alexander *de universa Sacra, & Ecclesiastica historia, de Theologia morali, & de Evangelica Doctrina optime meritus, qui decessit an.* 1724. Michael le Quien, *cujus extat insigne opus* Christianus Oriens, *vita functus an.* 1733. Jacobus Hyacinthus Serry *Historiæ Congregationis* de Auxiliis, *aliorumque plurium librorum auctor illustris, vita functus anno* 1738. *Cardinales*, Ludovicus Vincentius Gotti, *qui obiit anno* 1742. *Universæ Theologiæ, Dogmatum, & Veritatis Catholicæ illustrator, &* Ludovicus Maria Lucini *e vivis ereptus anno* 1745. *profligator rituum Sinensium*; Daniel Concina *insectator Probabilismi, & universæ Doctrinæ morum præceptor, qui fatis cessit anno* 1756. *Pro* Concina *vero Carmine, & Prosa* Dinellus, E-

„ *pistolis vernacula scriptis lingua sub nomine Eusebii Eranistis* P. Patuzzi, & *Anonymus alter sub* Agenoris *larva pugnam exercent. Quis vero ignorat quanti pretii sint Opera historica, & Theologica* Ignatii Hyacinthi de Graveson; *tractatus* De l' Action de Dieu, *cujus Auctor* Laurentius Franciscus Boursier? *Monumenta Aquilejensis Ecclesiæ, & perpolitæ Dissertationes* Bernardi de Rubeis; *variæ* Casti Innocentii Ansaldi *lucubrationes*, P. Mamachii *Ecclesiasticæ Origines*, Thomæ Vincentii Moneglia *adversus Fatalistas, & Materialistas, aliæque disputationes gravissimæ*, Josephi Augustini Ursii *S. R. E. Cardinalis vindiciæ Petri a Soto, Confutatio Defens. Declarationis Cleri Gallicani, Historia Ecclesiastica eloquenti gravissimoque Stylo enarrata*; & Raymundi Mariæ Corsi, *qui* Ursii *premit vestigia*, Vitæ *Virorum qui doctrina, & Sanctitate condecorarunt Ecclesiam*; Antonii Bremond *Ordinis Magistri*; Augustini Ricchini *Magistri S. Pal. Apostolici*; Portæ, Remedelli, *aliorumque plurimorum præclara nomina ubique resonant*.

„ *Inter nostrates (Augustinianos) suæ apud posteros famæ consuluerunt* Guillelmus Bonjour *Hebraicæ, Græcæ, & Copticæ linguæ, quorum illustria edidit monumenta, nec non motus astrorum scientissimus*: Augustinus Arpe, *auctor* Summæ Ægidianæ, *institutionum Moralium, libri, qui inscribitur* Panteon Augustinianum &c. Joannes Baptista Cotta *Historicus, & Poeta Etrusca* præsertim *lingua expolitus*: Bernardus Desirant *Quesnelli oppugnator, sed in quo* Adeodatus Nuzzi *absurda detexit plura*: Petrus Lambertus le Drou *amoris initialis in Sacramento Pænitentiæ sententia nostra necessarii strenuus assertor*: Joseph ab Assumptione *Martyrologii Ordinis, multorumque voluminum editor*: Hyacinthus Tonti *Defensor dogmatum Catholicorum, & concionator apud Italos clarus, licet ingeniosior, quam eloquentior. Theologi in Hispania percelebres*: Petrus Manso, Henricus Florez, Antonius Guerrero: *in Belgio* Philippus Van-Waure, Leonardus Vanroy, Aurelius Piette, Jacobus Van-Bossuyt, Nicolaus de Tombeur, Joannes Libens. *In Germania* Sigismundus Buttner, Bartholomæus Faber, Anselmus Hormonseder. *In Italia* Thaddæus Caluschi *sapientissimus Præceptor meus, (nempe P. Berti)* Benedictus Gattinius, & Fulgentius Bellelli, *in cujus funere anno* 1742. *orationem habuit* Nicolaus Maria Troisius, *vir magno ingenio præditus. Accedit* Thomas *Archiepiscopus* Cervioni *circa idem tempus fato functus orator item ac poeta haud ineptus*; Felix Mayr, *cujus extat* Augustinus vitæ Spiritualis magister: Jacobus Philippus Gatti, *artis Rhetoricæ, & Poeticæ peritus quantum opera ejus testantur; pius ac devotus Asceticorum librorum auctor* Jo. Nicolaus Chiesa. *Mitto præstantes viros* Nicolaum Landini *eloquentissimum Oratorem*, Danielem Marcolinum *Theologum, ac Poetam, librorumque helluonem*, Hieronymum Zazzerium, Joannem Thomam de Bonis, Thomam Rinaldi, Antonium Augustinum Giorgi, *inter ceteros, quorum consuetudine usi fuimus, doctissimum, atque honestissimum. Alios prætermitto, quos commendant publica literaria monumenta. Nostra vero si quis pro sua benevolentia commemorare velit, postremo, & infimo loco recenseat*.

„ *Cunctos Societatis Jesu Scriptores vel hoc Seculo vita functos, vel adhuc viventes enumerare arduum est. Quorumdam tamen memoriam faciamus oportet*. Tamburinus *Societatis Præpositus Generalis*, & P. Cercerau *notissimi inter Probabilistas Theologi obierunt anno* 1730. *Decesserant antea peracuti, sed luxuriantis ingenii* Harduinus, & Daniel, *ille anno* 1723., & *iste anno* 1728. *Theologiam cum delectu quæstionum & sententiarum concinnavit* Edmundus Simonetti. *Moralem, Speculativam, & Dogmaticam nervose breviterque complexus est* Paulus Gabriel Antoine, *plus externis acceptus, quam suis. Conscripserunt in Sacras litteras exercitationes Italico Idiomate* PP. Cattaneus Umbertus de Cocconato, Calini, Nicolai, Richa, *alii. Doctrinam, & disciplinam Ecclesiæ exposuit* Ludovicus du Mesnil. *Plures Italica commendantur eloquentia, inter quos* Antonius Franciscus Bellati, & Jacobus Bassani. *Apparatum ad Jurisprudentiam præsertim Ecclesiasticam, erudite conscripsit* Joseph Biner; *Ecclesiasticam & profanam historiam* Hadrianus Daude. *Principia Moralia, in quibus aliqua postmodum retractavit, vernacula lingua edidit* Nicolaus Ghezzi. *Prophetarum Vaticinia* Baltus *vindicavit. Mittimus historiam P.* Berruyer *Gallice scriptam, in quam Abbas* Gualtier *vulgavit nuper tria epistolarum volumina, & librum de frequenti communione* Joannis Pichon *plurium Episcoporum censuris confixum. Etiam illos prætermittimus, qui suorum auctorum nuperrime scripsere vindicias*, Carolum Nocetum, Philibertum Balla, Jacobum Sanvitali &c. Franciscus Antonius Zacharias, *Orator, historicus, & criticus in historia litteraria horum plures, ceteros, nec non seipsum celebrat, laudatque*. (a)

„ *Ex aliorum quoque religiosorum virorum Ordinibus nomina saltem quorundam universæ Italiæ notissima laudabimus. Fratrum Minorum Conventualium familiam scriptis condecorant* Laurentius Ganganelli, *doctrina magis, quam Vaticana Purpura clarus*, Raymundus Missorius, Franciscus Leoni, Carolus Dominicus de Moja, Joannes H. Sbacalea, Casimirus Tempesti, Dominicus Maria Speroni, Antonius Felix Matthejus, *aliique de Historia Ecclesiastica, & de Sacra Theologia optime meriti. Minorum, quos Observantes vocant*, Antonius Bianchi *Lucensis*, Fortunatus *a Brixia*, Philippus *a Car-*

„ *bo-*

„ (a) P. Franciscus Antonius Zaccaria ideo opera sua interdum commemorat (non laudat ut P. Berti hic paulo invidiosus inculcat; quod cum librum ediderit nomine suo suppresso cur inter ceteros quorum Opera ex instituto laudabat, suum sileret, nihil erat. Cum vero Opera illa sua defendit, jure omnibus a natura dato utitur. *Mansi*.

boneano, Damasus *Emperiensis*. *Fratrum Capuccinorum* Franciscus Maria *Cardinalis* Casinus, Cajetanus Maria *Bergomas*, Viator a Coccalio, Norbertus *a Lotharingia*. *Clericorum Regularium*, *quos* Theatinos *appellant*, Antonius Franciscus Vezzosi, Joannes Baptista Casaccioli, *P. G. Scholarum piarum*, Alexander Politi, Paulinus a S. Joseph *vir eloquentissimus*, Eduardus Corsinius *omnigena eruditione conspicuus*, Joannes Carolus Bossius *illustris Theologus*, Carolus Antoniolus *supra ætatem sapiens &c. Congregationis Oratorie* Joseph Blanchinus, Hieronymus e Prato, *& e Gallia* Joannes Cabassutius, Bernardus Lamy, Gaspar Juenin, Paschasius Quesnellus, *cujus sunt* 101. *propositiones damnatæ in Bulla* Unigenitus. *Eorum, quos appellitant Barnabitas*, Franciscus Rotarius, Fortunatus Venerius, Niceron, Gerdil, Homobonus. *Congregationis Somaschæ* Franciscus Baldini *&c.*

„ *Non fugit nos singularis doctrina scriptorumque copia* Ambrosii Cardebosch, Petri Th. Cacciari, Bonaventuræ Blanciotti, Petri Thomæ Sanctabarbara *Ord. Carmelitarum*, & Honorati a S. Maria *Carmelitæ excalceati*, Francisci Raymundi Adami *Ord. Servorum*, Antonii Boucat *Ord. Minimorum*: Joannis-Chrysostomi Trombelli *Congregationis Rhenanæ*: Joannis Dominici Mansi, Pompeji Berti, & Constantini Ronchaliæ *Congreg. Matris Dei*; C. Constantii Rabbi Augustinianæ *Congr. Insubricæ*, & Joseph Catalani *Presbyteri Oratorii*; *non, inquam, hæc nos fugiunt, sed operæ pretium est eos quoque saltem ex parte laudibus prosequi, qui nullius instituti Regulares fuerunt.*

„ *Quantas enim laudationes non promerentur* Hadrianus Baillet, *qui Sanctorum vitas, sapientumque Virorum Judicia conscripsit, vita functus anno* 1706. Stephanus Baluzius *reconditorum Scriptorum quæsitor, eruditorum illustrator, mortuus anno* 1718. Petrus Daniel Huetius *Demonstrationis Evangelicæ, Origenianorum, Quæstionum Alnetanarum, de Concordia rationis & Fidei, aliorumque librorum scriptor egregius, qui obiit anno* 1721. Ludovicus-Ellies-Du-Pin, *qui præter Sacram, & Profanam Historiam, & dissertationes de antiqua Ecclesiæ disciplina, edidit de Scriptoribus Ecclesiasticis permulta volumina, notas in opera Joannis Gersonii, & S. Optati Milevitani, defunctus anno* 1719. Claudius Fleury *Ecclesiasticæ Historiæ, Institutionum Juris Canonici, Catechismi Historici, librorumque de moribus Judæorum & Christianorum auctor percelebris, qui vivere desiit anno* 1722. Melchior *Cardinalis* de Polignac, *qui eloquenti latino carmine, in etruscum converso a* Francisco Maria Riccio, *& a Petro Bergantino Clerico Regulari, Lucretii, aliorumque Atheorum refutavit deliramenta, obiitque anno* 1741. *Verum si diutius moraremur in Galliis, occurrerent permulti literatissimi viri, puta ex Theologis* Nicolaus l'Herminier, Carolus Vitasse, Honoratus Tournelius. *Ex Christianæ vitæ morumque institutoribus* Genettus, Besombes, Pontas, *& qui ad usum Seminariorum V. G. Gratianopolitani, & Petrocorensis perspicue breviterque Moralem Theologiam concinnarunt: ex Historicis, præter Ephemeridum* (Journal des Sçavans & Nouvelles Ecclesiastiques) *Scriptores Anonymos, qui Ecclesiasticam Historiam typis Coloniensibus nuper edidit, cujus volumen XIII. prodiit anno* 1754. *ne commemoretur altera impressa Agathopoli, contra quam editæ Leodii sunt anno* 1755. *Epistolæ XXI.*

„ *Verum non opus est ad Viros longe doctissimos adinveniendos, ut ab Italis discedamus. Quanta eruditio, quanta Librorum copia, quantus labor* Joannis Lami *in omnium scientiarum genere præstantissimi? Quanta in veteribus monumentis pervolutandis* Antonii Francisci Gori *solertia? Quantum antiquitatis Sacræ studium in* Francisco Blanchinio, Joanne Ciampinio, Justo Fontanini, *aliisque Romanæ Curiæ Præsulibus? Strenui sunt in Doctrina Morum vindicanda* Ballerinii *fratres*: *sagax fuit in selectis Historiis exornandis*, Antonius Sandini; *assiduus & eloquens in conscribendis libris* Scipio Maffejus. *Verum illos mihi commemoranti, qui Sacram Cyclopædiam illustrarunt, ad mentem redit vir immortalis* Ludovicus Antonius Muratori, *qui magno Reipublicæ litterariæ damno fatis cessit anno* 1750. *in quo sive rerum Italicarum* Scriptores, *sive dissertationes* Medii Ævi, *sive Confutationem* Phereponi, sive collectionem Liturgicam, *sive* Annales Italiæ, *sive cujuslibet fere argumenti scripta pervolutemus; admiremur necesse est maximum ingenii acumen, memoriam singularem, omnigenam eruditionem, styli facilitatem, adeo ut Italia, etiamsi nullum alium scriptorem peperisset, hoc uno posset magnopere gloriari.*

COLLOQUIUM VI.

De Disciplina Ecclesiastica, Ethices Christianæ Doctrina Sæculi XVIII.

„ D. SUperest mihi explices, quibus incrementis disciplina Ecclesiastica hoc demum Sæculo creverit, seu potius quid factum sit a Romanis Pontificibus, ut abusionibus, si quæ forte irrepserant, sublatis in pristinam effigiem, ac sanctimoniam refingeretur. Quamquam vero Pontifices omnes Sæculi hujus intentissimos hac in re novi, adhuc tamen scio Benedicti XIV. operam in re Ecclesiastica insignem extitisse. Et cum multa sint ab eo sancita & docte illustrata in libris ejus, quos libros frequenter magnaque voluptate perlegi, satis mihi erit indicari a te quæ ille Pontificia auctoritate constituit.

„ M. Rem difficilem expostulas; grandiora enim volumina mihi expilanda sunt, ac doctrina plena, ut omnia ab hoc Pontifice sancita expediantur. Aggrediar tamen. Principio igitur in ipsis Pontificatus sui exordiis, die scilicet III. Decembris anni 1740 Encyclicam evulgavit ad omnes Episcopos, monens illos ut vigilanti cura in vitam & honestatem Cle-

„ rico-

ricorum incumberent, eosque ad Sacros Ordines assumerent, quos maxime probaverint, seligantque, quos *vivendi ratio*, & *in sacris scientiis progressio maxime commendaverit*. Seminaria itidem Clericorum curari diligenter jubet, duplicari vero curam in deligendis animarum Pastoribus, sacrisque Pœnitentiæ Ministris, eosque spiritualibus, quos vocant, exercitiis quotannis incumbere mandat. Episcopos diligenter de residentia monet, Diœcesis visitationes frequentare, atque insistere, ut decreta sua Synodalia executioni mandentur, spondetque futurum ut *Religiosorum Principum* auxilium illis non desit, sicut nec Apostolicam auctoritatem defuturam pollicetur. Altera Constitutione ejusdem anni lata die XVI. Kal. Novemb. Congregationem erigit, cujus curæ sit probare digniores, & aptiores, qui ad Episcopatum promoveri possint, mandatque Episcopis, ut singulis bienniis indicent, quosnam ex Regularibus, & Ecclesiasticis Sæcularibus ad id muneris idoneos in locis sibi submissis judicent.

„ Anno dein sequenti 1741. interdictas a SS. Canonibus negotiationes Clericorum iterum prohibet, extensa etiam inhibitione ad eos qui per alium, sive alieno nomine negociationes exercuerint. Monuit pariter alia Constitutione, incipiente *Matrimonii perpetuum* Polonos Episcopos, ut cautius procedant in admittendis conjugiorum dissolutionibus. Insuper Constitutione *Non ambigimus*, tum altera *In suprema* vetat ne dispensati a Jejunio Quadragesimali quoad vescendas carnes, continuo solutos sese habeant a lege unicæ comestionis, quin nec in ea quam instituunt comestione piscibus, & carnibus indiscriminatim utantur, edicit. Constitutione *Sacramentum Pœnitentiæ* latas jam olim pœnas adversus Confessarios in Sacramento Pœnitentiæ pœnitentes sollicitantes ad turpia innovat, tum & novas infligit adversus eos, qui vel calumniando Confessarios de sollicitatione accusant, vel procurant ut ab aliis accusentur, quippe quos reservationem incurrere absque auctoritate Romani Pontificis nequaquam relaxandam pronuntiat. Vetat insuper, & omnino privat auctoritate Sacerdotes omnes qui Pœnitentium sociorum criminis inhonesti confessiones audiverint, eosque siquidem absolvere ausi fuerint, anathemati subjicit. Const. *Quanta Cura*, tum & sequenti altera *Pro eximia tua* innovat sanctiones, nequis colligat eleemosynas pro Missis, parteque eleemosynæ sibi retenta minori stipendio collato celebrari illas ab aliis curet, quod laicis quidem sub anathemate, Sacerdotibus vero suspensionis sub pœna inhibet. Constit. *Universalis Ecclesiæ* pœnis contra alienatores bonorum Ecclesiasticorum subjicit Beneficiarios, qui alienare *commodum*, seu *utilitatem* percipiendi fructus beneficiales ausi fuerint, recepta unico actu pecunia, sicut & altera Constit. *In sublimi* vetat ne deinceps Beneficia cum pensione ita resignentur, & recipiantur ut pacta intercedant inter dantem, & recipientem de pensione extinguenda per collationem pecuniæ anticipate, & eas extinctiones pensionum intra sex menses a recepto Beneficio, si deinceps fiant, irritas declarat, tum & *resignantem*, & *resignatarium* ab omni jure Beneficii statim excidere declarat. Const. *Satis vobis* plura decernit in occultis connubiis permittendis, atque celebrandis; præsertim edicit, ut connubiorum hujusmodi documenta exhibeantur Episcopo, tum & de prole nata idem Episcopus fiat certior, qua cautela neglecta præcipit intra mensem a nativitate prolis evulgari nativitatem legitimam ejusdem prolis, suppressis tamen parentum nominibus.

„ Anno 1742. Constitutiones *Regularis disciplinæ*, & *Salutare in Catholica* protulit, quibus clausuræ virorum, & mulierum intemerate servandæ providit, inhibita omnibus dispensandi facultate. Item Constit. *Etsi minime* Doctrinæ Christianæ fidelibus tradendæ munus Parochis inculcat. Appellationum ad Sedem Apostolicam frequentiam, & incommoda moderationem indigere intelligens, Bullam *Ad militantis* edidit, qua præsertim cavet ne recipiantur appellationes ab executione decretorum S. Concilii Tridentini, in negociis, quorum executio ab eodem Concilio commissa est Ordinariis locorum, cum clausula *appellatione* vel *inhibitione* quacumque postposita, sicut nec a decretis pro cultu divino augendo, & conservando, præsertim circa ea quæ servanda, & evitanda sunt in celebratione Missæ, vel circa Decreta ejusdem Concilii quoad curam animarum, & Sacramentorum administrationem. Bulla *Pastor bonus* majori luce donavit, illustravit, auxit, emendavit facultates majoris Pœnitentiarii de Urbe, ut quisque sciret quid ab illo experi possit, vel obtineri. Bulla *Cum semper* mandat singulis Parochis applicationem Missæ Parochialis pro Populo singulis diebus festivis de præcepto, sicut & quotidianam Missam Conventualem pro benefactoribus in Episcopalibus, Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, in quibus Missa Conventualis singulis diebus cantatur. Constit. *Suprema omnium*, & Constit. *Ubi primum*, & Constit. *Ad eradicandum* cavet ne Sacri Pœnitentiæ Ministri a pœnitentibus suis exquirant sociorum, vel complicum nomina, cum quibus crimen de quo se accusant, commiserint. Constit. *Vix pervenit* usuras prohibet, & quænam sint declarat. Sanctiones istæ omnes in priori volumine Bullarii Benedicti XIV. continentur.

„ Alterum volumen Bullas hasce ad Christianam Ethicem, & disciplinam Ecclesiasticam pertinentes complectitur. Bulla *Pontificia commendatione* declarat regulares viros afferentes se translatos esse Apostolica auctoritate ad alios ordines, atque commorantes extra claustra omnimodæ jurisdictioni Ordinarii, seu Episcopi loci illius in quo versantur subesse. Constit. *Quemadmodum nihil* Indulgentiis oblatis fideles omnes invitat ad docendum rudes methodum orationis mentalis, sicut & eosdem fide-

„ les:

„ les ad hoc orandi exercitium frequentandum
„ Indulgentiis pariter allicit. Constit. *Impositi*
„ *nobis* edicit Regulares privilegiatos ad ordines
„ promovendos dirigi oportere ad Episcopum Diœ-
„ cesanum loci, in quo commorantur, nec jure
„ posse ad aliam Diœcesim procurrere ad eandem
„ ordinationem impetrandam, nisi prius ordina-
„ torem docuerint, Ordinarium loci sui *Ordina-*
„ *tionem non esse habiturum*; qua de re exhiberi
„ publica documenta voluit. Constit. *Postremo*
„ *Mense* diligenter discutit causam Baptismi Ju-
„ dæorum sive sint infantes, sive adulti; negat-
„ que rite posse Baptismum conferri Hebræis in-
„ fantibus, siquidem eorum Parentes contradixe-
„ rint, nisi forte in quibusdam rerum articulis.
„ Tum vero ad alia excurrit ad idem argumen-
„ tum pertinentia. In Bulla *Pia Mater* faculta-
„ tem largiendi Indulgentiam Plenariam fideli-
„ bus in mortis articulo constitutis Episcopis a
„ Summo Pontifice ad definitum tempus concedi
„ solitam prorogat ad totum illud temporis spa-
„ tium, quo Episcopi illi sederint in eadem Ec-
„ clesia; tum & facultatem adjicit, ut Antisti-
„ tes omnes unum aut plures pios Sacerdotes in
„ suis Civitatibus, & locis ejus Diœcesis subde-
„ legare valeant ad ejusmodi Indulgentias elar-
„ giendas, dum Antistites illi ne per se id a-
„ gant legitimo impedimento detinentur. In Bul-
„ la *Apostolici muneris* vetat ne fideles e Juda-
„ ismo conversi libellum repudii more Judaico
„ scribant alteri Conjugi in infidelitate perseve-
„ ranti, qui sane abusus jam irrepserat. Const.
„ sua *Inter cetera* vetat omnibus in tota ditione
„ Romani Pontificis degentibus ne postrema Die-
„ rum Bacchanalium nocte choreæ ultra ejusdem
„ noctis dimidium, quo Sacri Quadragesimæ dies
„ exordiuntur producantur; tum & mandat ne
„ diebus festis in Bacchanalia incidentibus, & fe-
„ ris sextis eorum dierum personati homines
„ incedant. Suadet insuper ut tribus ejus tem-
„ poris diebus expositio SS. Sacramenti fiat, quo
„ si accesserint fideles indulgentiam singulis die-
„ bus plenam consueto more acquirant. Constit.
„ *Pastoralis officii* offerendos ter vel quater in
„ anno singulis Monialium Monasteriis, sive or-
„ dinariis locorum subsint, sive regularibus sub-
„ jiciantur, Confessarios extraordinarios, quos e
„ quocumque ordine, & ex utroque Clero dele-
„ gere fas illis est, dummodo sint ex approbatis
„ ad Moniales. Regulares vero Monialibus suis
„ saltem semel quotannis offerre coguntur extra-
„ ordinarium sive alterius Ordinis, sive e Clero
„ Sæculari. Huc usque volumen secundum.

„ Tertii Voluminis est Bulla *Officii nostri* pro
„ asylo denegando homicidis in rixa occidenti-
„ bus, qua confirmantur Constitutiones Benedi-
„ cti XIII. *Ex quo Divina*, & Clementis XII.
„ *In supremo Justitiæ solio*, quibus extractio reo-
„ rum ejusmodi ab asylo auctoritate Ecclesiæ fa-
„ cta permittitur, & ab Ecclesia ad Curiam Sæ-
„ cularem tradi homicidæ illi conceduntur, quan-
„ do Ecclesiastico Judici per indicia ad torturam
„ sufficientia de delicto constiterit. Ad extractio-
„ nem vero per Ecclesiasticam Curiam ex præ-
„ dictis constitutionibus sufficiunt indicia ad ca-
„ pturam sufficientia. Hac vero Constitutione sua
„ Benedictus comprehensos voluit non tantum
„ Ecclesiasticos cujuscumque gradus, & Ordi-
„ nis, sed etiam mulieres, & milites, etiam-
„ si baculo, aut saxo occiderint. Insuper edi-
„ cit comprehendi etiam eos, qui vulnus ad
„ mortem inflixerint, quamquam vulnerato non-
„ dum defuncto; si enim judicio Chirurgi *grave*
„ *vitæ periculum* ex vulnere adesse judicetur, ex-
„ trahi omnino concedit reos illos, & in carcere
„ Ecclesiæ detineri, tradendos carceri laicali, si
„ mors contigerit intra tempus a legibus defini-
„ tum; sin minus asylo restituendi. Immunita-
„ tis vero Ecclesiasticæ rei declarantur seculares
„ Judices si absque interventu Ecclesiasticæ au-
„ ctoritatis homicidas ejusmodi capere ausi fue-
„ rint; sicut & eos qui non petita Ecclesiastico-
„ rum facultate loca illa immunia obsidere præ-
„ sumunt, impedituri ne alimenta ad miseros il-
„ los deferantur. Valere autem voluit hæc omnia
„ etiamsi delinquentes a Diœcesi in qua occiderint
„ ad alienæ Diœcesis asylum confugerint. Hæc
„ autem Constitutio lata est pro ditione Ecclesia-
„ stica, sed & extenditur ad alios Principes, qui
„ illam pro suis ditionibus petierunt. Constitut.
„ *Elapso proxime* confirmat Bullam Joannis XXI.
„ *Ex parte vestra* declarantem Hæreticos, vel de
„ hæresi suspectos, nec non Judæos jam Baptiza-
„ tos, & in Apostasiam relapsos, asylo minime
„ gaudere, sed extrahi posse ab Inquisitore cer-
„ tiorato tamen *ante vel post Ordinario loci*. Id
„ vero quod in his casibus permittitur Inquisito-
„ ri, nequaquam illi conceditur in aliis delictis
„ etiam commissis ab iis, qui ejus jurisdictioni
„ subsunt. Declarat insuper eos, qui e carceri-
„ bus, sive ex triremibus effugerint, ad asylum
„ extrahi nequaquam posse, & pœnæ restitui,
„ nisi Sedis Apostolicæ auctoritate. In Bulla *ad*
„ *Romanum Pontificem* ad certos limites redigit
„ indulgentias pro Fratribus, & Sororibus Ter-
„ tii Ordinis Sæcularis S. Francisci Assisiensis.
„ In Bulla *Ex imposito nobis* indulgetur Presby-
„ teris in Russia Polonica degentibus ut in Ec-
„ clesiis Ruthenorum Unitorum, deficientibus La-
„ pidibus consecratis, & Calicibus saltem argen-
„ teis, Missas celebrent super eorundem Ruthe-
„ norum antimensils, & cum Calicibus Stamneis.
„ In Bulla *Ex commisso* injungitur pro tota ditio-
„ ne Ecclesiastica, ut postquam messium colle-
„ ctio facta est, spicilegium pauperibus permitta-
„ tur. In Bulla *Magno cum animi nostri* dubia plu-
„ rima tollit circa celebrationem Missæ in Ora-
„ toriis privatis, ac præsertim monet celebrari
„ Missam nequaquam posse aliquo saltem ex in-
„ dultariis non præsente. At si in corpore Bre-
„ vis expressum sit nomen alterius cujuspiam, &
„ expresse illi detur facultas, ut possit in eodem
„ Oratorio *facere, ut Missa celebretur*, tunc eo
„ solo præsente celebratio permittitur. In Bulla
„ *Inexhaustis Ecclesiæ* nova concessio indulgentia-
„ rum fit Confratribus Sæcularibus Tertii Ordi-
„ nis S. Francisci de Paula, tum & Cordigeris
„ ejusdem Sancti funiculum benedictum deferen-
„ tibus.

„ tibus. Scriptis ad Nicolaum Lercari a Secretis „ Congregationis de Propaganda Fide literis sapienter disponit quid agendum sit cum Christianis in Albania degentibus, qui bona Ecclesiastica a Turcis armis usurpata, & Christianis vendita detinebant; præcipit enim dari a Christianis illis catalogum de bonis illis a se detentis, & cum Episcopis nova instrumenta confici sive novæ emptionis, sive emphyteuseos, quæ tamen omnia fiant modico pretio, vel canone indicto. Huc etiam facit Constitut. altera *Cum encyclicas*, in qua præterea facultas Apostolica datur Episcopis relaxandi gratis suis possessoribus bona sic acquisita, si aliter fieri non possit. Constit. *Redditæ sunt nobis* vetitas declarat omnes conjugales consuetudines iis Catholicis, qui in Provinciis Belgii Fœderati matrimonia celebratunt coram duntaxat civili Magistratu, vel hæretico ministro; mandatque nuptias hasce iterum celebrari ad formam Concilii Tridentini. Hæc in Tertio Volumine.

„ Quarti Voluminis Constit. *Detestabilem* propositiones quinque ad Duellum spectantes proscribit, ac damnat, sicut & asyli jure privat interfectores sive in publico, sive in privato Duello, etiamsi hoc asyli perfugium sibi quæsierit homicida, vivente adhuc eo qui in Duello vulneratus est vulnere ad grave vitæ periculum, quo in rei eventu idem agi mandat in extractione rei ab asylo, quod in altera Bulla de homicidio decreverat. Insuper edicit Ecclesiastica Sepultura privari Duellistæ cadaver, etiamsi ante mortem a peccatis, & censuris absolutionem obtinuerit. Constit. *Apostolicum ministerium* leges præscribit in Anglicanis missionibus servandas ab Apostolicis Vicariis, & Sacerdotibus Missionariis. Const. *Sollicita, ac provida* methodum præscribit servandam in proscriptione librorum a Congregationibus Romanæ Inquisitionis & Indicis, & quid insuper servandum sit ea in re a Relatoribus, & Consultoribus. Literis etiam Circularibus Præsules omnes Italiæ excitavit, ut curas suas omnes verterent, quo fideles in rudimentis Fidei instituantur, & erudiantur. Incipiunt Literæ *Cum Religiosis æque*. Constit. *Quod Provinciale* vetat ne Christiani sub ditione Turcarum versantes ad occultandam Religionem suam Mahometanica nomina sibi imponant ac se compellari patiantur. Constit. *Allatæ sunt* denegat Missionariis facultatem dispensandi Christianos Orientales super abstinentia a Piscibus tempore jejunii, monetque omnes ritus peculiares Græcorum, & Orientalium diligenter servari, neque in iis convertendis aliter laborent Missionarii, nisi ut eos ab erroribus, & schismate avertant, nihil de peculiaribus eorum ritibus approbatis suggillent. Epistola *In superiori* demonstrat celebrationem trium Missarum in Die Natali *Jesu Christi* peculiarem esse ritum Latinæ Ecclesiæ, adeoque non usurpandum ab Orientalibus, & præsertim Armenis. Constit. *Ex omnibus Christiani Orbis* a me supra descripta est cum ageretur de turbis in causa Janseniana in Galliis excitatis. Const. *Quam grave* confirmat pœnas omnes in eos intentas, qui Sacerdotium mentientes Missam celebrant, aut fidelium Confessiones excipiunt, easdemque aggravat altera Constit. *Divinarum humanarumque*.

„ Hæc sunt Benedicti XIV. Sanctiones præcipuæ ad ethicem Christianam, Catholicamque disciplinam reformandam, illustrandam, ampliandam, cui etiam Pontifex curæ semper, quoad vixit, unice incubuit, editis præsertim libris singulari eruditione, selectaque doctrina refertis. Utinam gloriosa ejus vestigia successores ejus in moderanda Ecclesia sectentur, quod tamen sperare licet de glorioso ejus successore Clemente XIII. cum in primis hisce Pontificatus sui exordiis studii sui in promovenda Ecclesiastica disciplina illustria exempla jam dederit.

FINIS CONTINUATIONIS.

EGRE.


EGREGIUM LUCIANI DOCUMENTUM AD HISTORIAM

VEL SCRIBENDAM, VEL ADDISCENDAM UTILISSIMUM.



AIO igitur, eum, qui optime conscribere Historiam volet, duo hæc præcipua domo secum, & de suo afferre debere. Prudentiam quamdam sive intellectum civilem, & potestatem dicendi, quorum alterum quidem nulla doctrina, naturæ quoddam donum est; dicendi autem potestas, multa exercitatione, assiduoque labore, & imitatione veterum comparanda erit. Atque hæc extra artem sunt, neque me consultore opus habent. Neque enim prudentem sive intelligentem, & acutum eum, qui non natura talis fuerit, libellus hic meus promittit, quoniam magni sane æstimandus, imo omnibus anteferendus foret, si transformare, & quasi novo quodam ornatu induere hujusmodi ille posset, puta vel ex plumbo aurum reddere, vel ex stanno argentum efficere .... Quamobrem, absit a nobis hæc invidia promissionis, ut artem aliquam rei adeo magnæ ac difficilis nos invenisse dicamus; Neque enim quemvis acceptum reddere Historicum nos velle dicimus, sed ei, qui natura intellectu bono præditus, & ad dicendum quam optime exercitatus fuerit, viam quamdam ostendere (si modo talis ulla apparet) qua utendo, citius atque aptius ad finem & scopum usque quo tendit, pervenire possit. Talis mihi sit Historicus, ut & metu careat, &, quemadmodum Comicus ille ait : *ficus ficus, ligonem ligonem nominet:* non odio, neque amicitiæ quidquam tribuens, aut miserens, aut erubescens, aut exorari se facile patiens, æqualis Judex, ac benevolus omnibus, eo tamen usque, dum ne alteri plus æquo aliquid tribuat : hospes in libris ac peregrinus, suis legibus vivens, nullius imperio subjectus, non quid huic, aut illi placiturum sit, secum cogitans, sed quid actum est, exponens. Sicut autem menti Scriptoris scopum hunc proponimus, libertatem dicendi videlicet & veritatem, ita & voci ejus unus hic scopus & primus propositus sit, ut plane indicet, & quam dilucidissime rem ipsam declaret verbis neque obscuris, & extra communem viam positis, neque etiam vulgaribus istis, & tabernariis, sed ita ut a plerisque intelligantur, & ab eruditis

laudentur. Jam vero & figuris & exornationibus utatur minime moleſtis, minimeque affectatis, quoniam, perinde ac jus aliquod, orationem quoque recte conditam exhibere debet. *Hactenus* Lucianus *in libello, cui hunc indidit titulum:* Quomodo Hiſtoria ſcribenda ſit? *quique Græco-Latinus, juxta interpretationem* Jacobi Micylli, *extat Tomo II. Operum* Luciani *Editionis Baſileanæ, pag. mihi* 361.



TA-